BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
F
16
NAPOLI

E 16

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JUS GENTIUM
REDACTUM
AD
LIMITES SUOS
QUOS NOVI QUIDAM DOCTORES
PERRUPERANT.

* *
*

NOn ſane arbitror, te unquam vidiſſe aut audiviſſe homines ita valde diſſentientes de rebus ſalubribus, & inſalubribus, ut hac de cauſa & pugnarent, & ſeſe mutuo interficerent. Sed de rebus *juſtis & injuſtis* novi id frequentiſſimum eſſe. - - - - - Et pugnæ quidem & neces propter hanc diſſenſionem & inter Achivos & alios Trojanos extiterunt, & inter procos Penelopes & ulyſſem. - Arbitror etiam & inter Athenienſes & Lacedæmonios & Bæotos - - non quidem propter alterius cujusquam rei diſſenſionem, quam de *Juſto & Injuſto* noſtros illos homines pugnas necesque accumulaſſe. *Plato in Alcibiade I.*

JURIS NATURÆ
PRÆCONI
INCOMPARABILI
GENTIUM
DOCTORI
ILLUMINATISSIMO
TOTIUS NATURÆ JUDICIS
ASSESSORI GRAVISSIMO
DIVO
PAULO
APOSTOLO

Quod ab ingratis novatoribus ex Juris naturæ ac Gentium exedra per neſas ejectus nuper fuerit, contumeliæ utcunque reſarciendæ hos tenues conatus dedicat

Scriptor æternum
devotiſſimus.

Dieſes Blat beliebe der Buchbinder gleich nach dem Titel-Blat Jus Gentium anzubienden.

[illegible] An. 1760.

Digitized by Google

CONSILIUM OPERIS.

1. MUndum *opinionibus regi* tritum eſt verbum. Opinio facit doctos, claros, magnos.

2. Opinio autem ſpeciei & apparentiæ filia eſt.

3. Rudis ſit aliquis, iners; ſimul ac curioſis hominibus novitate aliqua, ſpecie inani, promiſſis grandibus opinionem de ſe fecerit, ex magna exſpectatione magnus illico habebitur: exitu tamen plerumque diſpari. Quod Mimo illi evenit. Is cum conſuetis jocis nihil proficeret, adpromiſit populo, ſeſe conſtituta die ſingulis edicturum, quid quisque maximè cuperet. Prodiit ergo in Theatrum impatientiſſima omnium exſpectatione, rogatusque incipere, facto ſilentio edixit: Hoc, ſcio, vultis omnes: *Parvò quidem emere, at magno vendere.* Dignum hiſtrione oraculum.

4. Id genus opiniones multæ quidem ſunt, quibus mundus, id eſt, incauti homines quotidie abripiuntur. Ex quibus naſcuntur mores quidam non in aliis modo rebus, ſed & in ſcientiis dominantes, quos dicunt Galli *Grande Mode.* Ita olim nobilitatis non modica pars habebatur apud athenienſes; ſiquis tibia caneret, aut luderet cithara. Sic mos eſt, bibliothecam domi habere nitidam atque ſelectam, cui legendæ non ipſe præſideas, ſed antiquarius ære conductus. Sic mos collegiis Phyſicæ experimentalis intereſſe, & ſpecta-

re emorientem in vitro avem, aut micantem electricam ſcintillam, aut ruptum vitrum; etiamſi diſſertatione á doctis mox ſuper eorum cauſis inſtituta ipſe ad confabulandum cum ſodali converſaris.

5. Similis fere mos, quamquam non æque innocens, inolevit ab aliquo tempore, ut Jus naturæ & Gentium tribus menſibus ab aliquo heterodoxo doctore verborum flumine prolatum audias patentibus quidem auribus, mente tamen vacua; quia clavis neceſſaria ei adhibita non eſt.

6. Unde fit, ut juvenculi nobiles quatuor aut quinque axiomata excipiant, ex iisque præſumant ſe regere orbem terrarum conſilio poſſe, quippe Juris naturæ & gentium gnaros.

7. Axiomata autem qualia excipiant juvenes? eane, quæ ſeria ſunt atque gravia, & veritatis reconditæ? Haud alia magis, quam quæ ipſorum ingenio inſolentiora videntur, audaciora, turbulentiora, ad novandum proniora. Ut ſuum quemque eſſe judicem: Religionis eſſe libertatem infinitam: commodis terrenis poſt omnia ponenda: Eccleſiarum divitias reipublicæ commodis obeſſe: Veteres regulas præ novis eſſe pueriles: Religionem exponendam dum ſervetur regio: Fas in libris, jus in armis eſſe. Aut omnino id, quod Profeſſor quidam Batavus Comiti Catholico W. juveni non ita pridem ſuaſit: Religionis negotium à juvene non ſuſcipiendum: eum quod ad hoc indifferentem eſſe debere, dum ætas ſenior veniat, in qua tempus ſit, Religioni ſe dedere conquirendæ.

8. Quocirca hoc opere illud ſuſcipiam ego, ut probatum dem, vanam eſſe iſtam *grande mode*, per tantillum temporis adeſſe enarrando alicui compendio Juris gentium *poſſibilis*.

9. Probare contendam, vana plerumque eſſe doctorum promiſſa. Media illic tradita eſſe curta nimis, & ad finem propoſitum neutiquam congruere. Neminem ex his fieri poſſe juris gentium vel mediocriter peritum. Quin noxam inde promanare non unam poſſe. Porro ad verum jus Gentium condiſcendum non ita cuilibet patere Rhodum, ut patent cuivis ſcholæ. Viribus, annis fortuna, negotiis, experientia multa animoque cauto ac bono opus

opus eſſe, ut Jus Gentium utcumque mediocriter addiſcas: præcipue cum in eo pauca ſint non controverſa.

10. Rectene ac pro dignitate id exſecutus ſim, plane mihimet non ſpondeo; quippe de re cumprimis ardua. Alii judices ſunto.

11. Cæterum poſt ea, quæ in his vulgo peccari oſtendo, expoſita, merito quis exſpectet, ut meliora ego præſtem.

Præſtabo, atque majorum canis exemplis inhærens *tutiorem* certe ad Jura gentium viam oſtendam: cujus forte ut pigebit multos, ita pœnitebit, credo, neminem.

12. Non quod gentium jura ex ordine dictare meum id opus faciam: quis enim hoc facientem hominem unum non ridiculo habeat? Sed quod conſilium, ut dicere cœpi, fidele ſanumque elargiar.

Si dixeris, mundum conſilio meo non indigere, ſed ſua ſatis opinione regi; controverſia me inter atque te naſcetur, quæ juris ſit naturæ potius quam gentium: quæque adeo ab omnibus bonis facilius dirimi queat: ad quorum judicium provoco. Juris quippe naturæ eſt conſilium. Et ad idem jus pertinet, diſcernere, num magis neceſſarium mundo ſit Conſilium eorum, qui occaſionem præſumptioni magnis promiſſis minime ſervandis dederunt, dum utilitatem *tantilli* Juris gentium maximam prædicaverunt? an potius neceſſarium ſit Conſilium eorum, qui præſumptionis ac deceptioni jamjam factæ mederi, ac, ne deinceps fiat, monere incautos pro viribus ſatagunt? Illud alterum fecere multi Doctores heterodoxi, compendia Juris gentium innumera protrudentes tanquam neceſſaria. Poſtremum autem hoc facere conabor ego, vana eſſe tam ſpecioſa præmiſſa oſtendens: adſit modo numinis immenſi gratia, viresque tribuat nulla alia quam divini honoris & animarum cauſa ſcripturo.

14. Ergo

14. Ergo priore loco naturam Juris gentium illiusque ſtudium examinans liberare contendam à præcepta nimia opinione quarundam ſcholarum.

Tum quæ fere certi ſunt gentium juris, pauca utique illa, monſtrabo potius, quam ediſſeram. Quid enim proficerem multa diſſerens de certis?

15. Denique etiam incerta contingam. Ea vero longe ſunt plurima; eamque ob rem rurſus non ediſſerenda à me. Quidquid enim de his edixero, ex incertis certa ego non fecero. Opus id eſt non hominis in umbra degentis, non cujuscunque in quacunque ſchola Doctoris aut magiſtri; ſed gentium ipſarum, aut qui gentium loco ſunt, principum.

16. Erit, qui me naſo ſuſpendat adunco, ſugillans, egregium me præſtare Juris gentium Doctorem, qui incerta pleraque omnia jura nugans, cuilibet quod libet licere faciam.

17. Equidem Doctorem me juris non præſto: ſed quid juris hujus doctores vani venditent, denudo, bonum factum futurum exiſtimans, ſi his omnibus respublica Europæ careret.

18. Juri cerebrino anſam ego adeo non offero, ut exagitem Doctores, qui quamvis ratiocinationem ſuam haberi pro jure naturæ æque atque gentium contendunt.

19. At ego in plurimis, quæ inter gentes agitari ſolent, argumentis ac litibus plerumque utramque partem juſtè agere, adſeverare non dubito? idque cum adſevero, nemo exiſtimet, eodem ex ore calida me frigidaque proflare.

20. Neque hoc mihi inficiari novi quique Juris gentium Doctores poſſunt: quos ego ex ipſorum potiſſimum ore revinco. Quippe hi Jus gentium plerumque in ratione conſtituunt, & de plerisque capitibus decernunt ex ratione.

21. Hoc

21. Hoc jam quæritur: quæ ratio, aut cujus ex ingenio profecta rem controverſam decernet? Doctores ego tanti facio, ut mihi perſuadere de ipſorum modeſtia non patiar, ipſos *rationi SUÆ* vim illam decretoriam arrogaturos; nec credam unquam, petituros ipſos, ut Principes gentesque Dominæ Jus ſuum ponant in ingenio *paucorum* in ſchola cum pulvere rixantium.

22. Quid quod, ſi vel hoc ipſum admittatur, & in Grotii, Puffendorffii, Heineccii ac cæterorum *ratione* jus gentium ponatur, nihilo magis certa fient pleraque ejus juris capita: cum hi maxime inter ſe rationibus pugnent, prolixiorque inter ipſosmet ſit rationum, quam inter egregios populos mucronum pugna; adeo ut ratiocinandi libidine jus gentium longe, quam fuerit antea, reddiderint incertius. Cum ex apparente & arridente ſpecie iſtarum rationum multa hactenus in jure gentium fuerint à priſtino mutata & in aliam formam traducta: ſitque adeo metus, ne novationibus longius ſerpentibus, nihil plane certi deinceps ſuperſit. Cum enim novæ quotidie rationes excogitari à maxime otioſis poſſint, fieri poteſt, ut illarum ſpecie allecti homines novitatis ex ipſo naturæ vitio percupidi, illas novas rationes pro regula ſeu jure gentium aſſumendas exiſtiment. Quæ res ſingulis hominum ætatibus aliam pariet juris gentium faciem: magno utique humani generis detrimento: cui generi, de ſe nimis quam mutabili, non bene ſuccurritur per regulam in horas mutabilem & ipſam.

23. Quodſi Jus gentium repoſitum exiſtimatur in ratione *gentibus* inſita vel occurrente, nihilo plura nihiloque certius definientur Juris gentium capita. Nam nec eædem rationes quotidie omnibus gentibus, nec eædem eidem etiam genti placent. Unde conſequitur, ut toties à jure gentium recedendum ſit, quoties gentis ingenium colorem mutaverit. Imo nullum unquam erit, his ſuppoſitis jus gentium, quia perpetua demutatio ac viciſſitudo *Jus* ſive *regula rerum* tanti momenti eſſe non poteſt.

24. Nos vero, qui Jus gentium non ſeorſim in quovis ſenſu in *conſenſu* actuali gentium reponimus, & mutabilem quidem illum ſed non ita facilem dicimus, regulam dederimus, utut non ita multis caſibus congruentem

tem, certam tamen, & ſaltem diu permanentem. *Conſenſus* enim gentium ſemel multis rebus geſtis longaque obſervantia ſtabilitus, & patere omnibus facile poteſt, & non eſt mutatu facilis in alium ac diverſum *conſenſum*, ſicut mutabilis eſt ratio in aliam, eamque diverſam, imo contrariam rationem.

25. Denique qui me criminari volet, quod in gentium negotiis pleraque, licet contraria, utrinque tamen juſte fieri ſuſtineam, ob Juris gentium in multis incertitudinem; cum ego, qua par eſt modeſtia, rogitem, uti paucas lineolas infra Cap. II. Them. XVII. præſertim num. 4. exaratas, legere haud dedignetur. Jungatque forte & Caput IX. &c. Gundlingius quoque quærens, an decerni poſſit, quodnam bellum ſit juſtum aut injuſtum? reſpondet: In theoria, ſpeculative, & abſtracte fieri id poſſe: ſed ad rem cum ventum fuerit & ad applicandam regulam huic vel illi bello, *tum NIHIL decerni poteſt:* In diſcurſu, über das Natur- und Völcker-Recht.

26 Ad ultimum ei, qui tres de Jure libros hactenus à me Scriptos perlegere ſuſtinuerit, forte ſubibit mirari, cur Puffendorffium aliosque excutiendos ſumpſerim; de *Grotio* Juris naturæ ac gentium, ut ajunt, parente fere taceam?

27. His ego fatebor ingenue, lectum mihi Grotium de Jure Belli ac pacis nunquam fuiſſe, quod ego non ſocordia, neque ut aciei oculorum parcerem, ſane omiſi; ſed inſtituto plane meo. Forte enim fortuna mihi evenit, ut Puffendorffii aliique de hoc argumento libri in manus meas delaberentur antè quam Grotius. In his cum legerem, Grotium primum eſſe, qui Jus Naturæ ac Gentium in ordinem redegerit, videbatur mihi, ſi id verum eſſet; inde conſequi, neminem poſſe Jura Naturæ ordine tenere, niſi qui Grotio initiandum ſe præbuerit. At ego, qui mihi videbar ex antiquioribus non plane contemnenda Juris naturæ gentiumque fundamenta didiciſſe; in Grotii autem diſcipulis iſtis multa Juris naturæ ejusque ordinatæ inſtructioni adverſantia deprehendiſſe; Statui mecum ipſe, à legendo Grotio ſerio abſtinere. Neque cæteros deinceps legere ſuſtinui, quos principiis carere ſemel deprehenderam.

28. Multi hinc fluxere anni, quibus de legendo Jure naturæ ac gentium cogitabam admodum nihil: de ipſo autem

jure

jure naturæ ac gentium meditatione exquirendo frequentiſſima me urgebat & occaſio & neceſſitas, tum aliàs, tum quando hiſtoriarum & controverſiarum politicarum Eccleſiaſticarumque lectioni lucernam adhibui.

29. Nunc vero excitatus cauſis iis, quas in præfatione Juris naturæ indicavi, cœpi me huic ſcriptioni accingere, ſepoſito ſemper Grotii libro; non faſtu quidem meo, nec Grotii contemptu; quippe cujus alia eruditio & cognita mihi & lecta: ſed ſtudio experiundi, num ea lumina, quæ à majoribus & à noſtris doctoribus hauſeram, ad Jus naturæ ac gentium ſcribendum, etiam absque ullo Grotio, ſufficerent?

30. Quod ſi mihi ceſſit non dico feliciter, ſed mediocriter ſaltem; confirmor in ſententia mea: Grotium nec primum fuiſſe: & eodem Grotio mundum carere facile potuiſſe: & maxime doctores noſtros ipſos eſſe, à quibus ipſe etiam Grotius didicerit univerſa.

31. Sin ſecus id mihi evenit, promptus ſum ſapientiorum præceptis obtemperare.

32. Supereſt, ut noſtris etiam forte ſtomachoſis reſpondeam. Hi mihi dicent: Quid ad monachum Jura Gentium? *TRITHEMIUS* ille præclarus magiſter, Ordinem Benedictinum illuſtrem evaſiſſe agnoſcit, non negotiis gentium ſed *ſtudio Scripturarum*. At vero Scripturarum à me ſtudium inſuper habitum nunquam fuit, quantum & vires meæ ferebant, & quæ me circumſtabant. In hac quoque de Jure naturæ ac Gentium Scriptione erunt, qui mihi vitio vertent nimium in Scripturas ſtudium, quas utique à jure naturæ non eliminandas eſſe valde pugno. Sive ergo vincor, quod neutiquam exiſtimo, ſive vinco, nemo, opinor, jure me dicet negligentem & incurioſum ſtudii Scripturarum, neque adeo Ordini meo, inter Chriſtianos locum ſane aliquem habenti; neque ipſi Chriſtianæ rei etiam apud infideles & barbaros, nedum apud fideles dedecori me noxæque futurum confido. Quidquid id eſt, ſiquis etiam his mihi probabilioribus refragetur, nihil eſt ſuper., quam ut æquo animo feram ſingula: quod niſi Numinis beneficio me non poſſe fateor, ſemperque fatebor.

33. Cæterum ſtudium illud Scripturarum, quo ordini huic tantum ſplendoris & gratiæ fuiſſe conciliatum Trithemius

ELENCHUS

CAPUT I.

Quid qualeve ſit Jus Gentium.

Thema I. DEfinitio S. Iſidori declaratur. *pag.* 1
II. Jus Gentium ſupponit diviſionem rerum. 1
III. Diſtinctum eſt à Jure Naturæ, & ſuperadditum, hypotheticum, derivatum. 2
IV. Jus Gentium reducitur ad naturale, non contra. 2
V. Non conſtituitur *mero* conſenſu Gentium. 2
VI. J. G. Definitur proprie. 3
VII. Differt à Jure civili Univerſali. 3
VIII. à Jure Publico univerſali. 3
IX. Jus Gentium aliud *Poſſibile* aliud *Actuale*, bene notandum. 3
X. J. G. actuale triplex: Univerſale, minus generale, anguſtum. 4
XI. Quid ſit Juris Gentium actualis? eſt Quæſtio *Facti*. 4
XII. Facta non poſſunt demonſtrari à priori. 4
XIII. Igitur Jus gentium demonſtratur auctoritate. 4
XIV. J. G. Univerſale vix datur. 4
XV. Doctrina talis Univerſalis eſt inutilis. 4
XVI. J. G. minus Generale datur; ſed in paucis certum, & cur? 5
XVII. Jus Gentium peculiare datur, & eſt nonnihil certius. 6

CAPUT II.

Via breviſſima ad diſcendum Jus Gentium actuale.

Thema I. VIa breviſſima eſt recta. *pag.* 6
II. Recta eſt, cujus nullum punctum medium eſt extra directionem Principii & finis. 6
III. Principium & finis Juris Gentium quis? 6
VI. Via curva ad Jus Gentium actuale. 7
V. Jus gentium poſſibile ad quid ſerviat. 7
VI. Via recta ad Jus Gentium eſt Hiſtoria vera. 7
VII. Ex eadem diſcitur Juris G. Duratio. 7
R. P. Defing. Jus Gentium.
VIII. Germanus non diſcit Jus G. ex hiſtoria vetere Romana. 7
IX. Sed ex Patria & vicinorum. 7
X. Extraneæ hiſtoriæ juvant aliquid. 8
XI. Non diſcitur ex libris, qui multi ſcripti nuper ſunt de Jure Gentium. 8
XII. Ridiculum eſt illud in ſcholis diſcere eo modo, quo nunc diſci ſolet. 8
XIII. Quid poſſint prodeſſe compendia ſana? 8
XIV. Aliqui libri qui poſſunt prodeſſe ad Jus Gentium peculiare. Et qua re præterea opus? 8

XV. Experientia juncta ſtudio eſt bona dux. 9
XVI. Pauci ſunt callentes Juris Gentium. 9
XVII. Quid ergo proſint ſcholæ? 9
XVIII. Jus Publicum ſpeciale facilius diſcitur. 10
XIX. Hiſtoriæ abuſus in Jure Gentium vituperabilis eſt. 10
XX. Kippingius tamen hic fallitur. 11
XXI. Nec Jura Naturæ, Gentium ac publicum diſtinguit. 12
XXII. De eodem. 12
XXIII. De Jure & Facto imperite loquitur. 13
XXIV. Et male ratiocinatur. 14
XXV. An facta antiqua prævaleant novis? male diſcurrendo ſemet conficit. 14
XXVI. Imperitia ejus de Hiſtoria in Jus recepta. 15

CAPUT III.

De Prolegomenis aliis, deque Foro Juris Gentium.

Thema I. Quid? quotuplex Jus Gentium jam actum. *pag.* 16
II. Cauſa ejus efficiens. 16
III. Materia, & Formalis ratio. 16
IV. Finis. 16
V. Jus Gentium eſt mutabile. 16
VI. Omne Jus Controverſum indiget Judice & foro. 16
VII. Judicium eſt penes auctores juris & eorum locum tuentes. 16
VIII. Juris Gentium Judices ſunt ipſæ gentes. 17
IX. Non autem una ſola vel duæ. 17
X. Niſi reliquæ irrationabiliter diſſentirent. 17
XI. Gentes ſunt veri judices, circa quæ? 17
XII. An conſenſus gentium poſſit veſtiri exceptione? 17
XIII. Poteſt, ſed debet id etiam alias permittere. 17
XIV. Forma judicii Juris Gentium varia. 18
XV. Momenta decidendi in Foro Juris Gentium. 18
XVI. Majora ſuffragia locum non habent; 18
XVII. Niſi aliquo modo. 18
XVIII. Exceptio de vi ac metu an poſſit hic opponi? 19
XIX. Ad impediendam præſcriptionem poteſt opponi. 19
XX. Poſt reliquas hujus judicii formas poteſt adhiberi bellum ex *neceſſitate ſola.* 20
XXI. Forum Juris Gentium habet pœnas & coërcitiones. 20
XXII. Perſonæ hujus fori. 20

CAPUT IV.

De Jure Gentium certo, ac primo de Commercio.

Thema I. Jus gentium actualis *certi* ſunt valde pauca. *pag.* 20
II. Commercium quid ſit? 20
III. Fundatur in Jure naturæ, non tamen eſt abſoluti Juris naturæ, niſi in caſu. 20
IV. Modus commercii pendet ab eo qui acceditur. 21
V. Libertates in genere pro commerciis ſunt Juris Gentium, non in ſpecie. 21
VI. Quæ libertates uſitatæ? 21
VII. Onera pro libertatibus ferenda ſunt Juris Gentium. 21
VIII. Averſio periculi &c. eſt Juris Naturæ. 21
IX. In bello poſſunt Jure Gentium rumpi commercia. 21
X. Reliqua de Commerciis ſunt Juris Gentium incerti. 21

CA-

CAPUT V.

De Legatis.

Thema I. Legati negotioſi ſunt Juris Gentium certi *pag.* 22
II. Legationis Jus poſſunt acquirere etiam non liberi. 22
III. Majeſtatica legatio mittitur à ſolis liberis; Non tamen omnibus. 22
* Imperium Germanicum non eſt Status Irregularis ſed artificioſiſſimus. 22
IV. Ordines varii legatorum ſunt arbitrii. 23
V. Legatos admitti Juris Europæi certi eſt. Sunt tamen cauſæ eos repudiandi. 23
VI. Immunitas legatorum eſt Juris Gentium certi. 23
VII. Quanta ſit ea immunitas? eſt Juris incerti. 24
VIII. Legatus delinquens privatim ſubjacet Leganti. 24
IX. Delinquens in rempublicam poteſt coërceri; ſed moderate; quia hic multa incerta. 24

CAPUT VI.

De Fœderibus.

Thema I. Foedera ſanciri non eſt Jus naturæ, niſi ſuppoſita neceſſitate. *pag.* 24
II. Nec Juris Gentium, ſed meræ facultatis: niſi in hypotheſi. 24
III. Nec etiam bellum finiendum eſt ſpeciali pacis fœdere Jure G. 25
IV. Pacta ſervari non eſt J. G. ſed Naturæ. 25
V. Pacti natura eſt mutuus Conſenſus. 25
VI. Conſenſus metu extortus non obligat Jure Naturæ: ſed interdum Jure Gentium. 25
VII. In pacto utrinque transfertur aliquod Jus. 25
VIII. Pactum non eſt de re tertii Jure naturæ. 25
IX. Nec eſt neceſſe inſeri clauſulam: ſalvo Jure tertii. 25
X. An neceſſitas tribuat Jus paciſcendi de Jure tertii? videtur ad Jus Gentium pertinere. Exempla. 25
XI. Fraus in pactis eſt contra Jus Naturæ. 26
XII. Solertia conceſſa eſt ex cauſis aliquibus. 26
XIII. Paciſcens non obligatur corrigere negligentiam compaciſcentis. 26
XIV. Interpretatio pactorum pertinet ad paciſcentes: 26
In qua tamen multa incerti Juris. Ideo in pactis opus eſt Grammatico, Logico, Juris conſulto qui ſimul hiſtoricus ſit, & Theologus. 26
XV. Pacta infidelibus ſervari eſt J. Naturæ. 26
XVI. Pacta cum Tyranno certo ſunt incerti juris. 27
XVII. Pacta cum Captivo ſunt juris Gentium incerti. 27
XVIII. An infantia &c. excuſet à præſtatione Pactorum, eſt Juris Gentium incerti. 27
XIX. Enormis læſio pacta Jure naturæ irritat, jure Gentium dat reſtitutionem in integrum. 28
XX. Fœdera inæqualia ſine enormi læſione J. N. & Juris Gentium juſta. 28
XXI. Pignora, obſides ſunt Juris Gentium certi. Menſura horum incerta. 28
XXII. Pacta Jurejurando firmare minus jam uſitatum; quia nec addunt valorem pacto. Notatur ſententia de abſolutione Pontificis à juramento, D. B. ab Ikſtätt. 28
XXIII. Num una parte rupta totum fœdus rumpatur, eſt Juris incerti. 29
XXIV. Pactum de non paciſcendo ſeorſim, non ſemper obligat. 30

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Repreſſaliis, Retorſione Juris iniqui.

Thema I. QUid Repreſſaliæ? *pag.* 30
II. Sunt Juris Naturæ. 30
III Poſt media tamen alia adhibita; ſi poſſunt. 30
IV. Repreſſaliæ exercentur juſte in privatos etiam privatim innocentes. 30
V. Innocentes tamen privati poſſunt ſe defendere: cum cautela. 31
VI. Retorſio Juris iniqui eſt Juris naturæ. Ejus modus Juris gentium. 31
VII. Retorſio in poſteros innocentes an ſit juſta? 31

CAPUT VIII.

De Bello.

Thema I. BEllum à liberis geritur. *pag.* 32
II. Non eſt meræ facultatis. 32
III. Omnis actio moralis ſit bona per finem &c. 32
IV. Bellum ergo tanquam actio humana iisdem conditionibus eſt bonum aut malum. 32
V. Objectum belli de ſe eſt indifferens. 32
VI. Bellum non eſt ipſe finis. 32
VII. Belli finis malus is, qui à fine juris naturæ abludit, ut ambitio, invidia &c. 33
VIII. Duo tantum fines boni poſſibiles: Honor DEI, & conſervatio hominis ab injuria. 33
IX. Ad belli jura ſupponitur diviſio rerum. 33
X. Non tamen ſufficit bonus finis, ſed debet adeſſe *NECESSITAS.* 34
XI. Quæ æſtimatur ex variis concurrentibus. 34
XII. Excuſat ignorantia. Conſilia requirenda. 34
XIII. Bellum eſt negotium Theologicum, tam apud barbaros quam Chriſtianos. 34
XIV. Bellum offenſivum injuſtum. 35
XV. Bellum ad antevertendam injuriam eſt defenſivum. 35
XVI. Increſcens vicini potentia ùt poſſit eſſe cauſa juſta belli; 35
XVII. Modus in bello tenendus. 36
XVIII. Non eſt Juris Gentium bello *in infinitum* nocere, contra effatum multorum proteſtantium. 36
XIX. Niſi neceſſitas imperet. 36
XX. Quædam licita Jure naturæ ſunt illicita Jure Gentium. 36
XXI. Chriſtiani magis obligantur ad modum tenendum. Et falſo contrà prætexitur *Jus naturæ larvatum.* 36
XXII. Stratagemata ſunt Juris Gentium. 37
XXIII. Licitum eſt ſollicitare promiſſis ad deditionem. 37
XXIV. Mendacia ſerere illicitum: non autem paſſive ſe habere &c. 37
XXV. Belli indictio fuit Juris Gentium, nunc incertum. 37
XXVI. Pro altero bellum gerere quando eſt Juris naturæ? 37
XXVII. Dubium eſt, ſi pacta de non juvando præceſſere. 38
XXVIII. Fœdera nova ùt non præjudicent antiquis? 38
XXIX. Auxilia mitti ſine participio belli eſt Juris Gentium. 38
XXX. Barbarorum auxiliis uti num fas? 38
XXXI. Neutrarum partium Jus plerumque incertum. 38

CAPUT IX.

De Jure Gentium incerto, Primum de Renuntiationibus.

Thema I. JUra naturæ certa non ſunt incerti Juris Gentium. *pag.* 39
II. Jure naturæ indefinita poſſunt fieri Juris Gentium certi. 39
III. Si Conſenſus gentium certus eſt. *TRIA FUNDAMENTA* in Quæſtionibus gentium. 39
IV. Renuntiationes filiarum ſunt juris Gentium incerti ex *ſententia Doctorum* Gundlingii jactantia retuſa. 39
V. Incertæ apud Europæos, 41
VI. Et horum doctores celebres. 41
VII. Incertæ ſunt ex *Rationibus* 41
VIII. Incertæ ex ſenſu populorum. 41
IX. Objicitur. Sic omnes tractatus corruent: eſt ſophisma Gundlingii. 41

CAPUT X.

De Præſcriptione inter Gentes.

Thema I. QUid Præſcriptio explicatur late. Invitantur Naturaliſtæ, ut hæc componant ex *IPSA RATIONE*? *pag.* 42
II. Præſcriptio activa contra alterum non eſt præcepta Jure Naturæ. 44
III. Non eſt contraria Juri naturæ hypothetico. Eſt adeo *Juris Gentium poſſibilis.* 45
IV. Neceſſitas non facit præſcriptionem certi Juris Gentium. 45
V. Medium reſtitutionis non eſt ridiculum contra monachomaſtiges. 45
VI. Præſcriptio quomodo Juris Gentium dicatur in Corpore Juris. 46
VII. Præſcriptio eſt Juris Civilis, habens aliquid iniqui. 46
VIII. Præſcriptio non fit juris certi, quod multæ gentes eam allegârint. 46
IX. Variæ *rationes* cur præſcriptio non ſit Juris. 47
X. Præſcribi non poſſe Imperium ſummum ſentiunt *Doctores* Germani, Itali, Hiſpani. late. 48
XI. Kippingius novus propugnator Præſcriptionis. Contra ſeipſum pugnat. De antiquo & novo tempore hic attendendo. 52
XII. Regula Kippingii de Tempore intermedio ipſumet vulnerat. Infelicitas Kippingii in Jure Publico Germaniæ. Præ talibus non ſpernendi Publiciſtæ Catholici. 53
XIII. Non poteſt determinari tempus ad præſcriptionem inter gentes requiſitum. 54
XIV. Kippingius imperite exigit ſigna conſervati Juris antiqui. 54

CAPUT XI.

De Jure Decori, Convenientiæ.

Thema I. DEcorum non eſt ſimplex utilitas. *pag.* 56
II. Sed cum detrimento alterius. *pag.* 56
III. Quando juſte eo utantur? 57

IV.

IV. Sufficit *forte* Neceſſitas non extrema. Jure naturæ. 57
V. Jus Convenientiæ incertum eſt Jure Gentium. 57
VI. Detrimentum patiens quid debeat obſervare. 57
VII. Convenientiâ utens debet compenſare. 57

CAPUT XII.

De Jure Æquilibrii.

Thema I. QUid ſit? pag. 58
II. Eſt vetuſtiſſimum ſtudium gentium. 58
III. Videtur Juri naturæ conforme. 58
IV. Eſt Juris Gentium incerti quoad pleraque. 59
Concluſio. 60

CAPUT I.

CAPUT I.

QUID QUALEVE SIT JUS GENTIUM.

Definitio S. Iſidori boue, cum explicatione.

Thema I. Dictum S. Iſidori vulgo receptum, bonum eſt, ſed cum explicatione: nempe illud: *Jus Gentium eſt, quo omnes, aut fere omnes Gentes utuntur.*

Differt à jure Naturæ.

Nam I. Poſſet hoc ipſum trahi ad jus naturæ, quia etiam hoc jure omnes gentes utuntur. Unde quidam turbati noluerunt Jus gentium a jure naturæ diſtinguere: ex quo ſequebatur, omnem transgreſſionem juris naturæ eſſe contra jus gentium. Itaque fur domeſticus, homo temulentus, occulte iovidens vicini capellæ &c. Gentium jura turbarent, ſicut turbant legatorum interceptores, aut fraudatores mercatuum publicorum. Id quod neminem facile daturum puto.

Uſus Juris ſingularis.

2. *Uſus* juris apud gentes poteſt varie ſpectari. Nempe primo prout hic uſus in ipſa qualibet *ſingula* gente clauditur ac circumſcribitur. Sic v. g. in Germania utimur jure pactotum, & contractuum, emptionum, locationum, pœnis quoque variis. Sed, & Galli & Hiſpani & Itali, & Indi & Afri utuntur jure pactorum, pœnis &c. Igitur dici poſſet, pacta, emptiones, pœnas & ſimilia eſſe Juris Geotium; quia nempe hoc jure gentes omnes aut fere omoes uti noſcuntur. Et revera tali modo ac iotellectu pletumque ſumitur Jus Gentium apud Corpus Juris Juſtinianæi. Verum de hoc nobis non eſt jam ſermo, ſed de tali Jure Gentium, cui ſubjiectæ ſunt gentes plures etiam ut totæ & integræ: nam hæ leges contractuum aut pœnarum, quæ apud gentes valent, non ſunt tales, quibus integra gens pareat, ſed tantum ſingula ejus membra; cum tota gens poſſit tales leges mutare, ſicut eas potuit conſtituere. Verbo ſunt *Jus civile.*

Intelligitur in Corpore Juris.

Uſus juris communis.

3. Deinde uſus Juris apud gentes poteſt ſpectari tanquam *communis*, & inducens communionem inter gentes. Per ſupra dicta autem gentes non conſtituuntur in aliqua communione. Quamquam enim venditionibus utantur Indi ſicut nos Germani, nobis tamen nihil per hoc communioois cum illis eſt: & hæ leges *ſimiles* ſunt potius apud utroſque, quam utriſque *communes.*

In quo conſiſtit Jus Gentium.

4. Jus ergo Gentium tale nos intelligimus, quo gens altera cum altera certis regulis & obligationibus *connectitur* & *in communionem* venit. Sive quo utuntur gentes *inter ſeſe.* Hinc poteſt dari *unum* jus gentium ſecundum hunc poſteriorem ſenſum etiam ibi, ubi jura gentium ſecundum prius explicatum ſenſum ſunt diverſa & diſcrepantia. Exemplo ſint incolæ inſulæ Thules vel Atlantidis, & Carthaginenſes. Apud Carthaginenſes valebat emptio & res pecuniaria: apud illos populos non valebat, ſed ſola vigebat permutatio mercium: & tamen inter utroſque hos vigebat aliquod unum Jus gentium ipſis commune. Quod illud? hoc: Carthaginenſes ſi vellent cum Thuleoſibus illis communicare, tenebantur ſine pecunia mercari: & Thulenſes, ſi voluiſſent Carthaginem mercandi cauſa navigare, tenebantur pecuniam, noo meras merces accipere, alias ad mercatum non admitttendi.

Jus Gentium ſupponit diviſionem bonorum.

Thema II. Jus Gentium ſupponit, genus humanum diviſum eſſe in plures *communitates*, quæ aliqua jura à ceteris communitatibus *ſeparata* habeaot, in aliis autem juribus cum illis *communicant.* Supponitque adeo *diviſionem* bonorum.

Probatur.

1. Nam ſi non eſſet diviſio gentium non poſſet dici *Jus Gentium*, ſed *Jus Generis humani.*

Item ſi omnis terra omnibus gentibus etiam diviſis eſſet communis, ita ut quilibet tantundem juris haberet in quamlibet terræ partem; hoc caſu eſſet *perfectiſſimum* Jus Gentium, quia perfectiſſima communicatio. Sed non eſſet Jus Gentium *modernum*. Imo eſt imaginarium tantum & Utopicum.

J. Gentium eſt ſuperadditum Juri Naturæ.

Thema III. Jus Gentium non eſt *nudum* Jus naturæ, ſed diſtinctum, ſuperadditum & hypotheticum: derivatum tamen ab illo.

1. Id partim Them. I. num. 1. jam indicavimus.

Quomodo differat à J. Naturæ.

2. Jus Gentium, teſte experientia, eſt mutabile, & pendens à libero hominum conſenſu. Contrà jus naturæ immutabile. Vid. *Jus naturæ* Cap. VII. Them. VIII.

Jus gentium poteſt ceſſare.

3. Jus naturæ convenit omni ſtatui hominis, & quamdiu humana natura durat. Jus Gentium ceſſante diviſione gentium ceſſat, licet ſubſiſtente adhuc natura.

Eſt tantum hypotheticum, voluntarium.

4. *Hypoteticum* autem eſt jus Gentium, quia convenit ſtatui *tantum* hypothetico, ſeu tali, qui accedente hominum facto eſt inſtitutus. Vid. *Larva detracta* Cap. I. Them. IV. XIII. & Cap. II. Them. XXIX. &c.

Non enim cum natura ipſa humana inſtituta eſt gentium diviſio & communicatio; ſed homines variis cauſis exiſtentibus ſeſe disjunxerunt, & iterum conjunxerunt. Idque etiamnum hodie fit. Ita non naturâ Germani, non natura Perſæ, non natura Hiſpani fiunt: ſed natura homines facit, voluntas & inſtitutum Hiſpanos facit, aut Germanos: aliàs omnes Galli, omnes Hiſpani Germanique eſſent, quod omnes habeant naturam humanam.

Eſt derivatum à J. N. æterno.

5. Jus Gentium eſt à Jure naturæ derivatum: & quidem à jure naturæ *æterno* ac divino ideo, quia impoſſibile eſt dari jus participatum, creatum, quod non proficiſcatur à jure primo, increato. A jure etiam naturæ *participato*, ſive à dictamine rectæ rationis derivatur Jus gentium ideo, quia quod eſt ſtolidum non poteſt eſſe regula hominum aut gentium tanquam creaturarum rationalium. Quod autem à recta ratione, ſeu jure naturali *participato*, non derivatur, illud ſtolidum eſt. Igitur ſtolidum eſſet Jus Gentium niſi à Jure naturæ quomodocunque vere ſumpto derivaretur. De Jure naturæ imparticipato ac participato Vid. *Larva detracta* Cap. II. Them. XII. XVI. & *Jus naturæ* Cap. VII. Them. VIII. & IX. De derivatione jurium ac legum humanarum ex Jure naturæ Vid. *S. Thomas* 1. II. Qu. CXCV. art. II. & IV.

Atque à J N. participato.

Ju. Gentium reducitur ad J. N. Non viciſſim

Thema IV. Omnia quæ ſunt Juris Gentium tam actualis quam poſſibilis, reducuntur ad Jus naturæ tanquam cauſam & principium primum ſeu remotum. Sed non viciſſim omnia, quæ juris naturæ ſunt, ſunt etiam Juris gentium actualis.

Probatur i mum.

1. Prima pars ſequitur ex themate præcedente num. 4. A quo enim aliquid derivatur, ut Jus Gentium à jure naturæ, ad illud etiam reducitur.

Prob. adum.

2. Pars altera ex ipſa objecti natura ſequitur. Nam *officia Juris naturæ* v. g. *erga ſeipſum* directe non ſunt juris gentium, quia non ſpectant communicationem & ſocietatem gentium inter ſe.

Objectio.

3. Neque dicas: ad Jus gentium pertinet, ne altera gens alteram impediat in officiis his erga ſeſe & DEUM: ergo omnia Juris naturæ officia pertinent ad Jus gentium.

Reſpon.

4. ℟. Conſecutionem eſſe falſam. Imo potius eſt juris *naturæ* non juris gentium, ne alter alterum in jure naturæ impediat. Et ſi gentes inter ſe conſentiunt de non impediendo talia, jus & obligatio talis vim non ſortitur ex conſenſu gentium, ſed immediate ex jure naturæ. Quia tametſi non conſentirent, nihilominus obligarentur.

5. Thematis hujus pars ſecunda etiam alio argumento clara eſt. Eodem enim modo res habet in jure civili. Omnia, quæ ſunt juris civilis, debent eſſe juri naturæ obnoxia & ad illud contendere: at non viciſſim omnia quæ ſunt Juris naturæ, ſtatim ſunt jure cicili præcepta aut præcipienda: quia ad præceptum civile conſtituendum ultra jus naturæ debet accedere juſſus civitatis aut ſuperioris, tanquam cauſa proxima. Sic etiam ut Jus gentium fiat, cauſa proxima eſt Conſenſus gentium.

J. Gent. non fit *mero* arbitrio gentium.

Thema V. Jus Gentium non conſtituitur *mero* conſenſu & arbitrio gentium.

1. Aliàs ubicunque adeſſet conſenſus & tale arbitrium, ibi eſſet Jus gentium. Ut ſi gentes conſentiunt, ne ſe mutuo impediant ab exercenda idololatria, veneficiis, anthropophagia, aliisque criminibus.

Sed *Circumſcripto* per Jus naturæ.

2. Itaque ut conſenſus gentium fundet Jus gentium debet eſſe in tali materia, quæ ſubſtat arbitrio gentium, quæque non ſit aliter regulata per Jura altiora, hoc eſt per Jus naturæ ac divinum poſitivum.

Them.

Definitio Juris Gentium.

Thema VI. Jus Gentium eſt REGULA SOCIETATIS PUBLICÆ GENTIUM, conſenſu gentium accepta, conformiter altiori juri.

Regula ſocietatis publicæ Gentium.

1. Sequitur ex omnibus hactenus dictis. Eſt enim Jus gentium *regula ſocietatis* non in una gente clauſæ, ſed inter plures gentes conſtituendæ aut tuendæ. Them. I. num. 2. ſeq

Conſenſu gentium accepta.

2. Eſt *conſenſu gentium accepta.* Jus enim Gentium non eſt ipſum jus naturæ, atque adeo non neceſſario ligat gentes, ſed ex ſuppoſito, quod ſocietatem ſpecialem inter ſe excercere velint. Them. III. Igitur liberum eſt gentibus ſocietati præſcribere tales regulas vel tales: atque adeo hæ dependent à conſenſu gentium, eoque non exiſtente non exiſtunt actu hæ regulæ. Sicut Jura Civilia conſtituuntur conſenſu civitatis. Nam in Jure gentium Legislator unus vix aut plane non invenitur, ſicut Invenitur in civilibus.

Conformiter altiori Juri.

3. Conformari autem debent hæ regulæ Juri altiori, nempe Divino naturali, & divino poſitivo. Quia alias non eſſent proprie juſtæ; cum nullum ſit juſtum ſecundum, quod non oriatur ex primo.

J. G. differt à Jure Civili univerſali.

Thema VII. Jus Gentium diſtinguitur à Jure civili etiam univerſali ſeu abſtracto,

Quid Jus Civile ſpeciale?

1. Jus civile ſpeciale eſt, quod una aliqua civitas inſtituit ad dirigenda ſua membra. Ut Jus Romanum, Jus Bavaricum, Saxonicum.

Quid Univerſale?

2. Jus civile *Univerſale* eſt modulus aliquis, ſecundum quem omnes civitates utiliter conſtitui poſſent, ſi vellent; qui tamen modulus fortaſſe in nulla civitate actu receptus de integro eſt. Tale jus Civile univerſale eſt reſpublica Platonis, Politica Ariſtotelis, Utopia Mori, Leges Ciceronis.

3. Ab hoc diſtinguitur Jus Gentium; quia tale jus civile per ſe tantum ſpectat negotia civium inter ſeſe, non negotia gentium inter ipſas.

Jus Gentium differt à J. Pub. Univerſali,

Thema VIII. Jus gentium diſtinguitur à Jure publico etiam univerſali.

Quid Jus Publicum ſpeciale?

1. *Jus Publicum ſpeciale* eſt illa regula, ſecundum quam ordinantur membra civitatis unius ad ſtatum publicum totius civitatis, ut munera publica imperantium & parentium in eadem civitate. e. g. in Imperio Germanico munera Imperatoris, Vicariorum Electorum, Comitiorum &c.

Quid Jus Publ. Univerſale?

2. *Jus Publicum Univerſale* & abſtractum eſt formula aliqua excogitata, ſecundum quam quælibet civitas poſſet ſuum ſtatum publicum ordinare, ſi vellet. Talis formula partim occurrit in Platone, Ariſtotele, Cicerone, & in multis novis auctoribus, cumprimis elegans in Franciſci SCHMIER Univerſitatis Salisburgenſis Rectoris Juriſprudentia Publica Univerſali. Quamquam forte nulla ab gente talis formula ex toto ſit recepta.

3. Equidem in Jure Publico etiam ſpeciali multa occurrunt, quæ de ſe ſint materia juris Gentium; quæ tamen non per hoc ſtatim fiunt juris Gentium, quod in tali jure publico ponatur: ſed tum demum fiunt juris gentium, ſi conſenſu aliarum gentium acquirent formam ac vim regulæ inter plures gentes communis.

Exemplum differentiæ Gentium à J. Pub.

4. Exemplum. Si Japonenſes ſtatuunt, nullum exterum etiam legatum eſſe in ipſorum ditionem admittendum: Hoc ſtatutum eſt Juris ipſorum publici. At Juris gentium non eſt niſi gentes aliæ acquieſcant, ac tacite ſeſe ad idem obligent.

Objectio.

5. Inquies: Ergo ceteræ gentes poſſunt Japoniam cogere, ut legatos admittant? ℞. Hoc non ſequi: ſed hoc tantum ſequitur, ceteras gentes non teneri hoc ſtatuto Japonenſium. Sicut in adagio eruditorum dicitur, ſtatuta Sorbonæ ultra Sequanam non extendi. Ex quo non ſequitur, Sorbonam à cis-ſequanenſibus cogi poſſe ad decreta ſua mutanda: ſed tantum ſequitur, decreta Sorbonica non eſſe univerſalia, nec aliis gentibus doctis de ſe communia.

Eſt extra rem.

6. De hoc autem, an una gens ab aliis cogi poſſit ad quædam officia ſocietatis admittenda vel etiam præſtanda, alibi redibit quæſtio; neque ea eſt hujus loci.

Jus Gentium diverſimode.

Thema IX. Jus Gentium poteſt conſiderari aut ut *Poſſibile*, aut ut *Actuale* & de facto exiſtens. Eamque diſtinctionem ad vitandas multas confuſiones, & ad utilitatem hujus ſtudii accurate notandam exiſtimamus.

Aliud Poſſibile.

1. *JUS GENTIUM POSSIBILE* vel *abſtractum* dico illas omnes regulas, quæ poſſunt, accedente Gentium conſenſu, accipi pro realibus regulis ſocietatum gentilium; abſtrahendo ab hoc, an ſint actu receptæ ab pluribus vel omnibus gentibus. Et hoc modo omnia ſocialia quæ Juri divino naturali ac poſitivo conformia ſunt, poſſunt fieri regula Societatis, ſive ſunt Juris Gentium *poſſibilis* & abſtracti. Ex gr. ut fœdera ſolo ſcripto, aut ſola voce ſanciantur: ut legati exteri non-ſed tantum literæ admittantur: ut mercatus

ſola pecunia, aut ſolis permutationibus exerceantur: ut bellum diu ante indicatur, vel ut ſero tantum, aut plane non. Contrà Juris gentium poſſibilis non eſt ut injuſte læſo non ſatis fiat; ut religio falſa inducatur. Quod enim eſt contra Jus primum & originarium, in jure derivato eſt moraliter impoſſibile. Sicut in rerum natura quod eſſet contra cauſam primam, eſſet phyſice impoſſibile.

Jus Gentium Actuale.

2. *JUS GENTIUM ACTUALE* ſunt iſtæ regulæ ſociales, quæ Gentium conſenſu *re ipſa* conſtitutæ ſunt.

3. Exempla talis Juris actualis afferre non admodum facile eſt, quod ex ſequentibus apparebit.

Jus Gentium Actuale Triplex eſt.

Thema X. Jus Gentium actuale poteſt eſſe triplicis extenſionis. Nempe vel *Univerſale* ſeu commune omnium gentium: vel *Generale* ſeu commune multarum gentium: vel *Circumſcriptum*, anguſtum aut peculiare aliquot tantum gentium. Quod iterum ad errores vitandos probe eſt notandum.

Univerſale.

1. *Uuniverſale* & ampliſſimum jus Gentium eſſet regula ſocietatis, omnium gentium arbitrio & conſenſu conſtituta.

Minus univerſale

2. Minus *generale* eſſet regula ſocialis, in quam permultæ gentes conſpirarunt.

Anguſtius.

3. *Anguſtius* Jus Gentium eſt regula, in quam actu paucæ aliquot gentes conſpirarunt.

Quid ſit Juris Gentium *actualis*, eſt Quæſtio *facti*.

Thema XI. An hoc vel illud ſit Juris gentium actualis, ſive an ſit actu regula, plurium vel omnium gentium conſenſu poſita, eſt *QUÆSTIO FACTI.*

Sicut, an ſervitus ſtillicidii, tignl &c. ſit Juris Romani aut Bavarici aut Saxonici, eſt quæſtio facti. Quæritur enim, an legislatores Romani, Boji, Saxones de facto poſuerint talem legem vel regulam? Et hoc facto nullibi oſtenſo, non poteſt affirmari, ſtillicidium eſſe Juris Romani, Boici &c. multo minus omnium gentium, aut multarum.

Facta non poſſunt Ratione intrinſeca demonſtrari à priori.

Thema XII. Facta non poſſunt ratione demonſtrari à priori: ſed à poſteriori, id eſt per effectus: item per probationes extrinſecas, teſtes, tabulas &c.

Quid demonſtratio à Priori?

1. A priori demonſtratur aliquid per oſtenſionem cauſæ antecedentis, & per oſtenſionem, quod hæc cauſa ſit cauſa hujus effectus. Et tales demonſtrationes in tota rerum natura forte pauciſſimæ ſunt, ut formidem afferre exempla. Jam cauſam, cur gentes in hanc illamve regulam conſenſerint, afferre difficillimum eſt; aut etiam impoſſibile eſt oſtendere, hac maxime cauſa motum fuiſſe conſenſum populorum. Potius omnia talia præſumptionibus, ſuſpicionibus, opinationibus plena ſunt. Igitur moraliter impoſſibile duco, Jus Gentium actuale demonſtrare per rationem à priori. Et illi qui tales demonſtrationes promittunt (ut quidam præfidentes) aut tradunt Jus gentium tantum *poſſibile*; aut illud pro actuali vendentes decipiuntur ac decipiunt.

Demonſtratio à poſteriori.

2. A poſteriorl demonſtratur aliquid, quando effectus ſunt certi, & præterea certum eſt, illos effectus non potuiſſe niſi à tali vel tali cauſa proficiſci. Hac ratione an demonſtrabile ſit Jus Gentium, non auſim decernere. Neque videtur utile fore ſi his inquiſitionibus immoretur ſive juventus in ſcholis, ſive ſenatus in curiis. Et tota hæc demonſtratio in his moralibus nihilominus ad probationes extrinſecas devolveretur. Nimirum, quod gentes in legatorum v. g. immunitatem tanquam regulam obligatoriam conſenſerint, idque in *effectu* obſervetur, unde mihi conſtabit, niſi ex teſtimonio tabularum conſcriptarum? ex ore eorum, qui interfuerunt? aut ex relationibus fide dignorum hiſtoricorum? denique ex *auctoritate*, non ex ratione intrinſeca?

An conveniat Juri Gent. actuali?

Quæſtio eſt inutilis.

Reducenda ad auctoritatem.

Jus gentium demonſtratur moraliter, auctoritate.

Them. XIII. Igitur Jus gentium actuale non demonſtratur ratione: ſed morali probatione per auctoritatem aſſeritur.

Sequitur ex antecedentibus.

Jus Gentium actuale Univerſale non exiſtere prob.

Them. XIV. Jus Gentium *actuale Univerſale* omnium gentium non videtur exiſtere.

1. Qula nec omnes gentes notæ ſunt nobis. Nec cum omnibus omnes communicant. Nec adeo conſtat de omnium conſenſu in aliquas regulas ſociales, qui conſenſus eſt ipſa forma juris gentium. Forma autem non exiſtente non exiſtit res.

Ejus exiſtentia nequit probari.

2. Et ſi forte darur tale jus univerſale, non tamen poteſt probari ejus exiſtentia. Quod donec fiat, gratis aſſeritur. Ubi enim eſt ille, qui omnium gentium uſus, eorumque conſenſum intelligit?

Doctrina Juris Gent. *Univerſalis* eſt inutilis & poteſt eſſe noxia.

Them. XV. Doctrina Juris Gentium univerſalis tam actualis, quam poſſibilis inutilis eſt & ſcholis & aulis; imo noxia eſſe poteſt.

1. Si docetur Jus poſſibile, ſive congruentiæ aliquæ, cur hoc aut illud poſſit à gentibus pro regula accipi, per hoc non diſcitur in ſchola id quod quæritur in ea. Iu ſchola enim morali quærimus de omni jure inſtrui practice, & ſic, *ut illud viget & eſt exercendum.*

per

per tales autem ſpeculativas congruentias in Theſi generali expoſitas, non diſco jus practice vigens, igitur per tales non diſco id quod quæro. Quamobrem talis doctrina ſcholis eſt inutilis.

Et Aulis.

2. Eadem ratione talis doctrina eſt inutilis aulis. Aulæ enim & gentium curiæ cum de jure gentium quæſtiones incidunt, non id jam quærunt, quæ nam regulæ ſint poſſibiles, ſed quæ extent & huc quadrent?

Noxia poteſt eſſe ſcholis.

3. In ſcholis ſemper *noxium* eſt multum tractare ea, quæ vitæ *inutilia* ſunt. quocirca, cum Jus gentium, quale dictum eſt, ſit vitæ inutile, erit ſcholis noxium, & tempus utilioribus dandum ſine fructu decoquet.

Et aulis

4. Aulis poteſt eſſe *noxium*; quia poteſt fieri, ut Principes aut conſiliarii Theſibus generalibus multum imbuti ac præoccupati hypotheſes negligant, & inclinentur ad ſententiam de jure gentium dicendam ex theſi, cum deberent eam repetere ex hypotheſi. Sive pro eo, quod deberent adſerere hoc *poſſe eſſe* juris gentium, fieri poteſt, ut aſſerant, hoc *reipſa eſſe* juris gentium & obligatorium. Qui non levis in jure dicundo error eſt. Ut ſi quis prætor ex congruentia legum Ciceronis judicet hoc vel illud eſſe Juris Romani, quod tamen à Romanis decretum minime fuit.

Experientia. Hoc ſtudium plus nocuit publico.

5. Profecto ſiquis ſcripta politica, quæ inter gentes Europæ circa Jus Gentium à centum fere annis diſſeminata ſunt, attentius relegat, inveniet iſtud peccatum nimis quam frequenter peccari. Sæpe numero allata aliqua ex jure naturæ, aut ex rationis congruentia *Theſi*, concluditur magnis clamoribus, violatum eſſe in *hypotheſi* Jus gentium. Quibus vocibus, æqui juſtique ſpeciem obtinentibus, populi ad internecina odia incenduntur, facilius intermoritura, ſi mundus ſufflonibus iſtis careret. Sufflones autem non aliunde magis naſcuntur, quam ex hoc Juris naturæ ac Gentium, quem diximus, abuſu: cum homines generalibus abſtractisque ideis turgentes, realium inanes proclives ſunt ad ferendam de populorum juribus ſententiam. Equidem nunquam deſuerunt hujus etiam rei exempla; ſed nunquam tot ac tanta, quot quantaque ex eo tempore quo Juris hujus ſpeculativi Cacoëthes invaſit multas Germaniæ ſcholas. Unde etiam videmus in iis provinciis ac regnis minus talium judiciorum procudi, in quibus ſcholæ ab hac ſpeculativa Juris Gentium ſcientia feriantur.

Hoc ſtudio lites publicæ non minuuntur ſed augentur.

6. Aulis populisque hæc res etiam hinc nocet, quod litigiorum ſeges per ea non minuitur ſed immenſum augetur. Gentium enim jura formantur à tot hominibus ex ſuo cujusque capite, ingenio, ac prætenſa ratione. Ex quo acuitur ſtudium inveniendi novas rationes, quibus elidantur veteres ac receptæ: creſcit ardor vincendi rationibus, quod auctoritate vinci non poteſt. Nam *Qui velit ingenio cedere nullus erit.* Itaque fit, ut quæ auctoritate & conſenſu gentium dudum habebantur certa ac definita, exſculptis de novo ratiunculis primum revocentur in dubium à paucis: hi pauci doctores ſe ſtatuunt plurium: diſcipuli admoventur aut iterum ad docendum, aut ad exercendum jura gentium? Et cum in ſcholis didicerint vetera impugnare etiam gentium placita, facile ipſi delabuntur ad rejicienda etiam magiſtrorum ſuorum dogmata & alia rurſus nova ſeu excogitanda ſeu amplectenda. Quæ res mundum publicum adeo ſui diſſimilem facit, ut ſi vel avi noſtri è tumulis reſurgerent, velut in alterum quendam terrarum orbem delati ſibi viderentur.

Jus Gentium minus Generale datur: ſed pauca id eo certa.

Them. XVI. Jus gentium ſecundi generis ſive *generale* ſaltem multarum gentium datur. Sed paucis certis concluſionibus conſtans, plerisque controverſis.

Datur tale Jus.

1. Dari tale jus docet experientia, multæ enim gentes illud allegant, & profitentur ſe ſecundum illud communicare cum aliis velle. Ad illud provocant in contractibus ſuis, in litigiis publicis, & ſecundum illud fœdera ſua faciunt ac interpretantur.

Pauca in eo certa eſſe, probatur.

2. Paucæ vero ſunt certæ ac firmæ hujus Juris regulæ: id quod hoc ipſo opere latius apparebit. Plurimas eſſe etiamnum ac olim controverſas, apparet tum ex concatenatis bellis populorum ob contrariam ſententiam ſuſceptis, ubi quisque populus dicit Jus gentium militare pro ſe. Tum etiam ex libris & ſchedis innumeris hac ſuper re ſcriptis, quæ in paucis ita concordant, ut nullus certamini locus relinquatur.

Cauſæ incertitudinis 1ma quia eſt conſuetudinarium.

3. Ejus rei plures ſunt cauſæ: quarum facile prima hæc eſt, quod Jus gentium non ſit plerumque Jus ſcriptum, ſed conſuetudinarium. Conſuetudo introducitur per facta hominum *ſimilia* & utrinque *voluntaria*. Jam in multis etiam hominum factis multa eſſe ſolet diſſimilitudo, juxta proverbium: *Duo cum faciunt idem, non eſt idem.* Ubicunque ergo diſſimilitudinem aliquis reperit, credit ſibi adeſſe legitimam exceptionem contra conſuetudinem etiam alias receptam. Unde patet, id ipſum, quod in jure civili aliquo modo prodeſt ad minuendas lites, in jure gentium obeſſe

eſſe. In jure civili receptum eſt, *Non exemplis ſed legibus judicandum eſſe*: Contra in jure gentium fixum eſt, exemplis *ſimilibus* ac *liberis* eſſe judicandum. id quod, ut dixi, lites non minuit, ſed plerumque adauget. Et ſi leges ſcriptæ etiam clariſſimæ difficultatem tamen non raro habent in applicatione aut modo applicandi, eadem difficultas in Jure gentium longe eſt major. Leges enim in codicibus jacent totæ ac nudæ & ſemper ſunt juvenes: exempla autem & conſuetudines ſæpe veteraſcunt: ſæpe truncata ad noſtram memoriam propagantur, ita ut in aliquibus nobis quidem conſtet de facto de facti autem motivis, de ejus modo, circumſtantiis, antecedentibus, conſequentibus, adjunctis, aliis parum aut nihil ſit notum. At hæc tamen erant anima quaſi facti in exemplum & regulam trahendi.

Adde quòd probatur tantùm Teſtibus, qui ſunt ſæpe ſuſpecti.

4. Alterum penu controverſiarum eſt, quod Jus gentium teſtibus ſolum probetur, ut ſupra Them. XI. ſeqq. oſtendimus. Teſtes autem tales ſunt hiſtorici & aliæ ab ipſis ſæpe aulis editæ ſchedæ, inſtructiones legatis datæ, & aliæ ſic dictæ *Memoriæ* ac negotiationes. Hæc vero omnia horumque ſimilia admodum lubrica ſunt. Hiſtorici enim pauciſſimi res ipſas ad fundum notas habent: aut ſunt partibus addicti: aut etiam aularum ſtudio mutilantur eorum ſcripta. Aulæ nullius rei magis ſollicitæ eſſe ſolent, quam arcani conſilii ac motivorum, quibus aguntur illæ machinæ, Ex quo quid ſequatur facile exiſtimaverit rerum expertus, nos ob Principum reverentiam manum abſtinemus: monemusque tyrones, ne ſi ſani politici juſtique fieri volunt, capi ſe patiantur exemplis ac doctrinis multorum, qui atrociter graſſantur in nationes & aulas, velut earum dictatores eſſent, & omnium arcanorum participes. Quo in genere quidam heterodoxi adeo ſunt, ut mirari ſit patientiam principum, eorumque talibus ſchedis ſi non impertita, falſam præfixa privilegia.

Jus Gentium Anguſtum ſeu *Peculiare*

Them. XVII. Jus *peculiare* gentium certarum datur, & eſt certius quodammodo, quam duo illa priora generalia.

Datur.

1. Exempli cauſa dantur regulæ ſociales vigentes inter gentes Chriſtianas, quæ inter non Chriſtianas non vigent. Unde recte optavit Leibnizius, conſcribi Jus naturæ & Gentium Chriſtianarum. Vid. *Larva detracta*.

Et hoc eſt Certius.

2. Illudque jus quodammodo certius eſſe dixi; quia exiſtit inter gentes tales, quibus frequentior intercedit neceſſitudo. In frequentioribus autem actibus minus poteſt latere verum: minus in oblivionem abire quod initio placuit. Et inter tales ſæpe ſcripta accedunt fœdera, quibus placita illa firmantur, & explicantur.

Quodammodo tantum.

3. Dixi, *quodammodo* eſſe certius, abſolute tamen adfirmare non auſim. Quippe ſi omnino certiores regulæ eſſent vicinorum, pacatiora eſſent inter ipſos omnia, quod contra videmus accidere, ut fere ſoli confines certent plurimum. Quamquam ea certamina non regularum lubricitati, ſed cupiditati forte & inquieti humanæ ſint adſcribenda. Quemadmodum divinis legibus cum nihil ſit evidentius, eæ tamen longe frequentius à mortalibus nobis perrumpuntur, quam ipſæ humanæ.

CAPUT II.

Via breviſſima ad diſcendum Jus Gentium actuale.

Via recta breviſſima eſt.

Them. I. Via breviſſima eſt recta.

Thema hoc mathematicum eſt, quidquid enim ad latus alterutrum declinatur, anfractus eſt & adventum retardat.

Recta via eſt nos omnia media ſunt principio ac fini correſpondentia.

Them. II. Recta via eſt, quæ per nullum punctum medii tranſit, ſitum extra naturam ac directionem principii ac finis.

Principium Juris Gentium remotum eſt Jus Naturæ

Proximum eſt Conſenſus gentium

Them. III. Principium remotum Juris Gentium eſt Jus Naturæ; Proximum & formale eſt Conſenſus gentium: Finis autem proximus Juris gentium eſt bonum ſocietatis quietæ gentium; remotus eſt idem qui juris naturæ, nempe beatitudo humana. Quidquid ergo ſitum eſt intra hanc lineam, eſt in via recta Juris gentium *poſſibilis*.

Finis proximus Societas gentium

Ultimus idem qui Juris naturæ.

1. Cetera in ſuperioribus jam adſerta ſunt. Finem autem proximum Juris gentium eſſe hunc quem diximus, aſſeremus Cap. III.

Probatur finis ultimus Juris Gentium.

2. Finem deinde remotum Juris Gentium eundem eſſe cum fine Juris naturæ, conſtat. Jus enim gentium derivatur à na-

à naturali, eique ſubordinatur. Cap. I. Them. III. ſeq. At omnia ſubordinata per hoc ſubordinantur, quod ab altiore dirigantur ad eundem finem. Ut architectus ſubordinat ad ſuum finem, qui eſt domus commoda, omnes fabros & artifices.

Quis intelligat Jus Gentium *Poſſibile*.

3. Quisquis igitur intra hæc conſiſtit, & intelligit ea, quæ ex Jure naturæ ſumpta & ad ſocietatem gentium ita idonea ſunt, ut à fine naturæ non abludant: Is recte didicit *Jus Gentium POSSIBILE*, Poſſibile inquam, quia hæc omnia ſciens, ſcit tantum ea, ex quibus *poteſt fieri* actu Jus naturæ.

Via curva ad Jus gentium *actuale*.

Them. IV. Eadem tamen via non eſt recta ſed anfractuoſa, ſi ea inſtituatur ad intelligendum jus gentium *actuale*.

Declaratur exemplo.

1. Rem primum in alio exemplo declaros. Jus Civile Romanum haud dubie à Jure naturæ tanquam principio remoto proficiſcitur; à voluntate vero Romanorum tanquam à principio ſormali proximo ac diſtinctivo; item finem proximum habet ſalutem reipublicæ ac civium Romanorum; remotum autem finem eundem quem jus naturæ. Unde ſiquis calleat omnia illa ex jure naturæ, quæ ad finem hunc Romanorum idonea ſunt, is tantum didicit Jus Romanum poſſibile aliquod: & tale, quale potuiſſent conſtituere Romani. Nondum autem ſcit Jus ipſum actuale Romanum. Ita in noſtro exemplo Juris Gentium uſuvenit.

Ratio datur.

2. Ratio autem hæc eſt. Ea, quæ natura non determinavit; ſed relicta ſunt libero hominum arbitrio, non determinantur nec actualitatem acquirunt ante libertatis hujus applicationem, exercitium & determinationem; ut, ſi liberum homini relictum eſſet, an velit obligari ad ſervitutem DEI, non poſſet nobis conſtare de hac obligatione ac Jure, niſi conſtaret de liberi arbitrii determinatione, ad hoc ſacta.

Ex eo, quod quid ſit *idoneum*. ad ſocietatem nondum infertur eſſe juris gentium actualis.

3. Inter innumera autem *idonea* ad ſocietarem gentium pleraque omnia relicta ſunt libero arbitrio gentium, ſicut ipſa etiam ſocietas eidem arbitrio relicta eſt. Igitur per hoc, quod aliquid agnoſcatur *idoneum* ad ſocietatem gentium, nondum conſtat, illud eſſe *actu* Juris gentium.

Multa libero gentium arbitrio relicta ſunt.

4. Libero vero gentium arbitrio hæc eſſe relicta, certum videtur; tum quia ipſa quoque gentium ſocietas libera eſt; tum quia perpetua experientia docet, jura gentium pro earum arbitrio temperari, mutari, reſtringi, extendi: modo intra fines Juris divini conſiſtatur. Cap. I. Them. VI.

Jus Gentium poſſibile ſervit ad quæſtiones poſſibilitatis legum.

Them. V. Notitia tamen antecedentibus Thematibus indicata ſervit ad reſolvendum dubium ſorte occurrens, an hoc vel illud gentium inter ſe ſtatutum juſte debeat aut poſſit fieri; vel an ſit continuandum?

Probatur.

1. Nam ex illa ſcientia juris naturæ, & nota *aptitudine* mediorum ad ſocietatem poteſt ac debet arbitrium humanum determinationem concluſionum iſtarum ſumere, quia non poteſt ſe nude ex ſeſe determinare, ſed ex juſtis motivis. Cap. I. Them. V.

Declaratur exemplo.

2. Sic ſiquando orireeur quæſtio: num gentes conſenſu ſuo introducere poſſint modum belli gerendi per arma venenata? ejusmodi quæſtio haud dubie ex jure altiori, nempe divino naturali ac poſitivo atque à fine eſſet reſolvenda.

3. Verbo notitia juris divini ſervit ad judicandum de juſta poſſibilitate ipſius Juris gentium actualis: ſive an actualis conſenſus gentium ſit juſtus, ſive an in linea Juſtitiæ poſſit comprehendi aut ſubſiſtere?

Ad Jus Gentium via recta eſt Hiſtoria vera Univerſalis.

Them. VI. Ad Jus gentium actuale *generale* brevis ac recta via eſſet notitia hiſtorica exacta plerorumque populorum, & quid illi inter ſe geſſerint.

Jus enim actuale demonſtratur ſolum per teſtimonia & experientiam; quia eſt *facti*. Cap. I. Them. XI. &c.

Ex hiſtoria diſcitur Juris gentium duratio.

Them. VII. Ex eadem hiſtoria diſcitur & ex tabulis, num aliquod Juris gentium ſtatutum perduret, num exoleverit.

Eſt enim jus gentium mutabile, quia humanum & arbitrarium. Cap. I. Them. III. & Cap. III. Them. V. Sic fuit tempus, ubi Juri gentium adverſabatur, non indicto bello aggredi; victis præter ſpolia aliquid nocumenti afferre. Rurſus alio tempore Juris gentium erat devictorum agros domosque paſſim vaſtare, mancipia facere &c.

Germanus Jus gentium ſibi utile non diſcit ex Hiſtoria veteri Romana &c.

Them. VIII. Germanus volens diſcere Jus gentium *modernum* tale quale ipſi poterit eſſe uſui, non incedit recta via, ſi pervagatur hiſtorias veterum Romanorum aut Græcorum, ac Perſarum. Neque ſi immergat ſe hiſtoriis etiam recentioribus Indorum, Sinenſium &c.

Ratio.

Facta enim & conſenſus Indorum cum Tartaris aut Japonenſibus conſtituunt quidem jus gentium *actuale* pro ipſis: at pro Germanis illud tantum eſt *poſſibile*.

Germanus Jus Gentium utile diſcet ex Hiſtoria Patria & Vicinorum.

Them. VIII. Germanus jus gentium ſibi utile debet diſcere ex hiſtoria populorum Germaniæ, & populorum illorum, quibuscum Germani diu multaque negotia ſocialia exercuerunt. Et maxime debet accuratius tenere ipſas tabulas iſtiusmodi negotiationum.

Ex

Digitized by Google

Ex his enim ſolis probari poteſt jus-gentium actuale peculiare ac modernum.

Extraneæ Hiſtoriæ juvant aliquid.

Them. X. Extraneæ tamen hiſtoriæ utiles eſſe poſſunt etiam Germano, tum ad illuſtranda jura viciniora, ſicut ſolent exempla exemplis parallelis illuſtriora fieri. Tum ad judicium melius ferendum de juſtitia ipſius juris gentium, hoc cap. Them. V.

Jus Gentium à Germano non poteſt diſci ex libris qui de Jure Gentium nunc explicantur.

Them. XI. Jus Gentium actuale tale, quale ſaltem Germanis neceſſarium, non poteſt diſci ex parvis neque ex magnis libris, qui hactenus profeſſi ſunt, ſe tradere Juris Gentium diſciplinam.

Ratio 1. 1. Omnes enim tales libri, quantum de his mihi conſtat, tradunt Jus Gentium poſſibile, ſeu quale congruum eſt; abſtrahendo à præſtito gentium conſenſu. Vid. Cap. I. Them. XV.

2da 2. Alii non ſatis diſtinguunt, an id, quod Juris gentium olim fuit, ſit etiamnum.

3tia 3. Alii ſua fere placita & ratiocinationes afferunt, quaſi ea eſſent gentium ſententiæ.

4ta 4. Plerique ſunt pro re tanta nimium curti ac tenues &c.

5. Num recte hic pronuntiaverim, illi judicent, qui hos legerunt. Allatis autem exemplis ſi id probatum dare velim, novus erit ſcribendus liber.

Jus Gentium actuale, ut ſit nunc, in ſcholis addiſcere ridiculum videtur.

Them. XII. Jus Gentium actuale etiam mediocriter addiſcere velle in ſchola ex compendio, & ex collegio aliquot menſium, ridiculum videtur.

Ratio 1. 1. Nam ad hoc neceſſaria eſt pragmatica notitia hiſtoriæ tum Germaniæ, tum viciniorum populorum. Them. VI. & IX. At vero tantillum temporis non ſufficit vel ad vigeſimam partem ſolius hiſtoriæ Germanicæ ſic tractandam, ſicut tractari debet in ordine ad Jus gentium diſcendum.

2da 2. Accedit, juvenes ad ſcholas miſſos non huic ſoli ſtudio vacare poſſe, ſed aliis pluribus ſtudiis occupari, ut Juris Civilis, Canonici, publici, feudalis Linguarum &c. Ne quid dicam de ſaltu, equis, ludicriſque enſibus, in quibus duplo ac triplo plus temporis collocare nobilis juventus ſolet, quam in ſtudio Juris gentium.

3tia. 3. Quodque his omnibus majus eſt, accedit levitas, vanitasque juventutis cibo tam forti digerendo plane inepta; quippe immatura judicio, ſciola, facilis amare atque amplecti judicia ſpecioſa, & *amata relinquere pernix*.

Quid poſſint prodeſſe Compendia

Them. XIII. Compendia tamen & compendioſa collegia (ſi alias ſana & abſque vitio ſunt) ad hoc poſſunt prodeſſe, ut juventuti obiter innoteſcant puncta, ſeu capita complura Juris gentium *poſſibilis*; ad quæ capita deinde in ſtudio hiſtoriarum reflectant animum, attendentes, num ea *actu* ac reipſa ſint juris gentium facta?

Sed nimium in iis promittitur.

Verum non deberent Doctores Juris Gentium talis gloriari, ſe jus gentium tantopere neceſſarium docere: neque affirmare, ex ipſorum libellis decerni gentium integrarum certamina poſſe, quemadmodum gloriatur Heineccius. Talia enim compendia & puncta ſunt tantum *loca* quædam *communia*. Ex locis autem communibus adeo non decernitur gentium jus, ut nemo ſit contentus vel laudationem ſibi ex locis communibus dici, ne dicam ſententiam ferri. Loci enim communes oſtendunt qualis debeat eſſe vir, non qualis ſit, ita loci hi communes Scholarum oſtendunt, quid poſſit eſſe juris gentium, non quid ſit.

Libri qui proſint ad Jus Gentium.

Them. XIV. Ad Jus gentium peculiare præſertim pro Germanis (Cap. I. Them. X.) proſunt libri mox indicandi; Sed non ſufficiunt.

1. Proſunt hi circiter libri

Du MONT Corps Diplomatique.

Leibnitii Codex Juris gentium diplomaticus, cum Mantiſſa.

LONDORPII Acta Publica.

Acta Publica Pacis Weſtphalicæ.

Diarium Europæum cum appendicibus.

Lunigii ſcripta pleraque, ejusque Staats-Conſilia.

Thucelii Acta des XVIIIden Seculi.

Glafey ſeu *Schwederi* Theatrum prætenſionum.

Qui tamen non ſufficiunt.

2. Non autem ſufficiunt libri iſti; quia in his tantum pars Juris gentium actualis continetur, nempe Fœdera pacis, mercatuum, amicitiæ. Pauciora ibi ſunt de modo, quo geri bellum aliaque negotia debeant. Qui negotiorum modi ex hiſtoriis bonis, ex ritualibus libris, ex deſcriptionibus actionum publicarum repetendi ſunt.

3. Opus itaque eſt multa patienter, ſtudioſe, magnoque judicio adhibito evolvere & excutere, ut deprehendas, quid vere & actu ſit Juris gentium. Donec enim vel ſolorum Hiſtoricorum notitiam ſufficientem acquiras talem, ut de iis ferre judicium rectum queas, multum temporis abibit. Neque fiducia ponenda in judiciis per alios latis, cujus exemplum edidit *Menkenius*, cum Langleti Indicem hiſtoricorum à ſe auctum edidit additis judiciis ſæpe ſuis, ſæpe in optimos libros injuriis, præſertim Catholicos, quos ſæpe tanquam miſerabiles falſo deſcribit, non advertens ſe ipſum cæcum futurum fuiſſe, niſi ad horum ac-

accenſam facem cernere contigiſſet.

Opus Philoſophia morali.

4. Præterea ut Gentium, aularum, Principum, Scriptorum quoque vim atque ſcopum intelligas, opus eſt multa philoſophia morali, & notitia receſſuum infinitorum humani cordis, tegumentorumque omnium, quibus opperire ſeſe ſolet, nec aliter falſam ſpeciem à vero propoſito diſtingues.

Notitia Jurium gentium peculiarium.

5. Opus eſt etiam ut probe perſpecta habeas populorum ſocialium jura *interna*, ſeu publica ſeu privata, & politica ipſis propria principia, ut Galliæ, Sueciæ, Daniæ &c. *Omnis enim alicujus gentis conſenſus cum alia gente præſumitur eſſe CONFORMIS SUIS PRINCIPIIS INTERNIS: & cum quis etiam de jure ſuo interno remittit, cenſetur remittere QUANTUM MINIMUM POTEST.* Quod niſi jam perſpicias iſta jura interna minime es idoneus ad intelligendum, interpretandumque ejusmodi conſenſum.

Experientia cum ſtudio eſt bona dux.

Them. XV. Experientia *multa* accedens ſtudio perducit ad meliorem Juris gentium intelligentiam.

Experientia quaſi ſpeculativa.

1. Experientiam tribuit primum ætas, quæ ſi ſit longæva nec ſocors occaſionem præbet *cernendi* ſaltem multa variaque pacis ac belli inter populos negotia, eorumque morem ac voluntatem.

Practica.

2. Utilior ad hoc eſt experientia activa, cum quis ad ipſa hæc negotia omnia tractanda adhibetur, ut adeo earum interna atque animam negotiorum ipſam perſpicere & perſentiſcere poſſit: idque tam in pace quam in bello, in legationibus, in fœderibus pangendis, in mercatibus conſtituendis, in controverſiis diſcutiendis. Horum enim ſi tantum partem expertus fuerit, de parte altera ſæpe perperam, nunquam ſecure judicabit.

Studium quomodo ſuppiendum.

3. Neque tamen ſola experientia ſufficit, niſi ſtudio & lectione juvetur: vel niſi ſaltem tales viri ad manum ſint, qui de ſua perfecta hiſtoriarum ac tabularum notitia ſuggerant quæ neceſſaria ſunt. Tenemus enim exempla noſtræ ætatis, & ſcimus quosdam aularum miniſtros deficiente hoc ſtudio male conſtituiſſe jus gentium, cum exiſtimarent ipſi rem præclare geſſiſſe. Neque privatorum judicio hæc deprehendimus, ſed publicus id eventus docuit.

Pauci ſunt Juris Gentium Callentes.

Them. XVI. Admodum pauci exiſtunt viri, qui Jus gentium actuale peculiare perfecte calleant.

Qui viam legitimam non ineunt.

1. Pauci enim ſunt, qui viam à nobis expoſitam inire valeant: pauciores qui in eadem progredi: pauciſſimi qui ad exitum pertingant. Alios fortuna non ſinit incipere: alios vires prohibent pergere: & ſunt ſortis humanæ infiniti anfractus, quibus impedimur.

Hinc tot querelæ de Jure Gentium violato.

2. Hæc quoque, præter ceteras multas, cauſa eſt, cur tot audiantur de Jure Gentium violato querelæ. Nullum fere cooritur publicum gentium litigium aut bellum, quin pars fere utraque gentium jura perrupta violataque exiſtimet, aut etiam clamet. Omnes autem populos, omnes Principes, omnes populorum aut principum conſiliarios poſt agnitam veritatem jurium peccare, & ſemper ac in omnibus litigiis peccare voluntarie, valde mihi videtur incredibile, neque humanum puto id adſeverare. Supereſt, ut magnam partem peccetur tum ignorantia juris, tum ignorantia facti, tum utriusque incertitudine, & difficultate utrumque deprehendendi. Legatur ſententia Platonis in Alcibiade, fronti hujus libri præfixa.

Exempla moderna.

3. Omiſſis veteribus audeo in exemplum adducere bella noſtris diebus exorta de hereditate Hiſpana & Auſtriaca, deque Polonicis Turcicisque rebus. Hic aulæ ac populi ſi intellexiſſent, ab una ſola parte militare jus, haud dubie in eandem partem conceſſiſſent omnes. Fuere autem in utramque partem diviſæ, quod argumento eſt, alios huic, alios alteri plus juris agnoviſſe ac tribuiſſe.

Etiam doctorum.

4. Neque aulæ tantum & populi, ſed illi quoque diverſis in caſtris ſteterant, qui ſcientiam juris gentium palam profitebantur. In utramque enim partem edita multa eaque doctiſſima Commentaria habemus; quæ omnia qui legerit ſi jubeatur pro conſcientia dicere ſententiam, hæſitabit nempe, moras & inducias poſcet, &, ſi ſapit, à ſententia ferenda ſe ſubtrahet, profitebiturque, haud ſatis ſibi ad res tantas adeſſe lucis. Et docti quidem profitebuntur, tenere ſe quidem, quæ ſint juris poſſibilis; quæ autem ſint juris actualis, nondum deprehendere, quod arcaniora facta lateant, jus facientia. Contrà aulici profitebuntur, ſibi quidem adeſſe notitiam multorum geſtorum; deeſſe autem copiam aut ſcientiam examinandi ea ſecundum jura poſſibilia.

Objectio: Ergo nihil proſunt ſcholæ?

Them. XVII. Inſulſa eſt objectio hæc: Quid ergo proſunt ſcholæ, ſi non ſuggerunt clarum jus gentium?

R. 1. Retorqueo Ergo nihil proſunt aulæ?

1. R. Quid ergo proſunt aulæ, ſi eidem non ſtudent? ſi doctos celant meliorem geſtorum partem? Si forte quærunt, doctos non niſi in ſuam, quam ſine doctis concepere, ſententiam pertrahere?

R. 2. Utræque poſſunt prodeſſe.

2. Utrique poſſunt prodeſſe. Docti dilucide quantum poſſunt præeundo in ex-

exquirendis juribus; aulæ in applicando & ſequendo.

Utræque obeſſe.

3. Utrique etiam poſſunt nocere, minus tamen facile, ſi pro noſtro conſilio experientiam cum ſtudio, ſtudium cum animo probo conjunxerint.

Objectio Jus Publicum difficile utiliter docetur: Ergo & Jus Gentium.

Thema XIX. Vana eſt item hæc objectio: Jus Publicum Germanorum æque difficile eſt, & nihilominus in collegiis unius vel alterius anni utiliter traditur. Ergo etiam jus gentium.

℞. J.P ſuperficiale eſt facilius.

℞. 1. Si de Jure publico leviculo ac perfunctorio ſermo eſt, illud forte facilius eſt jure gentium, quia non è tot ſontibus hauriendum eſt, ſed ſufficit ſolius Germaniæ intra ſeſe ſenſus.

2. J. P. Plenum nullibi traditur.

2. Quodſi plenum Jus publicum intelligis, nego illud utiliter in ſcolis tradi; quia nullibi, quod ſciam, traditur. Equidem obtulit ſe mihi ante hos annos juvenis viginti & aliquot annorum ex univerſitate, ut ajebat, Jenenſi; promittens arcanum, quo doce o Geographiam omnem, Hiſtoriam univerſam, atque Jus Publicum poſſet, ſingula ſemeſtris intervallo. Neque promittebat modo, ſed proferebat teſtimonia ſcripta, id ipſum loco non uno egregie præſtitiſſe. Riſi nempe hominem, ex ipſo ſermone leviter in his tinctum deprehendens. Alter ex Argintinenſi non multo grandævior obtulit academiæ operam ad Jus publicum annuam, præter lautam menſam atque domum ſtipendio mille florenorum; quem lubens dimiſi, mihi à longe venerandum. Scio alium virum probum, Latinitatis ignarum, ad faciendos aliis jocos biduo factum aut fieri viſum Publiciſtam, quod ajunt. Quippe biduo illo legit, memoriæque impreſſit breviſſimam Juris publici delineationem à nobis factam, ex illaque quærentibus recitabat tanta, quanta illi ſaltem ignorabant, atque adeo novum athletam mirabantur.

Quomodo Juventus utiliter diſceret Jus Gentium.

3. Illud non abnuo, utile futurum, ſi quis Juris gentium peritus doctor in unaquaque univerſitate eſſet, eique traderentur nobiles & quidam alii juvenes, utrique melioris ingenii ac felicis memoriæ; ſed fere conditionibus, ut cetera ſtudia atque exercitia jam tranſegerint bene, ut patientes ſint laboris; ut veniant præparati Geographia, Hiſtoria ſufficienti: ut non ſint vanitate nimis juvenili turgidi, ſed maturiores & *velint* diſcere. Tum enim annua pertinaci opera ſaltem capaces reddi poſſent ad ſtudium juris gentium deinceps magno fructu perficiendum.

Object. Nulla diſciplina in ſcholis perfecte diſcitur.

4. Inquies: talia fere de omnibus diſciplinis dici poſſunt, quod perfecte in ſcholis non diſcantur: ex quo ſequeretur, nullas eſſe in Scholis tradendas: quod eſt abſurdum.

℞. Difficultas non eſt ubique par.

5. ℞. Objectio diſſolvitur ex diſcrimine difficultatis, & ex diſcrimine perfectionis diſciplinarum. Non omnes diſciplinæ ſunt æque difficiles. Ut Jus Civile planum, Jus Canonicum planum, Theologia moralis plana, Theologia ſcholaſtica, Philoſophia Ariſtotelica ſcholaſtica non ita vaſtis limitibus continentur, & ſatis perfecte condiſci in ſcholis à ſedulo tyrone poſſunt, experientia teſte. Paucis enim libris lectis cetera ex ſuo quisque ingenio depromet, argumenta metaphyſica &c.

Theologia poſitiva in ſcholis tantum inchoatur.

6. At ſi de Theologia dogmatica ac poſitiva id objicitur, nego eam in ſcholis exiguo tempore utcumque perfecte diſci poſſe: eo quod nimis ſit vaſta provincia, Scripturam, Concilia, Patres, Hiſtoriam pervadere ex eisque eruere dogma: niſi ſi his rebus jam præparati venirent gnavi diſcipuli. Deinde qui Theologiæ operam dant, plerumque huic ſe totos impendunt, parati etiam ſcholis relictis eundem curſum continuare; atque hinc etiam in poſitiva Theologia non pœnitendum poſſunt facere progreſſum per annos tres aut quatuor. At nobiles plerique Jus gentium per totidem menſes audiunt non tam diſcendi, quam moris ac nominis, interdum etiam curioſitatis cauſa.

Perfectionis quoque varii ſunt gradus.

7. Eſt etiam diſcrimen *perfectionis*. In Jure Gentium ita leviter ut nunc ſolet inſtituto, nego vel ad infimum perfectionis gradum poſſe perveniri: niſi forte in iis quæ Juris gentium certi ſunt, quæque ſunt pauca & omnibus nota, etiam qui ſcholas nequidem à limine ſalutarunt: ut, Foedera pacemque ſervandam, mercatus non opprimendos, legatos eſſe immunes, belli cauſas debere eſſe juſtas, armis paribus utendum &c., quorum tamen pleraque non gentium ſed naturæ jura ſunt.

Hiſtoriæ abuſus in Jure Gentium vituperabilis.

Them. XIX. Hiſtoriæ *abuſus* in Jure Gentium non eſt minus vituperabilis quam ubique.

Nulla in hoc poteſt eſſe controverſia. Abuſus etiam Tabacæ herbæ vituperio non caret; quanto magis *HISTORIÆ*, quam dicere poſſumus *MEMORIAM GENERIS HUMANI?* Ut enim quisque homo habet memorandi facultatem, qua reponat præterita tamdiu quamdiu ipſe vivit & valet: ita Generis humani memoria publica, eſt hiſtoria. Et ſicut homo memo-

moria carens infirmus eſt, ineptus negotiis omnibus, & ſepulcro vicinus: ita Genus humanum ſine hiſtoria ſive rerum præteritarum traditione ad poſteros, puerile erit & prope interitum.

Kippingius de Abuſu hiſtoriæ notandus.

Thema XX. Kippingii tamen nuperus commentarius de *Abuſu Hiſtoriæ* maxime in Jure publico videtur aut metam aliam habere, aut promiſſa non probe tueri.

Quis ſit?

1. Dominus Joan. Guolfgangus *Kippingius* in Academia Julia J. P. & Hiſt. Prof. P. O. hunc tractatum edidit anno 1745. Brunſwigæ in 4. In cujus Præfatione, conſilium auctoris aperiente, prodit, quo fine eum librum ſcripſerit, nempe ad Gallorum Perfidiam revincendam, quam ab ipſis nuper commiſſam fuiſſe Germani dicerent, ſi non omnes certe plurimi.

Quo fine ſcripſit?

2. His ita dictis, poſt pauca videtur miſereri Gallorum, qui *quam nequiter fecerint*, non cognoſcant, *neque conſcientiæ ſollicitudine vexentur.*

3. Cauſam autem hujus ignorantiæ ſtatim ipſe deprehendit, & hanc quidem: *Nempe*, ait, *error ille eſt, in quo ab adoleſcentia verſantur, vel potius quem cum lacte nutricum ſumpſiſſe videntur: Ad Gallos adhuc pertinere Germaniam, quæ Caroli M. temporibus ad eos pertinuit.*

4. *Capitalis hic error plures alios geniturus eſt, niſi demum Gallis eripiatur.*

Error hic - - - aut hoc ſibi vult: QUIDQUID UNQUAM CUJUSQUAM FUISSE HISTORIA DOCET, ID AD EUNDEM EJUSQUE POSTEROS PERPETUO PERTINET, NEC UNQUAM EJUS ESSE DESINERE POTEST.

Aut illud: QUICUMQUE POPULUS (vel cujuscunque populi rector) TALEM SANCIVIT LEGEM: UT NE UMQUAM DE SUO QUIDQUAM AD ALIUM: CONTRA AB ALIIS QUIDLIBET AD SE TRANSIRE POSSIT, ILLIUS POPULI VEL RECTORIS JUS SEMEL ADQUISITUM NUNQUAM PERIT, ET QUALIBET OCCASIONE DATA URGERI POTEST, VERBIS ET ARMIS.

5. Mox Proſequitur: *Dogmata hæc etſi non tam ad hiſtorias quam ad juris rationes pertinent, magisque juris quam hiſtoriæ abuſum redolent; tamen utriusque Juris & hiſtoriæ fines & officia ita confuſa hodie ſunt, doctorum culpâ, ut finium regundorum judicio experiendum eſſe videatur.* Cujus deinde judicii ſe præſidem aut prætorem, aut ſaltem illud ſeſe inſtructurum eſſe, profitetur.

R. P. Deſing Jus Gentium.

Quinque, quæ Kippingius propoſita habuit.

6. Ex hiſce conſilium auctoris non obſcure elucet. *Primum* eſt, ut Gallos perfidos fuiſſe pateat. *Secundum* ut eorum perfidia ortum trahat ex falſo principio, *præſcribi* gentibus non poſſe. Item ex hoc itidem falſo: à populo ſanciri legem poſſe, ut ipſe acquirere poſſit, perdere non poſſit. *Tertium*, Errorem hunc ortum eſſe ex hiſtoria in Jus publicum admiſſa per abuſum. *Quartum* Doctorum culpa accidiſſe, ut hiſtoria in jus irreperet, & non potius plane ſeparatos à Jure fines teneat. *Quintum* eſt, Kippingium iſtos fines diſcreturum, erepturum errores.

Sextum propoſitum.

7. His omnibus accedit *Sextum* quodpiam, quod cum in præfatione nullo indicio prodiderit, in decurſu tamen pertractet, pro occulto ipſius ac veriore ſcopo haberi poteſt: ut Bojorum Principum Jura elueret, antiquitate nixa, quam *antiquitatem* in Hiſtoria ſola fere conſervatam videtur denique habere pro illo *abuſu* ab ſeſe expugnando.

8. In tanta rerum ſilva neceſſe nobis erit ita procedere, ut neque à decoro, neque ab officio ſcriptionis noſtræ deflectamus. Hoc me ita conſecuturum ſpero: *Primum* Gallos neque defendere ego, neque à perfidia, ſi juſte inſimulati à Kippingio ſunt, abſolvere contendo, multo minus damnare, qui judex non ſim; neque ulla ratione dicam ſententiam de eorum ſive juſtitia ſive injuſtitia. Et ſiquid mihi forte excidet huic ſimile, imprudenti mihi excidiſſe putes oro.

Primum Kippingii non impugnamus.

9. *Alterum* de *præcriptione* hic non attingam, niſi argumenti neceſſitas pertraxerit. Agam enim de præſcriptione ſub finem libri Capite X. Itidem nihil dicam de lege illa acquirendi tantum & non amittendi, ſive ea Gallos tangat ſive alios. Forte eodem Cap. X. iſta recurrent.

Secundum de præſcriptione infrà tractabitur Cap. X.

10. Kippingii *Tertium* & *Quartum* quod retulimus caput, examinabimus, quam recte ex *Jure publico* excludatur hiſtoria. Hoc enim inquirere ad noſtrum jam forum pertinet, qui Jus gentium actuale ex ſola hiſtoria probari dicimus, & nempe ex iis omnibus, quæ hiſtoriam integram conſtituunt, nempe tabulis &c. Et quamquam D. Kippingius forte excipiet, ſe abuſum non in *Jure Gentium*, ſed in *Jure publico* inſectari, fruſtra excipit: nam is revera de Jure gentium non de publico agit; quia aut diſtinguere utrumque non potuit, aut ad ſcopum ejus interfuit, hæc confuſa

Tertium & Quartum. Hiſtoriæ Juri Gentium aſſerentur.

relinquere. Confuſa autem ea per ipſum relinqui infrà oſtendo.

11. *Quintum* erit tentare, quam belle promiſſa præſtiterit Dominus Kippingius.

Sextum de Rebus Boicis tractabitur non ut de Bojis, ſed in Genere.

12. *Sextum* denique de Boicis rebus omnino miſſum faceremus, niſi nobis videretur, Domini Kippingii conatus in hoc maxime defeciſſe, quod Boicis rebus ad hiſtoriam à Jure arcendam uſus, facto ipſo contraria evincat. Neque vero hic Boicas rationes, Boicaque jura ullo modo propugnanda ſuſcipimus, nec iis aut ponderis quidquam addere aut detrahere cupimus: neque eorum adverſarios petere: ſed Dominum Kippingium his non recte atque contra propoſitam à ſe doctrinam uſum eſſe, docebimus; quantum nobis videtur. Nam prudentiorum judicio ceteroquin libenter acquieſcimus.

Kippingius Jura naturæ, Gentium, ac publicum male diſtinguit.

Thema XXI. Dominus *Kippingius* Jus naturæ, gentium, ac publicum non recte diſtinguit & ad facta male applicare videtur.

Ait, factis nullum conſtitui jus.

1. Simpliciter contra Ludewigium contendit, *factis nullum conſtitui jus*, ſed *omnem juſtitiam factorum & acquiri & agnoſci per LEGES.*

Eſt Sophisma,

Hæ enim aſſertiones alio ſenſu veræ alio falſæ ſunt. Unde non niſi per ſophisma ex his inſertur concluſio generalis: *omnem* juſtitiam factorum haberi per leges, quatenus leges factis contradiſtinguuntur. Quæ tamen concluſio fere ſolum ac totum argumentum eſt Kippingiani libri.

Jus naturæ non oritur ex factis hominum.

2. Nam primò id certum eſt, omnium factorum juſtitiam primitus repetendam eſſe ex *lege* ſed naturali. Hoc nemo dubitat præter Atheum, Hobbium, & id genus ceteros. Atque hic ſane eſſet Abuſus hiſtoriæ, ſi jus naturæ ex factis oriri quis diceret. Vid. Cap. I. Them. III. IV. V. &c. & Cap. III. Them. II. & alibi ſæpius.

Hoc nihilominus diffuſe probavimus nos alibi, facta hominum certo modo ſumpta eſſe verum medium non quidem conſtituendi jus naturæ, ſed illud *agnoſcendi* & diſcendi. Vid. Jus Naturæ Cap. III.

3. Si Dominus Kippingius loquitur de juſtitia *Juris gentium*, eamque actionibus humanis vult acquiri per *leges ſcriptas tantum*, abhorret à communi ſenſu & à veritate. Vigebant enim & vigent jura gentium etiam, ubi ſcriptura ignoratur: & gentium pacta cum ſcribuntur non ex literis accipiunt vim: ſed literæ & tabulæ teſtes ſunt hiſtorici de *conſenſu gentium* præſtito.

Jus gentium eſt facti.

Quod docetur hiſtoriis.

Ex quo ſequitur hiſtorias magnam vim habere in Jure gentium, quod Kippingius cum Publico ſpeciali plerumque confundit. Sicut enim teſtes vim habent, ut ex iis determinetur judex ad ſententiam: ita tabulæ ſeu hiſtoriæ, cum ſint teſtes, valent, ut deciſio controverſiarum gentilium ex iis formetur, Quod Cap. X. Them. XIII. num. 6. de Marca Hiſpanica conſtituenda exemplo docemus.

Objectio.

Equidem dicat nonnemo: Kippingium non tabulas & hiſtorias rejicere, ſed *falſas* & corruptas tanquam abuſum damnare?

Reſponſ.

Hoc tot annorum meditatione non egebat, quot ſeſe in hanc ſcriptionem impendiſſe Auctor fatetur. Quis enim hoc ante iſtum ignoravit? Ad hoc ergo non potuit animum intendere doctus auctor; qui ſibi propoſuit, *errorem aliis ipſisque acutis Gallis hactenus non animadverſum dedocere ipſos etiam Gallos*, quos nimis acutos ceteræ etiam gentes agnoſcunt, quam ut in craſſam hanc opinionem prolapſi ſint, corruptis & falſis hiſtoriis aut factis doceri aut conſtitui jus publicum aut gentium. Reſtare videtur, ut Kippingius etiam veras hiſtorias & vera facta *nullum* jus teſtari ac conſtituere opinetur. Quem ipſum non exiguum *errorem* eſſe, docuimus ſuprà & iterum docebimus. Aliàs enim non facile intelligo, quid ſibi perſequendum ſumpſiſſet Dominus Kippingius?

Kippingius Jus Publ. Germaniæ confundit cum Jure Gent.

Thema XXII. Dominus *Kippingius* videtur *Jus gentium* cum *Jure Publico ſpeciali Regni Germanorum* confundere: quod ejus doctrinam ſophismati ſeu falſæ illationi obnoxiam reddit.

Prob. 1.

1. Nam Cap. III. tractat de abuſu hiſtoriæ ſeu factorum *ſpecialiter in Jure Publico*, cum antea tractaſſet de abuſu in Jure Civili & Criminali. Et §. XX. promittit, *ſua exempla*, quæ ſit allaturus, demonſtratura eſſe, quantus ſit abuſus hiſtoriæ in *Jure publico*.

Ab ejus exemplis.

2 Exemplis autem utitur his, in quibus graviſſimum & potiſſimum eſt Boicorum Principum poſtulatum in *hereditatem Auſtriacam*. aitque §. XXX. nota (d) ſe *notaturum rationes*, quibus, ſalvâ cauſâ, potuit defenſor Juris Bavarici ſuperſedere; *quia in hiſtoriæ abuſum abeunt tales argumentationes.* Itaque antiquitatem & hiſtoriam in juris Boiei deductione adhibitam damnat auctor tanquam *abuſum in Jure Publico* ſpeciali Germaniæ.

3. At vero cauſam iſtam de hereditate Auſtriaca non eſſe nudi Juris publici ſpecialis Germanorum, puto nemini fore valde dubium. Nam ſi eſt hu-

jus

jus juris, poterat ea ad tribunalia trahi: quod nunquam ſive ipſi litigantes ſive quicunque alii in Imperio Principes admitterent. Aut ſaltem poſſet in Comitiis his proferri ſententia: quod rurſus nunquam Principes Germaniæ patientur; niſi per modum arbitrii & amicabilis compoſitionis. Neminem enim utraque pars hic agnoſcit judicem, præter DEUM & gladium, ut ſonat formula juris gentium. Agunt inter ſe tanquam gentes hac parte liberæ, neque inter ſe, neque ab alia gente Germanica, imo neque ab ipſo toto Imperio dependentes. Adeoque D. Kippingii *præcipuum exemplum abuſûs in Jure Publico Germaniæ* non ſpectat ad hoc jus Publicum, ſed ad *Jus gentium*. Id quod erat oſtendendum.

Et ab ejus Scopo.

4. Rurſus ſcopus forte præcipuus totius Kippingianæ ſcriptionis videtur fuiſſe, ut Gallis adimeret ſpem poſtulatorum ſuorum in Germaniam. Hoc enim ex præfatione ſatis clare elucet. At hoc rurſus neutiquam pertinet ad *Jus Publicum Germaniæ*. Jus enim publicum Germaniæ, ſcriptum præſertim, nunquam ſerviet Gallis pro regula ſuorum poſtulatorum; quemadmodum ſiquid nos juris habemus in Galliam, Hungariam, Græciam vel Turciam, nunquam pro regula accipiemus Jus publicum Gallorum, Hungarorum, aut Turcarum. *Juris gentium* ſunt iſta: quod adeo in præcipuis auctor non diſcrevit à jure publico ſpeciali.

Anceps Kippingii ſententia de Jure & facto.

Thema XXIII. Ambidextra eſt & ad aliquid certum inferendum inidonea ſequens D. Kippingii ſententia, ſi Juri gentium applicetur: nempe §. XXIV. *Quamvis ex factis jus manare poſſe non negem: factis tamen juris vis ex legibus ante acceſſerit oportet; quippe per ſe rebus geſtis nulla juris vis ineſt. Per ſe quidem utilia aut noxia eſſe poſſunt facta: ſed quod juſta aut injuſta ſint, id legibus acceptum eſt referendum &c.*

Eſt Tautologica.

1. In principio eſt obſervandum, hunc diſcurſum tautologicum eſſe, in circulum ire, ac probare idem per idem. Factis vis juris accedit ex legibus antegreſſis. Cur hoc neceſſe eſt? Quia factis ipſis nulla vis juris ineſt. Cur autem factis ineſt nulla? Quia juſtitiam, id eſt vim juris, habent ex legibus. Hoc quod nunc pro ultima ratione redditur, eſt id ipſum, quod erat probandum.

Probans idem per idem.

Secumque pugnans.

2. Deinde non plane cohærere iſta videntur cum iis, quæ continuo ante ſtatuerat: nempe; *Ex factis jus manare poſſe.* Quæro, an ex factis, quatenus iſta fundantur in legibus? an ex factis qua factis, abſtrahendo à legibus præterquam naturali? Si primum? Tautologia eadem eſt, & idem ſonat ac: *Non ex factis ſed ex legibus manat jus; quia ex legibus non ex factis manat.* Si alterum? Ergo debet factis ineſſe vis juris non tantum habendi ſeu habiti, ſed etiam conſtituendi. Quod ſi eſt verum, factis debet ineſſe juris virtus; quia nemo dat quod non habet: hoc vero modo facta ſunt juris principium & cauſa; omnis autem cauſa effectum ſuum in ſinu ſuo continet.

3. Ambidextra hæc ſententia rurſus etiam ex hoc eſt, quod nullum affert diſcrimen legum, ex quibus facta juſtitiam ſuam derivent? Nam ſi contendit D. auctor, has leges eſſe leges naturales; umbras ſibi fingit, quibuscum dimicet. Nemo enim hominum ſanorum eſt, qui aliter ſentiat.

Amphibologiæ aliæ Kippingii.

4. Quodſi per eas leges, quæ factis jus tribuant, intelligit leges *poſitivas* qualescumque, incidit Dominus Auctor in circulum nihilo expeditiorem. Lex namque poſitiva omnis (ſuppoſita ſemper naturali, de qua nemo ſanus etiam ante Kippingium dubitavit, quin ea à factis hominum non pendeat) Omnis, inquam, *poſitiva lex* immediatam ſui productivam & conſtitutivam cauſam habet actum aliquem ſeu factum voluntatis rationalis. Nam quæ eſt cauſa immediata efficiens legis poſitivæ divinæ? Actus voluntatis divinæ? Quæ cauſa efficiens legis Juliæ, Aquiliæ, Falcidiæ aliarumque Romanarum civilium? Actus voluntatis & juſſus populi Romani, aut poſteriore tempore Principum Romanorum. Et ſic porro in Jure gentium actuali, non poſſibili: in Jure publico actuali non poſſibili & abſtracto. Vid. Cap. I. Themate III. VI. IX. &c. Cap. III. Them. II. Quocirca perperam rationes ſubducit Dominus Kippingius, cum pro fundamento totius operis ſui ponit: Jus non à factis oriri ſed à legibus; cum tamen leges ipſæ oriantur à factis: poſitivæ quidem. Vid. Cap. I. Them. XI &c. ubi probavimus, Jus gentium *actuale* eſſe *Facti*.

Et circulus vitioſus.

5. Adde quod leges poſitivæ humanæ mutabiles ſint, ac non raro mutentur ab iis, *qui poteſtatem habent* ferendi. Mutatio autem rurſus facti eſt. Vid. Cap. III. Them. V. Jus enim gentium atque civile verſatur circa ea, quæ Jure naturæ non ſunt ſpecifice determinata, ut ait S. Thomas, ſed determinationem accipiunt ex circumſtantiis. Circumſtantiæ autem nec cum

Leges poſitivæ ſunt facti.

 ho-

hominibus naſcuntur omnes nec ſemper ſunt eædem.

Mala Logica Kippingii de Jure & facto.

Thema XXIV. Non melioris notæ eſt iſtud Domini Kippingii dilemma: §. XXVIII. *Si Jus ex factis pendet, & ita pendet, ut ante facta jus nullum ſit (K) conſequens eſt, aut unis factis æternum acquieſcendum eſſe; aut factis poſterioribus priora mutari recte poſſe &c. Si prius ſtatuis, ante omnia expediendum eſt, à quo tempore incipiendum ſit.*

Dilemma unicornu.

§. Alterum dilemmatis membrum ſeu cornu deeſt; niſi quod in ſequentibus inſurgit contra perpetuitatem Juris ex facto oriundi, nullo facto diſcrimine.

Mala condicio poſita.

1. Lubricum hic facit initicum dicens: *Si ante facta jus NULLUM ſit.* Fingit ſibi adverſarios: cum nemo affirmet, *nullum* omnino eſſe jus ante facta, ſed *nullum poſitivum* vel humanum, aut gentium.

Mala illatio

2. Male etiam mox infert, ex eo, quod jus gentium vel aliud humanum conſtituatur factis, ſequi, unis factis eſſe æternum acquieſcendum; ſive jus humanum eſſe immutabile. Nos certe docuimus ſupra, Jus gentium conſtitui factis hominum, & tamen, imo *ob id ipſum* eſſe mutabile, quia voluntas hominum mutabilis eſt, ſicut omnes illius circumſtantiæ, quibus jus debet attemperari. Vid. Cap. III. Thema V.

Male diſcurrit de factis per facta mutandis.

3. Multo magis involvit doctrinam ſuam, cum deinde rurſus ſine ullo diſcrimine contendit, *factis recentioribus mutari priora poſſe*, adeoque jus antiquum. In quo Dominus Auctor nec determinat, per quos mutari poſſit, nec quomodo? quaſi fortuita eſſet mutatio eorum, quæ gentium conſenſu conſtituta ſunt. Qui conſenſus tam ardua eſt res, ut nihil ſit difficilius, quam eum obtinere: multo autem magis difficile, ſemel obtentum ac conſtitutum mutari in *alium conſenſum*, Non dixi, in *quidvis aliud*, hoc enim facilè eſt: ſed, in *alium conſenſum*. Conſenſus facile quidem mutatur in diſſenſum, in turbas, in bella, in tolerantiam, patience par force &c. ſed in novum eumque à priſtino diverſum *conſenſum* mutari, ardua, ut dixi, res eſt. Neque adeo omnis *mutatio rerum* in alias res nunc apparens, ſtatim probat *mutationem conſenſus* ac juris, ex ſolo conſenſu oriundi. Res novas pati ſæpe cogit dura neceſſitas; cogit eadem tacere; cogit etiam verba conſenſui non abſimilia proferre. At conſenſum eumque talem, qui pro lege valeat & jus verum fundet aut tribuat; nulla externa neceſſitas cogit. Eſt enim actus voluntatis elicitus nulli coactioni obnoxius. Vid. *Jus Naturæ* Cap. VI. Them. XIX. *Præſumitur* quidem *in civili jure* conſenſus aliquando; quia jus civile voluntates civium habet in poteſtate & in ſinu ſuo clauſas conſtrictasque, ut adeo ſæpe eas interpretetur: ſed inter liberos, ut legem faciat liberos ligantem, conſenſus abſolutam libertatem requirit, nec præſumitur à quoquam, quia cuiquam non ſubeſt; ſed debet probari, cum ſit facti.

Jus Gentium mutabile Quomodo?

4. Facile apparet, Dominum Kippingium hoc amphibologico atque indiſcreto mutationis *rerum* potius quam *conſenſuum* præſidio uti velle ad *Præſcriptionis* vim novis poſſeſſoribus quibusvis conciliandam. Sed tum ex mox dictis poteſt ejus præſidii infirmitas agnoſci; tum locus de præſcriptione dicendi erit in Capite X.

***Object.* An facta antiqua prævaleant novis.**

Thema XXV. Æque indiſcretum eſt hoc Domini Kippingii: §. XXIX. *Quid demum futurum eſt, ſi factis antiquis ad evertenda recentiora pro cujusvis arbitrio niti liceat?*

℞. 1. An nova prævalent antiquis?

1. Reſpondeat Dominus Kippingius: Quid futurum eſt, ſi factis *recentioribus* ad evertenda antiquiora pro cujusvis arbittio niti liceat? Periculoſum hoc telum eſt, quod ita facile invertitur & in auctorem redit.

℞. 2. Antiqua juſta prævalent recentibus non æque juſtis.

2. Quid ſi quis Domino Kippingio reſponderet: Hoc eſt futurum, ut antiquum jus reſtituatur juſtis Dominis, ſicut ſi Minor annis aut enormiter læſus facto contraheotium deceptus & extruſus etiam proprio conſenſu, reſtituitur per factum novum Prætoris.

℞. 3. Non nova injuſta antiquis.

3. Tam pulcram reſponſionem Dominus Kippingius vix inveniet ad meam Quæſtionem: quid ſit futurum, ſi cuivis liceat facta antiqua recentioribus evertere? Hoc enim futurum eſt: Antiqui poſſeſſores ſpoliabuntur rebus ſuis: coloni cenſum negebunt dy-

(K) Hic D. Kippingius hanc notam ſubjicit: Verum Hobbeſi hoc dogma eſt, *omne jus hominum à pactis (ſive factis) proficiſci, & ante pacta NULLUM jus eſſe &c.* Ex quo patet, Kippingium ſemper theſim formare de jure naturæ, & hypotheſin de Jure poſitivo. Hobbius non in hoc errat, quod hominum ſeu humanum jus à pactis derivat, ſed quod negat, *NULLUM* jus, adeoque etiam naturæ, eſſe ante pacta.

dyoaſtis: nobllitas militia detrectabit regibus; cetera facile quivis conjectetur.

§. 4. Prævalent alia aliis cum diſcretione à Kippingio neglecta.

4. Sed facile fuiſſet Domino Kippingio poſt tot curioſas & annoſas meditatiooes diſcernere, ad factum ſeu potius jus antiquum ex facto veteri natum delendum non quodlibet factum recens nec pro *cujusvis arbitrio* introductum ſufficere. Iterum ergo aut male vidit, aut umbras inſectatus eſt. Sed de hoc ſatis paulo ante diſputavimus. Id ſolum ſubjicio: Dominum Kippingium cauſæ ſuæ nocere. Nam ſi non cuivis licet niti *jure veteri* ex veteri conſenſu manante: multo minus licet cuivis niti *FACTO novo*; ex quo nullum jus manare poteſt, niſi conſenſus verus acceſſerit, qui inter liberos debet probari, cum ſit facti.

Quis *Juri* veteri *facta* nova male comparat.

Seque ipſum confutat.

Adeoque hæc doctrina non parum adverſa eſt Præſcriptioni, cujus patrocinium contra Gallos ſuſcepit per vineas has oppugnandos. Quos tamen ego non defendo, non propugno, ſed ipſam etiam *Theſin* de præſcriptione incerti juris eſſe dicam Cap. X.

Errores Kippingii circa hiſtoriam in jus receptam.

Thema XXVI. Abutitur Dominus Kippingius nomine Hiſtoriæ; facit argumentum invidioſum, & adverſarium ſibi iterum fingit: cum dicit, ab errantibus Doctoribus *Hiſtoriæ* tribui vim juris.

1. Qui ſint illi, qui hiſtoriæ vim juris tribuant, equidem me latet: Si qui ſunt tamen, cum Kippingio eos non exſecrer, miſeris compatiar. Neminem enim invenient vel leviter cordatum, qui ipſis adſentiatur, & non potius riſu excipiat.

Ludewigius non docet hiſtoriam eſſe jus.

2. Ludewigium cum legerem nec perfunctorie, tale nihil depreheodere mihi viſus ſum. Taxat ille, qui juris Publici Germanorum ſcientiam ſibi comparare loborant ex notitia Juris civilis, ex notitia ſtatus Romanorum, ex Carolingicorum temporum rationibus. Tunc certiorem ipſe viam, qua ad hoc perveniatur, indicare promittit: Eam viam ait eſſe notitiam actitatorum inter Germaniæ populos inde à tempore Poſt-Carolingio.

Ut de eo fingit Kippinus.

3. Non tueor Ludewigium, nec eidem pugno: relinquo jam in medio. Dominus tamen Kippingius ancipiti dicto in eum uſus eſt §. XXII. dicens: Ludewigius *unum verum fontem & primum Juris Publici principium Laudavit hiſtoriam, & formulam Germanici Imperii, uſumque octo ſeculorum ab anno DCCCC XII. ad noſtra uſque tempora. Quo nihil ſingularius, nihil cum à Juris tum ab hiſtoriæ rationibus alienius fingi poteſt.*

Id oſtenditur.

4. Pauca, rogo, obſervet lector, & judicet. Ludewigius aſſerit, ex hiſtoria diſci poſſe jus Publicum: at D. Kippinglus ait, ipſum *Juris principium* dicere hiſtoriam; quaſi ipſa hiſtoria eſſet formale principium & cauſa juris.

5. Ludewigius dicit formulam Imperii & uſum octo ſeculorum eſſe verum principium ac formam Juris Publici Germ. at D. Kippinus id pro tanto habet abſurdo, quo nullum ſit majus. Dicat ergo & quærat cum illo Gallo Quis eſt ille *HERKOMANNUS*, quem aſſidue in ore habetis Germani, jurium veſtrorum advocatum unicum? Non opus eſt fingere das Reichs-Herkommen: nemini non hoc verum eſt Juris Publici principium.

6. Confundit, ut pleraque alia D. Kipping, ita etiam Jus publicum cum Scientia juris: & narrationem factorum cum ipſis factis. Hiſtoria eſt principium agnoſcendi juris non conſtituendi. Narratio factorum non conſtituit jus, ſed facta illud conſtituunt, quæ facta per hiſtoriam tanquam teſtem probantur. Hæc ſola ſi longis meditationibus & ſana logica adhibita voluiſſet diſcernere doctus alias D. Kippingius, curis ſe tantis pro noſtra republica potuiſſet ipſe abſolvere, & parcere oculis legentium. Sed quemadmodum nos alteri, ſic & ipſe homo eſt, cui, ut ut docto, excidere aliquid poteſt. Dimittendus tamen ſine pectine à nobis non fuit, tanquam qui poſſet nocere innocentibus, & falſam de Jure gentium opinionem ingenerare, quod Jus ab iſtorum pulveribus everrendum nobis pro virili ſumpſimus: ſimul oſtenſuri, quam injuſte DD. Proteſtantes Catholicis exprobrent ignorantiam Juris Gentium ac publici, cum ipſi ne quidem quid ſit Jus Publicum aut Gentium potuerint agnoſcere, deficiente ipſos plerumque ſana logica ſeu methodo.

Kippingius Jus cum jure & hiſtoriam cum ſcientia juris & hiſtoriæ confundit.

CAPUT

CAPUT III.

De prolegmenis aliis deque Foro Juris Gentium.

Jus Gentium Quid. Quale? &c.

Thema I. Jus Gentium *Quid ſit? Quotuplex*, & *Quale?* explicatum jam eſt in capite I.

Ejus cauſa efficiens. Remota eſt Jus Naturæ

Thema II. Cauſa efficiens ſeu Principium conſtituens Jus gentium *Remotum* quidem ac mediatum eſt Jus naturæ, ſeu Domini DEI voluntas ac poteſtas participata hominibus ut hominibus, & gentibus ut gentibus.

Ut enim ſinguli homines ſunt ſinguli ſervi DEI, ita gentes ſunt greges ſervorum DEI.

Proxima eſt voluntas gentium.

Proxima autem cauſa ſeu *principium proximum* immediatum juris gentium qua talis eſt voluntas gentium jam aliunde regulata ſeu ſubordinata juri naturæ. Vid. Cap. I. Them. III. &c.

Materia Juris gentium.

Thema III. Materia juris gentium *poſſibilis* ſunt omnes actiones *prout ſunt apta* ad ſocietatem bonam inter gentes.

Formalis ratio.

Ratio formalis, quam Jus gentium in his actionibus intendit, eſt bona ſocietas, id eſt quieta, æqua &c.

Finis proximus.

Thema IV. Finis *proximus* ab eodem Jure intentus ac quæſitus eſt bonum ex ſocietate quieta reſultans, tanquam pars *felicitatis* humanæ: quæ felicitas in *tota latitudine* ſeu ut ſumma eſt finis ultimus Juris gentium. Vid. Cap. II. Them. III.

Jus gentium Mutabile.

Thema V. Mutabile eſt Jus Gentium.

Quia cauſa eſt mutabilis.

1. Probavimus id Cap. I. Them. III. & Cap. II. Them. VII Ratio eſt ulterior; quia Jus gentium conſtituitur voluntate gentium: voluntas gentium eſt mutabilis: igitur et leges ſeu jus gentium.

Et mutabilis ſocietas.

2. Accedit, mutabiles eſſe etiam ipſas ſocietates gentium, quarum cauſa hæc jura poſita ſunt.

Et quia jus gentium eſt medium.

3. Rurſus Jura gentium ſunt media voluntaria ad bonum ſocietatum. In humanis autem iisque voluntariis rebus non eadem ſemper media ad idem conducunt; ſed neceſſe eſt ſæpe, media alia ex aliis tentare, nova interdum excogitare, aut obſoleta revocare in uſum.

Experientia docet.

4. Experientia humani juris optima magiſtra & prope unica hoc demonſtrat. De quo legatur Præfatio *Leibnitii* in Codicem Juris Gent. Diplom. Videatur horum ulterior ratio in Jure Naturæ Cap. II. Them. XII.

Omne jus controverſum indiget judice & foro.

Thema VI. Omne Jus, quod dubiis & controverſiis eſt obnoxium, debet habere controverſiarum judicem, & forum aliquod, in quo illud dirimatur.

Alias Auctor deſtituiſſet naturam in neceſſariis.

1. Videtur hoc exigere ipſa humana natura. Hæc enim, quamvis poſſit deſtitui in aliquibus, quæ ipſi propria non ſunt, ſed communia cum brutis. attamen in illis non debet deſtitui, quæ ipſi ſunt propria ac præcipua. Inter hæc autem eſt Jus & regula vitæ. Si ergo tales eſſent regulæ vitæ, ut ſemper manerent dubiæ, & nunquam aliquo modo deciderentur, deſtitutum eſſet humanum genus in iis, quæ ſibi propria ac præcipua ſunt.

Nec fuiſſet providus.

2. Id ipſum convenit providentiæ numinis, à qua omnis hominum ordinatio trahit motum, media, atque finem. Et quamvis interdum judicia dura ſint & gravia, tamen melius eſt humano generi vel iſta ſaltem adeſſe, quam deeſſe omnia. Sicut civitati melius eſt, judices adeſſe, tametſi per hos nonnumquam damnentur innocentes & abſolvantur rei; quam ſi nullum eſſet forum ac judicium. Jam enim ante tria fere annorum millia fruſtra ſuſpiravit *Heſiodus.* l. Oper. & Dier. ℣. 174.

Nunc genus ex ferro eſt hominum, noctuque diuque.
Quos miſeræ exercent curæ inſanique labores,
Seu quos ex ſeſe accipiunt, aut ab Jove ſummo.
His tamen eſt dulcedo aliqua intermixta bonorum.

3. Sic in jure naturæ forum & judex ſummus eſt naturæ ipſe Dominus. Delegatum autem & ſubordinatum forum ac judex eſt conſcientia. Vid. *Jus naturæ* Cap. XXII. Them. IV.

Judicium eſt penes auctores

Thema VII. In omni jure forum ac judicium eſt penes auctores vel dictatores

res Juris, & locum te nentes.

tores legum, eorumque ſucceſſores aut locum tenentes.

Quia eſt explicatio legis authentica.

1. Judicium enim eſt quædam legis explicatio, applicatio & *conſervatio* ab impugnatione & transgreſſione. Jam per quæ quid conſtituitur, per eadem & conſervatur, ut habet axioma. Igitur legislatorum eſt judicium.

2. Deinde receptum eſt, *explicationem authenticam, & deciſivam legis* ſpectare ad eum, qui illam proprie condidit.

Juris Gentium Judices ſunt Gentes ipſæ.

Them. VIII. Juris gentium judices ſunt eædem gentes, à quibus illud jus eſt conſtitutum.

1. Sequitur hoc ex prioribus.

2. Si enim duo homines prorſus ab omni humana poteſtate liberi conſentirent in certum vivendi modum; certe nemo eſſet eorum judex, niſi ipſimet. In eadem autem conditione ſunt omnes gentes liberæ.

Non una gens ſola vel duæ.

Them. IX. Non tamen una gens ſola, aut duæ ex pluribus debent hoc judicio gaudere, ſed omnes illæ, quæ antea conſenſerant.

Probatur.

1. Quia ſupponuntur omnes liberæ, neque adeo *uni* ſubjectæ, à qua legem accipere debeant.

2. Quia per quæ quid conſtituitur, per eadem & conſervatur. Atqui omnes ſimul fecerunt jus: ergo omnes ſimul illud conſervant judicio & interpretatione authentica vim legis habente.

Niſi alteræ irrationabiliter diſſentirent.

Them. X. Niſi forte irrationabilis eſſet diſſenſus unius ab eo judicio, in quod cæteri conſenſerunt.

Probatur.

1. Nam ſi verè irrationabilis eſt diſſenſus, repugnat juri naturæ, ſive eſt injuſtus. Injuſto autem diſſenſu unius non debent reliqui impediri à juſto judicio.

Explicatur.

2. Injuſtus autem videtur diſſenſus, ſi cætere omnes gentes in rem juſtam conſentiunt, neque ipſi huic parti diſſentienti inutilem, aut indecoram, aut pernicioſam.

Exemplum.

3. Unde Si ſupponitur, omnes Europæas gentes olim conſenſiſſe in immunitatem legatorum: deinde vero oriatur alicubi ſuper hoc controverſia; inſtitutoque colloquio aut bello judicium ſuſcipiatur, poſſunt reliquæ gentes judicare, retinendam porro eſſe hanc immunitatem etiam ab ea gente, quæ olim conſenſerat, nunc vero renititur. Quia irrationabiliter diſſentit à judicio hoc. Et ideo poteſt etiam à cæteris ob diſſenſum puniri, & cogi ad aſſentiendum, vel potius ad non diſſentiendum, ſive ad continuandum aſſenſum olim præſtitum.

Ratio fundamentalis.

4. Ratio intimior eſt; quia per omne pactum, tacitum etiam, aliquid de libertate mea remitto, &, quantum ad hoc, me ſubjicio compaciſcenti, eique in me certum jus tribuo & agnoſco. Itaque ſi eum per diſſenſum ſubſequentem hoc jure iterum privare contendo, irrationabiliter & injuſte ago: & ille compaciſcens manet in poſſeſſione ſui juris, illudque in me exercere poteſt.

5. Unde patet, eum qui à conſenſu ſemel recepto, & à judicio publico gentium inde oriente recedit irrationabiliter, conſtitui per hoc reum, & ſubjacere tali gentium foro.

Gentes ſunt veri judices, circa quæ?

Them. XI. Gentes conſenſu certo junctæ, in controverſiis circa ea, quæ certo conſenſu conſtituta erant, ſubnaſcentibus, ſunt veri judices.

1. Judex eſt, qui habet legitimam poteſtatem cauſam cognoſcendi ac decidendi, & leges applicandi. At gentes eodem jure conventionali utentes habent talem poteſtatem; quia per conventionem gentes de ſua libertate remittunt aliquid, idque reponunt in manus & poteſtatem cæterarum, ut ſupra diximus.

2. Legitima autem eſt hæc gentium poteſtas; quia oritur ex lege conventionali, ſeu ipſo conſenſu ſingulorum erga omnes.

An Gentes poſſint facere exceptionem in conſenſu?

Them. XII. Excipi etiam poteſt, ſi gens conſentiens appoſuiſſet certas conditiones aut reſervationes; aut ſi tales reſervationes aliunde ex rei ac gentis natura patent.

Exemplum.

Sic etiamſi Turcæ cum populis Chriſtianis in nexu Juris gentium ſint & vivant; & gentes Chriſtianæ aboleverint ſervitutem ex captivitate militari olim ortam; tamen Turcarum indoli nunquam id conveniebat, & ipſo facto contrarium ſemper faciunt: neque ad hoc per cæteras gentes cogi poſſunt ſub eo prætextu, quod jure gentium vivendum ipſis ſit. Ita quidem videtur. Sed hujus quoque rei non noſtrum, ſed gentium judicium eſto. Confer ſuprà Cap. II, Them. XIV. num. 5.

Poteſt. Sed viciſſim debet id aliis permittere.

Them. XIII. Debet tamen gens aliqua excipiens pati, ut & aliæ eadem exceptione contra illam utantur.

Ratio.

1. Quia Gentium par eſt conditio. Fieret autem ſine cauſa impar, ſi poſſet ab alia exigere, quod ipſa aliis præſtare non vult.

Exemplum

2. Atque hoc etiam adverſus Turcas in uſu eſt, quorum captivi apud nos vera mancipia ſunt. Et inconſultum eſt, Turcica mancipia à Chriſtianis meliore loco haberi, ut nupero exemplo Melitenſi hoc anno 1749. didicimus, quando tale mancipium Turcicum (inter barbaros quidem nobile, nempe Baſſa) mul-

ta libertate, ſibi in ea inſula indulta, abuſum, conſpirationem in inſulam adornavit, volens occiſis omnibus Equitibus eam prodere ac tradere Turcis.

Forma Judicii Juris Gentium varia.

Them. XIV. Forma judicii Gentium eſt eadem fere, quæ in *conſtituendo* jure gentium ſervatur, nempe *CONGRESSUS* per legatos: *Conventio* per ſcripta: *USUS &* acquieſcentia tacita, ſeu conſuetudo: *ARBITRI* alecti vel admiſſi: *SORS* etiam poteſt adhiberi & adhibita interdum fuit, ut *Monomachia*, quæ ſortis inſtar haberi poteſt.

1. Hodierno tamen jure gentium nec ſors nec monomachia facile adhibetur ad id judicium: ut omnibus notum eſt.

Congreſſus. Arbitrium Conſuetudo anceps.

2. Adhibetur autem *Congreſſus*, & *Arbitrium.*

3. *Uſus* & *conſuetudo* anceps forma eſt, cum plerumque ipſe uſus & conſuetudo ipſa in contentionem veniat. Cauſam vide Cap. I. Them. XVI. num. 3.

Momenta decidendi in foro Juris Gentium.

Them. XV. Momenta judicem Juris Gentium ad decernendum determinantia ſunt non *ſola* æquitas naturalis, non *immediate* jus divinum poſitivum, non jus civile aut publicum: ſed leges & conditiones ejusdem conſenſûs, qui Jus gentium conſtituerat, & obſervantia certa.

Non ſunt ſola æquitas naturalis,

1. Nam cum hoc forum non ſit forum naturæ, ſed ei ſubordinatum: hinc motiva *propria* non ſumit ex jure naturæ, ſed illud tanquam ſuperius ſupponit, eidem tamen ſubordinat. Sicut Prætor civilis motivum decidendi cauſas civiles non ſumit ex Jure naturæ, ſed hoc ſuppoſito tanquam ſubalternante, ipſe movetur à legibus: niſi ubi leges nihil, aut obſcure deciderunt, aut Prætoris arbitrio permiſerunt.

Nec leges civiles;

2. Leges civiles non poſſunt eſſe motivum determinans forum gentium: quia illæ ſunt ſubordinatæ potius; & ſubordinantia non determinantur à ſubordinatis, ſed contrà. Deinde quia leges civiles peculiares ſunt, nec poſſet definiri, ex cujus gentis lege civili ſumenda eſſet determinatio?

Niſi gentes in hoc conſentirent.

3. Certe tamen *poſſet fieri*, ut gentes aliquæ conſentirent in capita *cujusdam* juris civilis, v. g. Romani, pro regula ſocietatis ſuæ accipienda: nulla enim in hoc apparet contradictio. Verum jam nunc eæ non conſenſerunt in idem: nec ulla apparet ſpes, conſenſuros.

Votum Leibnitii ut conſentient in Jus Canonicum.

4. Leibnitius recte advertit, ante aliquot ſecula Jus Canonicum velut quoddam Jus *Gentium Chriſtianarum* commune fuiſſe: quod haud dubie magnum erat in totam Chriſtianitatem beneficium. At jam hæreſes novæ quemadmodum aliis longe majoribus & æternis, ita hoc quoque temporario, permagno tamen beneficio privarunt Europam. Quod vel ſolum ſufficere Chriſtianis deberet ad animum à Jure naturæ & Gentium per Heterodoxos tradito avertendum.

5. Supereſt, ut momenta decidendi in juris gentium foro petantur à legislatoribus ejusdem juris; quemadmodum in controverſiis Juris civilis decidendis recurritur ad ipſum Principem vel Rempublicam.

Majora ſuffragia in hoc foro.

Them. XVI. Majora ſuffragia in hoc foro locum non habent: poſſunt tamen habere.

Poſſunt habere locum.

1. Quin poſſint habere, dubium non eſt; quia omnia media ad ſocialitatem bonam idonea poſſunt per gentium conſenſum adoptari in jus & obligationem. Cap. III. Them. III. Et revera inter Græcos multos liberos populos majora ſuffragia in foro juris gentium fuere uſu ac conſenſu recepta. Quippe concilium *Amphyctionum* (legati erant omnium Græciæ populorum) de eorundem controverſiis decernebat.

Nunc actu non habent. Exemplum

2. Impræſentiarum autem hæc *Majora* recepta non fuiſſe certum eſt. Nam cum ſub initium præcedentis ſeculi paradigma quoddam typis vulgaretur, ab Henrico IV. Franciæ rege, ut ſuſpicabantur, exſculptum; idemque hoc ſeculo repeteretur per Abbatem S. Pierre Gallum: multis quidem id placuit, tanquam pium deſiderium & optabile; nemo tamen hactenus agnovit, ullo effectu id eſſe receprum. Erat autem paradigma fere ejusmodi: ut in unum locum coirent omnium gentium legati perpetui, judices futuri omnium inter Europæ gentes controverſiarum, ad modum fere Amphyctionum.

Nec unquam habebunt certo.

3. Neque ſpes eſt, unquam ad id deventum iri, quemadmodum nunquam ad perpetuam pacem hac in vita pervenietur, donec cupiditates humanæ penitus eradicentur, quod non eſt opus Amphyctionum. Deinde Veſtigia terrent. Amphyctionum diſſipata vis eſt, cum præpotens Philippus Macedo, metu cogenre inter illos receptus eſt. Modo etiam ſi præpotens aliquis in Europa rex non admittitur, cæteri fruſtra multas *voces* attollent contra hujus multos enſes. Si admittitur ille præpotens, ſuffragia aut debebunt ad ipſius palatum aſſari vel elixari, quoties volet; & inutile ac peſtiferum fiet ſalubre hoc alias remedium.

Aliquo tamen modo eſt locus *majoribus.*

Them. XVII. Aliquo tamen modo ſuffragia majora locum habent, ſic ut per eadem diſponantur diſſentientes ad conſentiendum, & certis in caſibus etiam

am ad pœnam & coactionem procedatur.

1. Nempe ſi irrationabiliter diſſentiat. Suprà Them. X. & XI.

Exemplum.

2. Et plerumque rei ipſius natura fert, ut *potiorem* partem ſequi minor debeat, ſi ſapit. Sie cum ob hereditatem Hiſpanicam diviſæ initio eſſent gentium Europæarum ſententiæ, mox ut angli Batavique cum Gallis Hiſpaniſque conſenſerunt, pace Ultrajectina, tunc ſuffragia nempe potiora rem eo facile deduxerunt, ut ceteri licet numero plures aut pares, impares tamen pondere, facile in eandem ſententiam irent.

Quid his objiciatur?

3. Equidem verum eſt hæc Gallorum ac ſociorum ſuffragia non omnino poſſe dici *judicialem* ex foro Juris gentium *ſententiam*, ad normam Juris civilis. Atque initio ceteri contradixerunt, Domus Auſtriaca bellum etiam poſt traxit, & Germanum Imperium pro mole ſua acceſſit poſtremum. Ex quo forte non male colligi poteſt, Majorum ſuffragiorum vim nondum agnoſci conſtanti gentium

Reſpondetur

conſenſu. Attamen talia etiam in judiciis civilibus ſæpe contingunt: Multæ quippe fiunt transactiones ipſo judice imponente aut fortiter ſuadente. Et negari nequit transactionem eſſe actum judicialem, tametſi voluntate pariatur. Itaque etiam transactiones illæ gentium ſunt actus judiciales fori gentium.

Pax interdum habet ſpeciem ſententiæ in alios dictæ.

4. Ipſam conſenſionem Ultrajectenſem Gallorum, Anglorum &c. ſpectantibus, prope manifeſtum eſt, illam per modum ſententiæ latæ, aut certe per modum formulæ transſigendi ceteris *præſcriptam* fuiſſe. In ea quippe præſcriptum eſt, quid quisque tenere, quid perdere debeat, eorum etiam qui transactioni nequidem aderant. Et parum abſuit, ut renitentes pro contumacibus declararentur.

5. Vix aliter res geſta eſt in nuperis pacis Aquisgranenſis prælocutionibus 1748.

6. Ex quibus puto non inſipienter colligi Thema noſtrum.

Exceptio de *vi ac metu*: an opponi poſſit Judicio Gentium?

Them. XVIII. Exceptio ex jure naturæ ſumpta de *vi* ac *metu*, an foro *Juris gentium* obſtet, problema eſto, necdum enim mihi conſtat de certo conſenſu gentium.

Incertum eſt exemplis.

1. Exempla adſunt, quando vis metusque adhibitus eſt, ut cum Pacis Weſtphalicæ conſilia protraherentur, fuere, qui moram Domui Auſtriacæ ac Bavaricæ culpæ darent, nec ante promovendum quidquam dicerent, niſi in utriusque ditionem transferretur bellum. Translatum eſt, eaque vi adigente eodem anno juncta pax. Rurſus Domini Proteſtantes Germaniæ clauſulam illam pacis Riswicenſis, de Catholica religione in Palatinatus parochiis à Rege Ludovico XIV. fundatis retinenda, dicebant vi armorum ac fortuna Gallorum extortam, ipſorum ingratiis.

Videtur non poſſe; quia metus non impedit conſenſum.

2. Verum quod attinet ad Jus naturæ, receptum eſt, *metu non cauſari involuntarium ſimpliciter* Vid. Jus Naturæ Cap. VI. Them XII. Igitur dici forte poteſt, exceptionem juris naturæ de tali vi ac metu, opponi non poſſe in foro gentium; quia metus non impedit conſenſum: ſtante adeo metu Juris Gentium ſententia poteſt conſiſtere, ut quæ conſenſu formatur.

Quia coactio aliqua ad omne judicium neceſſaria.

3. Deinde metus & coactio aliqua videntur ad omne forum & omnem ſententiam plane pertinere. Niſi enim Judex Naturæ, niſi judex civilis metueretur & coactionem haberet, paucæ fortaſſe utriusque hujus fori ſententiæ ferrentur. Quocirca idem etiam in foro gentium locum habet, ut quidem videtur.

Exemplum.

4. Atque in hunc fere modum Galliæ legatus reſpondit Dominis Proteſtantibus Germaniæ, ſeu Cæſareo legato eorum querelas exponenti: Solemne eſſe, metu elici voluntatem, quæ ſponte ſua non moveatur. Non abnuere Gallos eandem ſortem. Irent Domini Proteſtantes, quousque fumos è caminis Lutetiæ aſcendentes conſpicerent; tum deliberaturos etiam Gallos, quid facto ſibi ſit opus.

Exceptio de vi & metu valet contra *præſcriptionem.*

Them. XIX. Ad hoc tamen id genus exceptio de vi, metu &c. valet, ut præſcribi contra excipientem non queat.

Ut in Jure Civili.

1. Receptum eſt in jure civili: Non valenti agere non currit præſcriptio; quamvis interea carere poſſeſſione ejusque fructu carere debeat, ob bonum & publicum & ſuum: publicum; ne perpetua ſit contentio & inquies; ſuum, ne à potentiore prorſus obteratur.

Ita magis in J. Gentium.

2. Quo itaque favore digni ſunt privati cives, eodem totæ gentes indignæ non ſunt. Et hunc eſſe communem gentium ſenſum, ut metum fraudem ac vim paſſus ceſſantibus cauſis in priſtinam libertatem revertatur, ſuaque illi maneant Jura recuperatoria, ampliter nos docebimus infrà, ubi de *Præſcriptione* dicendi ſe locus offeret. Cap. X.

Poſt reliquas Judicii formas poteſt adhiberi *Bellum.*

Them. XX. Cum reliquæ judicii formæ, nempe *Congreſſus*, *Arbitrium &c.* aut fruſtra tentatæ ſunt, aut gravibus de cauſis non poſſunt tentari, ſupereſt mediorum humanorum extremum ac duriſſimum, *bellum.*

Non ſuſcipiendum ſine *Neceſſitate.*

1. Itaque ſi alia ſuppetunt media, non licet experiri bello: non quod Jus gentium illud prohiberet, ſed quod juri na-

turæ repugnet tantum periculum ſubire, ac tantum malum ſuſcipere in remedium ſine *neceſſitate.*

Ob duplex grave periculum.

2. Periculum enim duplex in bello quolibet eſt. Primum ne ipſe profligaris ac ſubditi ac cives tui: Alterum, ne hoſtis ultra jus ſasque lædarur. Nequid dicam de ingentibus aliis malis belli comitibus. Enſem ſtringere liberum eſt, ſemel ſtrictum recondere non item.

Bellum eſt forum Juris Gentium.

3. Cæterum, bellum eſſe forum Juris gentium actualis, dubio vacat. In nihil enim aliud certius, univerſalius, ac conſtantius gentes omnes conſenſerunt, quam in jus belli.

4. De hoc autem capite plura ſuo loco.

Forum J. G. habet pœnas & coërcitiones

Thema XXI. In foro juris gentium coërcitiones & quaſi pœnæ exiſtunt, ut *Retorſio* juris iniqui: *Repreſſaliæ*: *Interruptio* ſocietatis ad tempus: *Bellum* punitivum & vindicativum.

Repreſſaliæ Retorſiones juris iniqui.

De quibus item ſuo loco. Dari autem hæc inter gentes, nemini ignotum eſt.

Perſonæ hujus fori.

Them. XXII. Perſonæ quæ hoc forum exercent, ſunt Principes gentium, earumque Legati & Feciales, qui tanquam judices delegati, conſultores, advocati, & accenſi ſunt. Item executores ſunt milites, Duces aliique publici miniſtri gentium.

Manifeſta pro Haraldis.

Hæc quoque in jure gentium actuali exiſtere notorium eſt. Niſi quod Feciales & Haraldi à ducentis jam annis extra uſum ſunt, & in eorum locum ſucceſſiſſe videntur ſic dicta *Manifeſta*, quæ adeo dici poſſent *litteræ feciales.*

CAPUT IV.

De Jure Gentium Certo, ac primum de Commercio.

Thema I. J*Uris gentium Europæarum actualis certi* ſunt pauca ſequentia.

Pauca ſunt J. Gentium Europæi.

Commercium.
Legati.
Fœderum Sanctio.
Repreſſaliæ &c.
Bellum.

1. Hæc enim in uſu moderno atque communi ſunt Europæis gentibus. Nam de Jure Indorum cum Sinis ac Perſis aut Batavis, ad Germaniam noſtram vix attinet.

2. Diviſionem bonorum eſſe juris gentium, manifeſtum quidem eſt, ſed hic omiſimus; quia ad jus gentium præſupponitur facta fuiſſe. Cap. I. Them. II.

Commercium quid ſit?

Them. II. COMMERCIUM eſt communicatio mercium, & quidquid ad hoc neceſſarium vel idoneum eſt.

Talia idonea aut neceſſaria ſunt homines devehentes, miniſtrantes, itinera, litteræ &c.

Fundatur in J. Naturæ. non tamen eſt J. Naturæ abſolute.

Them. III. Commercium originem trahit ex jure naturæ, & huic eſt conforme: non tamen eſt juris naturæ, ſed gentium, & arbitrarium.

Probatur 1mum.

1. Conforme juri naturæ eſt, quia indigentiis aliorum uccurrere eſt juris naturæ. Vid. *Jus Naturæ* Cap. XXI. Them. II. Cap. XVIII. Commercium autem eſt aliquis modus ſuccurrendi.

Probatur 2dum.

2. Non tamen eſt juris naturæ; tum quod neceſſitas plerumque non ita magna ſit; tum quod commercia magnam partem in rebus ſuperfluis occupentur, & ad voluptatem pertinentibus, quibus carere præſtaret: Tum denique quia commercia ſunt modus ſuccurrendi tantum arbitrarius, & pro arbitrio gentium abrogandus, mutandus &c. Ita revera populi olim commerciis aut caruerunt omnino, aut parce iis uſi ſunt. Germani fortes, caſti, frugales fuerunt, quamdiu nihil commercati ſunt, præter captivos, & ex hoſtibus ſpolia. Galli contrà Julii Cæſaris ævo commerciis dediti peregrinis voluptatibus corrupti ſunt, ita ut nec vultum Germanorum ferre poſſent.

Quia commercia nunc magnam partem conſiſtunt in vanis, ſuperfluis.

Et exercentur ob divitias.

3. Alia ratio, cur commercia non ſunt Juris naturæ, hæc eſt; quia non indigentiæ alienæ juvandæ cauſa, ſed ob divitias proprias acquirendas ſolent exerceri.

Objectio.

4. Neque dicas: hoc ipſo eſſe juris naturæ, quia mercaturam quis exercet ad eſſe ſuſtentandum.

diluitur.

Nam ſuſtentatio ſui, & familiæ eſt quidem juris naturæ, nec arbitraria: at ut *per mercimonia* id fiat, æque parum eſt juris naturæ, ac ut ſis ſcriba aut medicus aut ſatrapa, quamvis iſtis officiis ſuſtentetur vita.

In caſu neceſſitatis Commercium eſt J. Naturæ

5. Si quis tamen eſſet caſus, ut alicui genti eſſet pereundum, niſi commerciis ſue-

ſuccurratur, aliæ gentes eſſent jure naturæ obligatæ ad commercia iis indulgenda, Et, niſi indulgeantur, vi poſſet agere ad acquirenda ſibi neceſſaria.

Exemplum Gallorum.

6. Simile quiddam pati ſe exiſtimabant veteres Galli, qui juventute nimium aucti, examina foras miſerunt, non quidem ad mercatum exercendum, ſed ad alimenta terraſque quærendas, eoque nomine ab Hetruſcis petierunt agros &c. atque his negantibus vim intulerunt. Ubi nolim ego affirmare, Gallos conſentanea juri naturæ egiſſe; id tantum dico, ipſos hoc exiſtimaſſe, quantum colligi ex hiſtoria poteſt. Forte *nec vera*, *nec tanta* neceſſitas fuit, ut optimos agros peterent, ſi voluiſſent deteriores & vacantes quærere.

Modus Commercii pendet ab eo, qui acceditur.

Them. IV. Conſenſu gentium receptum eſt, ut modus exercendi commercii præſcribatur ab eo, ad quem acceditur; non ab eo, qui alterum commercandi causâ accedit.

Experientia teſte.

1. Id ita receptum eſſe, conſtat omnibus, qui pedem ſaltem extra ſtillicidium paternum extulerint.

quæ fundatur in diviſione rerum.

2. Idque fundatur in diviſione rerum per gentes facta, per quam quælibet gens intra pomœria ſua eſt domina omnium humanorum. Hinc adagium: *Si fueris Romæ, Romano vivito more.* Et eſſet profecto abſurdum, ſi cuivis ruris colono fas eſſet, in ſuo tugurio præſcribere advenæ modum agendi, Gentibus autem idem fas non eſſet. Hæc itaque eſt omnium gentium voluntas, ut modum talibus rebus ſtatuere ſit in poteſtate. *Quod quis autem juris in alterum ſtatuit, eodem & ipſe utatur neceſſe eſt.*

Adagium.

Axioma.

Libertates commercii ſunt J. Gentium non in ſpecie.

Them. V. Libertates quasdam in genere Indulgere commercantibus extraneis in ſua regione, Juris eſt gentium Europæi: has autem ſeu illas in ſpecie indulgere, eſt arbitrii ſuperadditi: niſi pacta ſpecialia fiant.

Sed in Genere.

1. In genere debent *aliquæ* indulgeri; Quia, ut ajunt philoſophi, *Qui dat eſſe, dat etiam conſequentia adeſſe.* Commercia ſunt Juris gentium: igitur etiam ea ſunt juris gentium, ſine quibus commercia eſſe non poſſunt.

2. Unde in Europa ſi qua gens commerciis nullam indulgeret libertatem, ſeu alia media neceſſaria plane denegaret, peccaret contra Jus Gentium Europæarum, & poſſet ad forum Juris gentium trahi: quia violaret jus conſenſu communi atque uſu introductum. Vid. Cap. III. Them. VII. ſeqq.

Quæ libertates ſint uſitatæ?

Them. VI. Inter conſuetas libertates & media hæc ſunt: Liber acceſſus ac receſſus; viæ commodæ: juriſdictio aliqua quæ etiam extraneis circa commercia conceditur in extraneos: commoda emporia, portus.

Quotidiana experientia demonſtrat, iſta eſſe in conſuetudine ſtricta.

Jus. Gentium ſunt onera pro libertatibus ferenda.

Them. VII. Vice verſa Jure gentium receptum eſt, ut pro libertatibus & commodis etiam imponantur *aliqua* onera, æquitatem non excedentia, nec evertentia finem commerciorum; nempe Vectigalia, portoria: temporum, locorum, viarum, ponderum, pretii, formularum contractuum, feriarum, miniſtrorum, ipſarum etiam mercium præſcriptio ac definitio: quæ omnia pati debet extraneus mercator; niſi ſimilia pactis ſpecialibus definita eſſent.

Hæc ita eſſe recepta, publice notum eſt omnibus. Et fundatur in diviſione bonorum, ſupra Them. IV. num. 2.

Averſio periculi, damni, non eſt Jus Gentium ſed Naturæ.

Them. VIII. Ut excludantur homines periculoſi, merceſque noxiæ: ut nemini extraneo commercanti ſine cauſa vis aut damnum inferatur, non eſt juris gentium, ſed juris naturæ.

1. Quia hoc licere vel non licere non pendet ab arbitrio gentium, ſed illis etiam refragantibus à natura domina præcipitur. Vid. Jus Naturæ Cap. XXII.

2. Unde ſiqua gens poſtularet commercia exercere *in alieno* absque ullis oneribus, conſenſu olim receptis, peccaret in Jus naturæ, & trahi poſſet ad illius forum, atque puniri excluſione &c. Cap. III. Them. XXII.

In Bello Jus Gentium eſt poſſe rumpi commercia.

Them. IX. Juris gentium actualis eſt, in bello abrumpi commercia tam mercatuum, quam literarum, niſi conſenſu novo eadem certis legibus permittantur.

Quod poſtremum noſtris temporibus aliquoties eſt factum.

Hæc de Commerciis ſunt J. Gentium certi: Reliqua omnia incerti.

Them. X. Niſi mihi aliqua inconſulto exciderunt, hæc pauca prædicta de commerciis ſunt Juris gentium moderni actualis, ac certi: Reliqua fere omnia, quæ multis libris diſputari ſolent, ſunt aut Juris naturæ, aut Juris gentium poſſibilis tantum, aut controverſa, nec gentium conſenſu adhuc conſtituta.

1. Sequitur ex Cap. I. Them. VI. & XI.

non definienda,

niſi ab ipſis gentibus.

2. Illas autem diſputationes hic exponere, ſupervacuum ducimus: Niſi enim controverſiæ illæ *definiantur*, nihil proſunt iis, qui ſcire cupiunt, quæ ſit regula gentium, non quæ ſint litigationes circa regulam. Definiri autem iſta nec à nobis nec ab omnibus ſimul doctoribus ac ſchulis poſſunt, ſed à gentibus ipſiſmet.

CAPUT V.

De Legatis.

Legati negotioſi ſunt Juris Gentium certi.

Thema I. GEntibus Europæis jus vigere *legatos negotioſos* mittendi & recipiendi &c. manifeſtum eſt.

1. *Legatos negotioſos* voco omnes illos, qui mittuntur ad tractandum, offerendam aut petendam opem, amicitiam &c.

2. Quoties igitur Germaniæ reges aliqui Principibus Germaniæ majoribus, tanquam capitibus nationum Germanicarum, controverſum fecere hoc jus, toties in libertatem machinati ſunt, & *quæſtionem ſtatûs* moverunt: id eſt in dubium vocaverunt, an nationes germanicæ ſingulæ conſtituant veram gentem liberam?

Legationis jus poſſunt acquirere etiam non-gentei liberæ.

Them II. Nihil tamen vetat, quo minus legationis negotioſæ jus acquiratur uſu aut lege, aut neceſſitate &c. etiam ab iis, qui non conſtituunt unam gentem liberam, ſed ſunt gentis alterius particula, etiam ſubdita.

Exemplum.

1. Ita Civitates Imperii certe non conſtituunt ſingulas gentes & nationes, ſed ſunt nationum particulæ, ut Brema Saxonicæ, Ratisbona Boicæ &c. nec tamen carent jure legationis. Sed hæc in Jure Germaniæ publico pertractanda.

Aliud.

2. Hollandi, etiam ante quam liberi declararentur, varias legationes misere in multas Europæ ac reliqui orbis aulas: qui paſſim eadem immunitate honorati ſunt.

Objectio declinatur.

3. Qui vero dicent: injuſte id actitatum; ii tot Principes una incuſant iniquitatis; cum potius humanum eſſet, eruere cauſas veras ac ſanas, quibus permoti Principes exiſtimaverint, juſte ſe in his agere. ex. gr. videri poterat, rem inter Hiſpanos & Hollandos litigioſam factam: Hollandos advocatum & opem quærere: ad quærendum abſentem neceſſariam eſſe legationem: *neceſſaria* media eſſe juris naturæ, itaque nec liberis nec ſubditis abneganda &c.

Cautela noſtra.

4. Cumque hæc dico, non probo ea, quæ tum fiebant, ſed in medio relinquo. Imo potius refero, quæ tum dicebantur ac ſcribebantur. Ceterum oſtendo per iſta, verum eſſe thema meum; Legationis jus etiam non liberis gentibus acquiri poſſe.

Thema probatur à pari.

5. Denique Sicut jus mercatuum, & belli poteſt aliquando cadere in ſubditos, e. g. cum hi manifeſte injuſte opprimuntur, & bellum devenit medium unice reſtans neceſſarium conſervationis. Ita poſſunt etiam alia gentium jura privatis acquiri; cum ea his caſibus tranſeant in jura naturæ.

Ratio Wiquefort I rejicitur,

6. *Wiquefortius* harum rerum expertiſſimus dans Son Ambaſſadeur. Lib. I. Sect. II. negans, Legatos ab aliis quam ſummo imperio gaudentibus mitti poſſe, hanc ejus rei fundamentalem rationem eſſe docet: quod Legatus debeat poſſe protegi à mittente: protegi autem non poteſt, niſi mittens habeat jus armorum & gladii. Verum fieri poteſt, ut ille populus, cui *jus* armorum litigioſum redditur, tamen actualem protectionem æque efficaciter præſtare poſſit, ac alius populus vel princeps, qui eſt in indubitata poſſeſſione juris. Sicut tunc Batavi actualem protectionem æque dabant ac rex Hiſpaniæ, quanquam jus eſſet controverſum, armorum vis erat certa & ſenſibilis. Ut adeo ratio Wiquefortii *pro* ſimilibus caſibus militet.

Qui partialis eſt contra Catholicos.

7, Ceterum in eadem ſectione Wiquefortius videtur Improbare, quod Batavi non admiſerint legatos Parlamenti anglici contra regem: mox autem probat, legatos Hibernorum contra idem Parlamentum ab iisdem Batavis non fuiſſe admiſſos; ratio eſt, quia, inquit, iſti Hiberni erant rebelles indigni protectione juris gentium. Atat Hiberni rebelles cur ſunt, cum ſe Parlamento paricidæ opponunt; cur contrà Parlamentum parricidii decollato rege reum rebelle nequaquam eſt? In promptu cauſa eſt: Hiberni erant Catholici., hoc ipſos Wiquefortio indignos jure gentium præ Parlamento facit, quamvis fateatur, Hibernam iſtam legationem ab ipſo rege approbatam fuiſſe.

Majeſtatica legatio poteſt mitti.

Them. III. Legatio *majeſtatica* poteſt mitti à *ſolis* gentibus liberis. Sed non ab *omnibus*, ob varias cauſas.

1. *Majeſtaticam* voco legationem, quæ alias dicitur prædita *Caractere repræſentativo* majeſtatis.

à ſolis liberis gentibus.

2. Et ſolas quidem gentes liberas poſſe mittere perſonam, quæ ipſarum *majeſtatem* repræſentet, conſtat ex terminis, quod enim non eſt, non poteſt repræſentari.

3. Non

Sed non ab omnibus. 3. Non ſautem omnes liberas gentes poſſe mittere legationem, quæ majeſtatem repræſentet, exemplis patet. Nam Dux Bojariæ, Dux Saxoniæ, qui capita ſunt liberarum nationum, non mittunt legatos majeſtatem præſentantes. (*ſaltem* majeſtatem *Germaniæ*.)

Ratio. 4. Cujus cauſa non eſt, quaſi ii carerent vera majeſtate, cum nullum majeſtatis jus ipſis deſit, ſicut nec deeſt nationi. Sed hæ nationes earumque Duces ab initio coiverunt in tale fœdus ac ſyſtema Germanici regni, ut nationibus omnibus liberis manentibus unum ſeorſim caput eligeretur, in quo *majeſtas omnium* tanti corporis membrorum concentraretur, ut ajunt. Itaque ſe ipſas non exſpoliarunt re ſed nominis ſaltem prærogativa, ut nomine in unum caput translato tanto ſplendidior appareret res ipſa, nempe majeſtas, realis *totius* Germanici regni.

Imperium Germanicum non eſt Status *irregularis*, ſed artificioſiſſimus. 5. Hæc iſto in loco exempli tantum cauſa afferuntur, cum in Jure publico ſint profundius demonſtranda. Interea tamen vel ex his apparere poteſt, falli illos, qui Regnum noſtrum Germanicum admodum *irregularem* ſtatum eſſe exiſtimant. Neque enim contra regulam naturæ, neque contra regulam juris gentium quidquam in eo peccatur. Quin tanto cum temperamento & artificioſa exceptione applicatæ ſunt Statui noſtro utræque hæ regulæ, ut admirationi id fuerit Thuano, quamquam non penitus noſtra intelligenti.

Ordines varii legatorum non ſunt Juris, ſed arbitrii. *Thema IV.* Non eſt *juris* gentium, ſed vagi arbitrii, ut legatorum tres aut quatuor ordines habeantur; ut ad talia negotia adhibeatur talis vel talis ordinis legatus &c.

1. Vulgo tres agnoſcuntur ordines: Primus cum Caractere repræſentativo, qui dicuntur *Ambaſſiatores*, & in Curia Romana Oratores. 2dus eſt *Reſidentium*, vel Ablegatorum, Envoyé. *Tertius Agentium*, Secretariorum legationis &c.

Probatur. 2. Hæc adeo non ſunt conſenſu obligatorio gentium fixa ac firmata, ut aulæ diverſæ diverſa, eædem quoque aulæ non eadem ſemper & ſentiant & admittant. Quapropter cum legationes inſignes mittendæ ſunt, modum ac leges non repetunt aulæ ex quodam jure gentium alicubi terrarum in libris extante, ſed ſpeciali correſpondentia regulam ſibi peculiarem pro illo caſu conſtituunt, quod hodiernis exemplis probatur ſive in legationibus ad Turcas ſive aliis

Alii promittentes fallunt. 3. Fallunt itaque ſiqui promittunt doctrinam aliquam *Juris Gentium* tradere, ex qua tanquam regula decidi poſſint hæc aliaque innumera gentium negotia.

Them. V. Legatos admitti, nec ſine gravi cauſa arceri finibus, Juris gentium Europæarum certi eſt. Legatorum admiſſio eſt J. Gentium Europæi certi.

1. Nulla enim jam poteſt oſtendi gens Europæa, quæ hoc non exigat tanquam debitum, & viciſſim non præſtet.

2. Cauſæ autem repudiandi legatos hactenus cognitæ variæ ſunt: quibus curſu temporis accedere forſan aliæ poſſent nobis adhuc ignotæ. Nondum enim exhauſti ſunt omnes actionum humanarum modi. Sunt tamen cauſæ eos repudiandi,

3. Ratio fundamentalis omnis ejusmodi repudiationis eſt duplex: Jus naturæ, & Libertas propria. *Jure Naturæ* repudiatur legatus, ſi metuitur tanquam periculoſus reipublicæ, ſeu periculum ex cx perſona mittentis ſeu ex perſona miſſi rationabiliter timeatur, ſive ex adjunctis. Nemo enim conſenſit aut conſentire potuit in grave periculum ſuum ſine cauſa graviore. Itaque cum gentes Europææ conſenſerunt in obligationem recipiendorum legatorum, conſenſerunt in hoc tanquam in medium ſuæ conſervationis, non tanquam in medium ſuæ perditionis. Item cum gentes conſentiendo in jus legationum admittendarum reſtrinxerunt libertatem ſuam *quoad modum*; tamen non conſenſerunt in præjudicium libertatis ſuæ *quoad ſubſtantiam*. Quodſi igitur probabile eſt periculum, ne per legatum minuatur libertas in aliis etiam, præterquam in pra admiſſioneu, gentes in hoc non conſenſerunt; neque adeo admiſſio talis eſt Juris gentium Europæarum certi. partim jure naturæ. partim Libertas.

Exemplum. 4. Ita vidimus nuper ab aliqua gente Euro-Boreali excludi aliquem legatum gentis alterius; quod hic gentem illam publice vocaſſet *Barbaram*. In hoc legato jam non erat *periculum*, ſed reale *damnum*. Injuria enim affecerat honorem & famam illius gentis. Si igitur licebat legatum excludere ob periculum injuriæ, multo prolixius id licebat ob injuriam reapſe illatam.

5. Reconciliationes tamen ut alibi ita & hic habere locum debent, præcipue in gentibus Chriſtianis. Idque non gentium ſed naturæ jure eſt præceptum. Reconciliationes tamen admittendæ.

Thema VI. Sanctitas ſeu *Immunitas* ac inviolabilitas legatorum jam receptorum, introducta eſt jure gentium, apud Europæos jam certo. Immunitas legatorum eſt J. Gentium Europæi cert.

1. Ridiculum eſſet hoc demonſtrare, cum vel omnibus ruris colonis ſit decantatum.

2. Fun-

Fundamentum immunitatis est Jus Naturæ.

2. Fundamentum hujus inviolabilitatis alterum eſt *Jus naturæ* : alterum *Libertas gentium.* Nam ſi paſſim violabiles eſſent legati, nemo eſſet, qui operam ad componenda gentium negotia ac lites ſopiendas locaret : itaque perpetua manerent bella & inimicitiæ, mediis reconciliationis abſciſſis. Id quod juri naturæ repugnaret. *Libertas* autem gentium alterum eſt hujus immunitatis fundamentum ; Sicut enim gens genti non eſt ſubjecta & obnoxia, uti ſupponitur ; ita nec legatus eſt ſubjectus & obnoxius, qui receptus eſt tanquam repræſentans gentem.

Fund. alterum Libertas.

Quanta ſit immunitas eſt J. Gentium incerti.

Thema VII. Quouſque autem ſe extendat ea immunitas ultra perſonam Legati, & neceſſariorum ejus ; non eſt definitum jure aliquo communi gentium Europæorum certo.

Experientia teſte.

1. Apparet hoc ex permultis omni tempore litibus circa talia ſuſcitatis in Anglia, Hiſpania, Germania, Luſitania, Suecia, Polonia, Italia ipſaque Roma.

Immunitates dicuntur *privilegia.*

2. Apparet etiam ex eo, quod multæ tales legationum immunitates dicantur ſæpe *privilegia*, & velut exemptiones à communi jure. Quemadmodum ergo Juris quidem gentium eſt, ut mercimonia aliquibus privilegiis inſtruantur, non tamen ſemper determinate his aut illis ; ita accidit in immunitatibus ſpecialibus legationum.

Plerumque convenitur in his nè incarcerentur &c.

3. Plerumque tamen in his convenitur : quod capi, incarcerari aliiſque modis coarctari nequeant : nec domus eorum excuti : nec in jus vocari negotiorum ipſis imperatorum cauſa &c.

Legatus delinquens privatim ſubjacet ſuo leganti.

Thema VIII. Ubi Legatus delictum privatum commiſit, debita contraxit &c: jure gentium non ſubjacet reipublicæ ubi moratur, ſed ſuæ, à qua eſt miſſus.

Uſu ita receptum eſſe conſtat. Ratio eſt, quia non eſt ſubditus, ſicut nec reſpublica, quæ eum miſit.

Delinquens in rempublicam. Poteſt coerceri. Sed moderate : Quia hic multa incerta.

Thema IX. Ubi tamen deliquit in rempublicam, ad quam eſt miſſus, vel aliàs periculoſus eſt, aut ubi eſt in mora periculum, Jure gentium poteſt comprehendi, domus excuti &c : modeſte tamen & nihil ſupra magnam neceſſitatem. Quia hæc non adeo certi ſunt juris, ut non magnis altercationibus & quandoque bellis præbuerint anſam.

Experientia.

Exempla nos vidimus alia quietiora, tumultuoſa alia. Id certum eſt, longe cautiores hic eſſe, qui ſunt minus potentes ; minus accurati ſunt potentiores, qui leges ſæpe in ſua commoda trahunt, quibus ſerviunt infirmiores. Putant enim magni illi, nec forte ſine fundamento, ſibi majorem præ cæteris honorem deberi, à quibus plus timoris rependitur.

Judicium in eum videtur competere leganti.

Judicium tamen in ipſum legatum ſic delinquentem ferre, nemini videtur competere, niſi principi vel populo, à quo eſt miſſus. Vid. *Wiquefort* Lib. I. Sect. XXVII.

CAPUT VI.

De Fœderibus.

Fœdera hic & pacta quæcunque gentium promiſcue ſumo. Cæterum pauca de his ad *Jus Gentium* attinent, pleraque ad *Jus naturæ*, ut mox videbimus.

Fœdera ſanciri non eſt J. Naturæ, niſi ſuppoſita neceſſitate.

Thema I. Fœdera inter gentes ſanciri non eſt *Juris naturæ*, niſi quo caſu eſſet medium abſolutum ad conſervationem alterutrius neceſſarium.

Sine fœderibus obtineri totus naturæ finis à gentibus poteſt. Natura autem ad nihil obligat, niſi quod eſt ad naturæ finem neceſſarium. Nec lubet his ultra immorari.

Nec eſt Juris Gentium, ſed meræ facultatis.

Thema II. Fœdera ſanciri nec eſt *juris gentium* : ſed meri arbitrii ſeu meræ facultatis : niſi quatenus aliquod fœdus eſſet neceſſarium ad aliud fœdus ſervandum, vel alia ſervanda gentium jura.

Probatur.

1. Quodſi enim eſſet quædam obligatio Juris Gentium, ut fœdera aliqua ſanciantur, poſſet gens aliqua ad fœdus ineundum cogi. Id quod eſt contra ſenſum communem, & contra ipſum conceptum libertatis ac diviſionis gentium. Sicut ergo gens una eſt obligata jure gentium, ut ſocietatem cum aliis gentibus poſitive colat (Vid. Cap. I. Them. III. IV. VI.) ita multo minus eſt obligata ad certam ſpeciem cultûs ſocialis, nempe ad fœdera particularia.

Ex ſenſu Communi.

Suppoſita neceſſitate pactitia, eſt Juris Gent.

2. Quodſi tamen præſupponitur, inter quaſdam gentes conſtitutam eſſe obligatoriam quandam ſocietatem, & ad hanc

hanc conſervandam neceſſaria eſſet alia pactio; obligaretur iſta gens ad hanc alteram pactionem ex vi prioris pactionis.

Exemplum hypotheticum.

3. Exemplum. Si poſſet ſupponi, Germanicas nationes ita conſenſiſſe in Syſtema regni Germanici, ut fœdera cum his & illis jungantur per pluralitatem votorum in comitiis; tunc equidem gens aliqua Germaniæ teneretur ad idem fœdus amplectendum, cumprimum vota in comitiis majora prodirent. Teneretur autem ex vi illius *præſuppoſiti* fœderis.

J. Gentium non obligat ad ſpecialia fœdera pacis, etiam poſt bellum.

Thema III. Ne quidem poſt turbatam pacem ex jure gentium obligamur ad *fœdus pacis ſpeciale* ſanciendum.

1. Equidem jure naturæ tenemur ad inimicitiam & hoſtilitatem deponendam, & ad reſtituenda injuſta damna &c. Sed ad *fœdus ſpeciale* propterea ineundum nullo jure tenemur: cum poſſint prædictæ obligationes impleri abſque tali fœdere.

Exemplum.

2. Experientiâ id conſtat. Sic Philippus V. Barbonius Hiſpaniarum regnum adeptus cum Imperio Romano & Domo Auſtriaca nullam aliquamdiu pacis confœderationem habuit, ſed utrinque ceſſatum ab armis eſt; fuiſſetque omnis contenta Europa, ſi eo ſitu res perduraſſet. quippe *ſeria quies* pax eſt: fœdera illa paci adeo nihil addunt, ut plerumque novorum bellorum & calamitatum ſint ſeminaria.

Pacta ſervare non eſt J. Gentium ſed J. Naturæ. Probatur.

Thema IV. Pacta inita pro poſſibili ſervare & implere non eſt Juris gentium, ſed naturæ.

1. Jus gentium conſtituitur conſenſu gentium, eodemque ſublato auſertur Cap. I. Them. III. & VI. & XI.

2. At jus, ſeu obligatio pacti ſervandi manet, etiamſi gentes nollent ſervare. Itaque hæc obligatio non eſt introducta jure gentium.

3. Pertinet autem directe ad Jus naturæ: nempe ad legem veritatis dominæ, cui ſubjectæ ſunt gentes omnes etiam nolentes.

4. Pactum quidem ſicut mutuo conſenſu conſtituitur, ita mutuo conſenſu tollitur, & ceſſat deinde omnis obligatio cum ipſo pacto. Sed nos loquimur de obligatione pacti *ſubſiſtentis*.

Pacti natura eſt mutuus Conſenſus.

Thema V. Pacti natura eſt mutuus conſenſus paciſcentium; quo poſito ponitur, quo ablato tollitur pactum.

Conſenſus metu extortus

Patet ex ſenſu communi; nec evidentia ſunt demonſtranda.

non obligat jure Naturæ,

Thema VI. Conſenſus metu aut vi extortus in foro Juris naturæ non obligat: poteſt tamen in foro Juris gen-

Sed interdum Jure Gentium.

tium tanquam humano obligare: Sic tamen ut præſcriptio non currat.

Hoc Thema anticipavimus ſuprà Cap. III. ubi egimus de foro Juris Gentium, præcipue Themate XIX. Idque præſertim locum habet, ſi metus non ſufficienter probari poſſit: aut non poſſit probari, eum injuſte incuſſum fuiſſe, ſive ex cauſa injuſta, ſive ab eo, qui non habet poteſtatem juſtam terrendi.

In pacto utrinque jus aliquod transfertur in alterum.

Thema VII. Omnis inter liberos pacti hæc natura eſt, ut paciſcentes de ſuo jure utrinque aliquid remittant & transferant in alium.

Si nihil aliud remittit, certe remittit aliquid de ſua libertate: quia obligatum ſe facit & in certis caſibus vinctum.

Pactum de ſuo tantum eſt, non de Jure tertii.

Thema VIII. In omni pacto hoc jure naturæ intelligitur, ut paciſcentes de *ſuo* paciſcantur, non de alieno, ſive de *Jure tertii*: niſi ſub ſpe ratihabitionis.

Ratio.

1. Omne enim pactum remittit aliquid: quod in me non eſt, non poſſum remittere: alienum autem non eſt in me, neque adeo remitti à me poteſt.

2. Unde vehementi admiratione dignum nuper eſt viſum, cum in ſchedis publicis alicubi legebatur, contra Naturæ ac gentium Jura peccatum à certo populo fuiſſe, eo quod *Jus tertii* reſervaverit illæſum.

Suum hic latè intelligitur.

3. *Suum* autem hic debet late ſumi. Nam qui in aliquam rem habet juſtam prætenſionem vel titulum juris, etiamſi illam non actu poſſideat, ſed alter forſan ei inſideat; tamen poteſt de ea paciſci; quia eſt quomodocunque, juſte tamen *ſua*.

4. Hinc *ſi daretur* aliqua gens, juſtas prætenſiones habens in omnem Europam, illa de omnibus Europæ terris legitime paciſceretur, etiam infeſſoribus non requiſitis.

Nec clauſulam de Jure tertii neceſſe inſerere.

Thema IX. Neque ullo modo neceſſe eſt, ut clauſula de Jure tertii ſervando inſeratur pactis.

Quia hujus clauſulæ vis non pendet à pacto vel conſenſu paciſcentium, ſed viget & valet etiam omnibus gentibus repugnantibus; quia eſt juris naturæ, hypothetici ſaltem, id eſt ſupponentis rerum diviſionem.

An neceſſitas tribuat jus paciſcendi de Jure Tertii? Eſt quæſtio Juris Gentium non naturæ.

Thema X. An publica gentium plurium vel unius neceſſitas tribuat jus paciſcendi etiam de jure tertii, problema eſt, quod videtur pertinere ad Jus gentium potius, quam ad Jus naturæ.

1. Certum eſt, naturâ res eſſe omnium, cum nemo poſſit oſtendere ti-

Res naturâ ſunt omnium,

tulum naturalem, cur ipſe potius hoc agro v. g. fruatur, quam alter.

Diviſio facta gentium conſenſu.

2. Certum eſt, gentium conſenſu factam eſſe diviſionem rerum.

Ergo & explicatio diviſionis ad gentes ſpectat.

3. Igitur certum etiam videtur, ad Gentes ipſas pertinere interpretationem, quousque hunc ſuum conſenſum velint valere & extendi. Quia per quæ quid conſtituitur, per eadem & conſervatur. Igitur hæc quæſtio videtur pertinere ad forum juris gentium, de quo Cap. III.

à pari de furto,

4. In ſimili, quando neceſſitas extrema ingtüit homini privato, licet eidem auferre rem tertii; quia non præſumuntur cives conſenſiſſe in diviſionem rerum civitatis cum proximo periculo pereundi ex egeſtate. Vid. *Jus naturæ* Cap. XXXIII. Them. XXII.

Exempla,

5. Certe hac publica neceſſitate excuſatio quæſita eſt variis pactis noſtra ætate conſtitutis, ut Tractatui Partitionis Hiſpanicæ: Tractatui Ultrajectino: Fœderi Quadruplici: Tractatui Hiſpalenſi: Sanctioni Pragmaticæ: Tractatui Wormatienſi: Tractatui Aquisgranenſi, aliisque.

Fraus in pactis eſt contra J. Naturæ

Thema XI. Contra *jus naturæ* eſt fraudulentia, inductio, amphibologia &c: in pactis commiſſa.

Videatur de his Jus naturæ Cap. XXIV.

Solertia conceſſa ex cauſis aliquibus.

Thema XII. Solertia tamen aliqua conceſſa eſt illis præcipue, qui tractant cum potentiore, vel qui aliunde metu inducti ſunt; aut qui adiguntur paciſci de re ſua tanquam de aliena.

Natura enim non prohibet uti mediis opportunis adverſus periculum vel fraudem.

Paciſcentium alter non obligatur corrigere negligentiam alterius.

Them. XIII. Sic etiam videtur non eſſe contra jus naturæ, ſi alter paciſcens advertat, alterum ex negligentiâ ponere quædam in tractatu, quæ impoſterum ipſi ponenti poſſint eſſe præjudicio.

Ratio humana.

Quia nemo tenetur præſtare culpam aut negligentiam alterius à ſe non pendentis. Et jura vigilantibus ſcripta ſunt. Et videtur ſatis difficile, ut contra memet ipſum agam. Præcipue cum fieri poſſit, ut id ipſum, quod ego nunc cenſeo alteri nociturum, eidem etiam proſit, & obſit mihi. Ita enim ancipites ſunt res humanæ. Itaque videtur licitum, ut paſſive vel negative me habeam.

Interpretatio pactorum pertinet ad paciſcentes.

Thema XIV. Interpretatio pactorum Jure gentium pertinet ad ipſos paciſcentes: & quidem utroſque: niſi ubi alteruter contra clara verba & mentem pactorum vellet interpretationem extorquere.

1. Per quæ enim quid conſtituitur, per eadem & conſervatur.

2. Is autem, qui videtur obſtrepere claræ menti pactorum, poteſt deduci ad forum juris gentium &, per majora etiam interdum condemnari. Vid. Cap. III.

Multa in hoc incerta.

3. Multæ tamen circa hanc interpretationem occurrunt quæſtiones de ſpiritu & littera pactorum, de circumſtantiis, ex quibus deſumenda eſt interpretatio, de præcedentibus declarationibus conformibus aut difformibus, de occultis reſervationibus aut proteſtationibus, de præſumptionibus, de regulis etiam grammaticæ ac dialecticæ, cæterisque ad interpretationem concurrentibus: quorum obſervatio, ſi ad jus gentium pertinet, pertinet certe ad jus incertum. Ad jus naturæ autem pertinent iſta, quantum in iis dolus malus aliaque ejusmodi ſunt excludenda.

Exemplum interpretationis dubiæ.

4. Exemplum aliquod interpretationis in dubium revocatæ habemus in pace Weſtphalica, ubi Rex Hiſpaniæ fœderatos Belgas *tanquam* liberos declarat; quod aliqui referebant ad *ſimilitudinem* tantum libertatis. Item in acceſſione Monacenſi ad pacem Auſtriaco-Hiſpanicam, ubi Elector Pragmaticam Sanctionem agnoſcit, *ceu* illam in pactis connubialibus antecedentibus agnoverat. Quod aliqui trahebant ad omnimodam receptionem illimitatam. Ejusmodi etiam occurrunt in acceſſione Hiſpanica ad pacem definitivam anno 1736. & ſequentibus procuſam. De quibus latius agunt ſcripta Hiſpanica nuper edita in **Sammlung der Staats-Schriften.**

5. Quapropter in pactorum tabulis conſcribendis non tantum opus eſt politico viro, ſed inſuper duobus, imo tribus aliis, nempe 1. *Juris conſulto*, qui ſciat formulas earumque variam, ſæpe contrariam vim. 2. *Grammatico*, qui vocum ac ſententiarum communium vim in illa lingua, qua tractatur, poſſideat. 3. *Logico*, qui extenſionem terminorum univerſalium, particularium, aliasque proprietates intelligat, quæ in conſequentiam rite deducendam influant. Denique 4. Opus eſt, præcipue inter Chriſtianos, Viro Theologo, id eſt, divinæ legis perito: quod facile violari patiuntur profani.

Pacta etiam Infidelibus ſervari eſt

Thema XV. Pacta *juſta* etiam erga infideles ſeu à religione alienos ſervari, Juris naturæ eſt.

1. Error enim religionis in compaciſcente non tollit rationem, ob quam ſervanda ſunt pacta. Hæc autem ratio eſt *veritas* utrique paciſcentium dominans, neutrius arbitrio ſubjecta.

2. Sic etiam communi ſenſu conſtat, ſervanda eſſe pacta *juſta* inita cum luxurioſo, ebrioſo, faſtuoſo, cum rege homicida &c. Sed non cum qua talibus, non cum luxuria, non cum ebrietate &c. hoc eſt non talia pacta quæ ad vitium luxuriæ vel aliud quodcunque alendum.

Pacta cum Tyranno certo, ſunt incerti Juris.

Thema XVI. Pacta inita cum tyranno certo ſuper re, cui is injuſte incubat, qualem pariant obligationem tam jure naturæ, quam gentium, anceps; videntur tamen nullam parere.

1. Quia vix poſſunt eſſe juſta; cum fere cedant in præjudicium tertii injuſte oppreſſi, & ad alendam injuſtitiam.

2. Quia tyrannus non eſt juvandus in ſua tyrannide. Videntur autem hæc pacta tendere ad tyrannidem ſeu injuſtitiam fovendam.

3. Videtur nihilominus idem hic habere locum, quod de legatis tyrannorum dicitur. Aula Romana an. 1601. hortabatur Oſſatum legatum Galliæ, ne rex admitteret legatos vel reſidentes Batavorum, utpote rebellium & tyrannorum. Cui Oſſatus: Durum id nimis fore. In materia legatorum & agentium non ita minutim omnia examinari. undique & omnis generis legatos ſolere recipi. Quod ad legitimum titulum attineret, eum non ſolere attendi, modo appareat notabilis potentia & præſens poſſeſſio; titulos in emptionibus & venditionibus quæri. De quibus titulis ſi examen inſtituatur, antequam legati recipiantur, paucos forte principes futuros, quorum legati non remitti deberent. *Letres d'Oſſat à Mr de Villeroy 9. Juilles 1601.* Plura exempla Pontificum, Venetorum, & Auſtriacorum afferuntur in notis ad illam epiſtolam, editionis Pariſienſis an. 1698. Vid. *Wiquefort* Lib. I. Sect. III.

4. Fit nempe interdum, ut tyrannus aliquando, excepta injuſta occupatione poteſtatis, multa utilia pro populo acquiſito conſtituat & pacificatur. In his præſumitur. populus ipſe conſentire, neque adeo ipſum pro tyranno habere. Itaque in talibus ceſſant rationes ſupradictæ, & pacta videntur ſervanda.

5. Unde, Si Cromwellus fuit in Anglia Tyrannus, quod ab ejus morte declaratum fuit ſenatus conſulto & infami ſuſpendio; ſequebatur, nullo ejus pacto teneri regnum Angliæ; niſi mox dictæ rationes acceſſiſſent, aut idem à legitimis regibus poſtea eſſet firmatum. Hic enim valere videtur regula: *Res inter alios acta nemini debet præjudicare*: poteſt tamen commodum parere.

6. Cæterum ad hoc juris gentium caput exquirendum ſervit præter Europæam hodierna Perſiæ hiſtoria, ubi legitimis regibus exactis tyrannj aliquamdiu ſedere ſolio.

Pacta cum Captivo ſunt Juris Gentium incerti.

Thema XVII. Pacta inita cum altero captivo, aut aliàs capite minuto non videntur certi juris gentium.

1. Galli ea declararunt irrita, hisque acceſſit Pontifex. Hiſpani contrà rata voluerunt. Lytrum tamen pro redemptione pactum deberi ex conſuetudine gentium, fatebantur & pendebant etiam Galli, tametſi enorme & inſolitum eſſe quererentur.

2. Ratio præcipua erat; quia rex captivus auſpicia non habet, & extra activitatem eſt, Unde & ſubditi ejus mandatis ab ipſo tanquam captivo datis per ſe non tenentur; cum præſumatur, ea mandata ab hoſte detinente profecta aut ſuggeſta eſſe.

3. In captivitate regis Franciſci I. aliæ quoque multæ intervenere circumſtantiæ, in *Ribiero* & aliis legendæ. Quæ ſi forte in aliquem alium quemcunque regem cecidiſſent, aut etiam caderent, vix eſt dubium, quin pari modo eſſet declaraturus, talibus ſe pactis non teneri. Atque hæc erat etiam tum ſententia prudentiorum Hiſpanorum ut *Lanoii* Siciliæ proregis, ſuadentium Carolo V. Imp.; ut regem etiam abſque litro dimitteret, eoque deinceps an i-co uteretur; pactis enim captivo obtruſis probabiliter non iri obligatum. Et modernus quidam Doctor Italus Caroli VI. Imp. in Ducatu Parmenſi ſiſci patronus in tractatu de reſtitutione bonorum ex amneſtia, edito Viennæ in 4. an. 1738. pag. 284. docet, *ſummos imperantes adverſus actus metu extortos ſe ipſos in integrum reſtituere valere, declarando, ſe non teneri ſtare promiſſis.* Graviſſimus autem regi libero metus eſt captivitas, & regi captivo captivitas longior, aut perpetua, aut contumeliæ aliæ indignæ, ne dicam mors violenta.

An Infantia & talia excuſet à præſtatione pactorum Incerti Juris Gentium.

Thema XVIII. Principis Infantia, aut mentis debilitas: item obreptio & artes miniſtrorum: impotentia ob turbas internas & calamitates, an tollant vel ſuſpendant vim pactorum, incerti juris videtur. videtur tamen locus *reſtitutioni in integrum*; & ne currat *præſcriptio*.

1. Incerti juris videtur; quia perpetuo de hoc diſſentiunt gentes. unaquaque rem in ſuum favorem pertrahente.

Reſtitutio in integrum non videtur deneganda.

2. Favor autem reſtitutionis, ex Jure naturæ petitus, quem jus civile indulget privatis hominibus, à Jure naturæ & Gentium non videtur denegandus regibus ac integris populis. Ut monet *Petrus Puteanus* in tractatu des Droits du Rous de France ſur diverſes terres & Royaumes &c.

Nec currere præſcriptio.

3. De Præſcriptione autem ſuo loco plura.

Qui hæc rejiciunt, non ut injuſta, ſed ut incommoda rejiciunt.

4. Illud certum videtur, quemlibet hoc favore libenter *pro ſe* uſurum tanquam æquo & juſto, reſpuere autem, cum *adverſus ipſum* inducitur, non tanquam injuſtum, ſed tanquam incommodum. Igitur apparet, communem eſſe ſenſum gentium, eum favorem juſtum eſſe; quia etiam qui favorem hunc negant, non poſſunt negare tanquam injuſtum.

5. Illud porro indignum viſum, diſputare, num hæc ſit reſtitutio in integrum *proprie* dicta? Quid enim hoc ad rem? *Proprie* enim ſumitur ab aliquibus pro conformitate cum modis ac regulis Juris Romani, aut ejuſdem Interpretum. Quæ nihil ad Jus gentium nobis hic propoſitum.

Enormis læſio pacta.

Thema XIX. Enormis læſio pactis inducta videtur jure naturæ pacta irrita reddere: & Jure gentium dare reſtitutionem in integrum.

Jure naturæ irritat.

1. Primum certum habetur. Vid. Jus naturæ. Cap. XXII. & XXIV. Quodſi etiam teneretur patiens præſtare læſionem, inſerens tamen teneretur eam reſtituere: ut adeo ludicra eſſet obligatio.

Jure gentium dat reſtitutionem in integrum.

2. Alterum ſic probatur: Communis eſt ſenſus gentium, pactis debere ineſſe *æquitatem* pro rei circumſtantiis: & abſque hac pactum non ſubſiſtere: qui ſenſus communis fundatur in hoc principio, quod Juſtitia domina omnibus gentibus æqualiter congruat, nec uni magis quam alteri ſit nata: Deinde quod omnes gentes ſint natura liberæ adeoque æquales.

3. Igitur ubi in pactis enormis iniquitas ſeu inæqualitas juſtitiæ fuit poſita, reducenda ea poſtea eſt ad æquitatem. Et hæc eſt reſtitutio in integrum.

In praxi tamen multa difficultas.

4. Profecto tamen ubi ad rem & executionem veniendum eſt, campus fere plenus ſpinarum naſcitur: niſi potens aliquis protector læſo ſe præbeat advocatum.

5. Ex moderna hiſtoria afferre exempla, nimis eſt delicatum. Romani non unum dedêre ſpecimen. Sed illi parum ad nos.

Fœdera inæqualia ſine enormi læſione Jure Nat. & Gentium juſta. Rationes.

Thema XX. Fœdera tamen *inæqualia* ſine læſione enormi, tam jure naturæ quam gentium cæteris paribus ſunt juſta.

1. Fœdus inæquale eſt inter potentiorem & debiliorem ita ſancitum, ut potentiori plus honoris, ac præcipua poteſtas tribuatur, plus etiam commodi. Tale forte eſt inter regem Galliæ & Rempublicam Genuenſem.

2. Abſurdum enim coram omnibus gentibus appareret, ſi debilior aliquis æquo cum potentibus gradu procedere ſe, oſtentaret, quale eſt in fabulis ranæ cum bove certamen.

3. Inæqualitas ergo iſta non pacto demum introducta eſt, ſed jam antea ſubſiſtebat: itaque pactum non vitiat, ſed firmat.

4. Adhæc inæqualitas iſta compenſari poteſt alio commodo. Nam per tale pactum ille qui erat debilior, fit deinde fortior erga alios; quia quodammodo participat de magnitudine ac vi magni ſui compaciſcentis. Sicut nuper Genuenſibus accidit, qui periérant, niſi magnus fœderatus ſuſtentaſſet.

Pignora, obſides &c. ſunt Juris Gentium certi.

Thema XXI. Quæ ad firmiora reddenda fœdera adhibentur, ut Pignora, Obſides, fidejuſſores ſive Guarandæ ac ſponſores, ſunt certi Juris gentium, non naturæ. Modus autem & effectus incertus.

1. Iſta enim conſenſu tantum populorum inſtituta ſunt, non cum ipſo homine producta.

Et quomodo?

2. Certi autem juris ea dico, non ſic, ut in omni tractatu debeant adeſſe, aut ut cogi quiſpiam ad ea valeat: ſed ita demum, ut velut aliquid non inſolitum proponi, ſuaderi atque in fœderum colloquia deduci rite valeant, & ſemel inducta vim obligatoriam habeant.

Menſura horum incerta.

3. Quantum autem juris competat in pignus, quantum poteſtatis in obſides, quouſque ſe extendat vis & coactio ſponſorum, innumeris etiamnum diſputationibus ultro citroque vertitur, eſtque adeo Juris naturæ incerti.

4. Illud certum, nihil hic cuiquam licere ultra æquitatem & Jus naturale: & Chriſtianis gentibus nihil ultra mores à Chriſto Domino præſcriptos. Quia Jus omne gentium debet fundari in Jure naturæ; & Jus gentium Chriſtianorum in præceptis Chriſti, imo & exemplis.

Pacta Jurejurando firmari cæſſerum eſt.

Thema XXII. Pacta jurejurando confirmari, erat juris gentium, & poterat

terat exigi. Nunc fere ceſſatum eſt.

Cur

1. Id equidem non factum ob perjuria, credo. Quamvis de Ludovico XI. Francorum rege referant, eum ſæpius deceptum à Carolo Burgundo, mandaſſe legatis ſuis ad tractandum cum Duee miſſis: Si ipſi pejerabunt ſemel, vos pejerate bis &c. quo forte volebat dicere, ſe regem non teneri pactis jurejurando firmatis, ſi Dux vaſallus eadem jurata non ſervaret.

Conſultius abſtinere.

2. Tamen conſultius videtur honori divino, ipſorumque regum, & populo, ut omittantur. Quippe in hoc ſervatur melius regula Chriſti de *omnino non jurando:* & evitatur perjurii periculum, facile irrepens in tot tamque varios tractatus. Deinde regibus non ita inuritur nota perjurii, qua nihil eſt abominabilius. Denique populus ſcandalo non inducitur ad facilius pejerandum. Quamquam enim plerumque fœdera jurata rumpantur etiam ſine perjurio, imo ſine ullo peccato, ac ſæpe populus ipſe in culpa ſit & in cauſa ruptionis; tamen populus ad perſpicienda momenta ineptus, ubicunque fœdus ſolutum videt, de perjuriis ac perfidia clamare ſolet ineptiſſime; & longe ineptius infert: *Licet hoc regibus ergo etiam nobis.*

Jusjurandum non addit valorem pacto.

3. Denique cum certum ſit, jurejurando nullum addi majorem valorem politicum contractui, & actus de ſe nullus addito jurejurando non fiat validus (omnium juris humani divinique peritorum ſententia) conſultius videtur tractatibus iſtis profanis & profanatum opum plerumque causâ adornatis non admiſceri religionem ſpecialem, velut furfuri margaritam. Servetur à paciſcentibus religio Chriſtiana fidem violari vetans: ut ſpecialiter & cum exſecratione DEUS teſtis advocetur ob res Chriſtiano tam viles, ubi non eſt neceſſarium, videtur conſultius. Atque adeo hæc non dixi eo, ut facilior fiat fœderum diruptio.

4. Num autem huic ceſſationi anſam dederint frequentiores cum Proteſtantibus tractatus, aliis eruendum relinquo. Certe cum inter Hiſpanos & Jacobum I. Angliæ regem jusjurandum eſſet celebrandum, multa incidit dubitatio: num Anglus ſuper evangelium Catholicorum, num ſuper illud, quod ab hæreticis corruptum habetur, manu impoſita juraret? Evangelio Catholicorum Anglus, Proteſtantium evangelio Hiſpanus fidem addicere tergiverſabatur. Vid. Kevenhüller Annales Ferdinandei.

Taxatur ſententia indiſcriminata, Pontificem non poſſe relaxare juramenta.

5. Cæterum non poſſum non notare Illuſtris auctoris D. B. Ickſtädli ſententiam, ſine diſcrimine negantem, à Pontifice poſſe relaxari juramenta principum ac gentium: idque ex falſo Proteſtantium principio; quia alias gentes non eſſent independentes: quod coincidit cum Puffendorffiano tumultu, quem is perpetuo ingerit: Implicare ſtatum in Statu. Illam ſententiam Illuſt: Auctor inſeruit in Elementis Juris Gentium Herbipoli ſcriptis an. 1740. Lib. III. Cap. VI. §. 14. Scholio II. Puffendorffium in Larva detracta repulimus. Doctrinam autem de Jurisjurandi relaxatione, huc non pertinentem, uti nec ſine diſcrimine ſervant Pontifices, nec ſine diſcrimine neganda eſt à Chriſtiano; ita nos eam hic exequi ſcribendo non cogitamus. Sunt ad hoc præſtantiſſimi libri de *Marcu*, *Sfondrati*. Videatur etiam P. Antonio *Bianchi* Della Poteſtà e della Politia della Chieſa, in 4. Romæ. 1745. ubi & Giannonem refutat & Defenſionem declarationis Cleri Gallicani Boſſuero falſè inſcriptam.

Cæterum illud principium, quod gentes non eſſent liberæ, ſi Pontifex poſſet juramenta in caſu relaxare, manifeſto falſum agnitum eſt hactenus ab omnibus gentibus Catholicis, & confictum eſt tantum ab heterodoxis ad creandam invidiam non tam Pontifici, quam religioni Catholicæ. Doctrina autem ipſa negans indiſcriminatim relaxationem illam, Evangelio repugnat, & in Boica locum nullum habet, quæ Boica libera eſt, tametſi ſit Catholica, hoc eſt, tametſi à Pontifice pendeat.

Una parte rupta totum fœdus rumpi, eſt Juris incerti.

Thema XXIII. Num una fœderis parte ſoluta, ſoluta cenſeantur omnia pacta, an cæteris ſuum robur maneat? nec naturæ nec gentium juris certi videtur.

Rupto acceſſorio non videtur rumpi totum.

1. In hoc quidem videtur pronior conſenſus gentium, videturque juri naturæ conformius, ut uno *acceſſorio* ſoluto propterea non ſolvatur totum fœdus. e. g. Pace Pyrenæa pacta erat dos pro futura ſponſa Ludovici regis. Ea ſoluta non eſt: nec tamen exiſtimabatur Pax Pyrenæa tota abrupta. Sic rex Galliarum aliquando diutius retinuit urbes, quarum redditio pace ſtipulata erat, quin partes alteræ ruptam pacem adſererent, tametſi à querelis non temperarent. Credo, quia acceſſoria iſta habebantur, & ea erat populorum perſuaſio, acceſſoriis ſublatis, ſubſtantiam durare.

Exemplum.

Subeunte ſtatu inimicitiæ videtur rumpi totum.

2. Ubi vero fœdus aut pax ita rupta eſt, ut ſtatus inimicitiæ ac belli ſuccedat, tametſi forte propter acceſſoria

tantum ſit abrupta pax; tamen hoc caſu gentes videntur propendere in illam ſententiam, ruptum eſſe totum fœdus, atque nullam ejus partem obligare, quæ quidem à ſtipulatione dependerit.

Signum ejus rei.

3. Ejus rei ſignum eſt, quod, cum iterum ad pacem redintegrandam accedunt, non ſola illa puncta & articulos ruptos inſtaurant & reſarciunt, ſed omnes: & priores tractatus velut de verbo ad verbum innovant. Quod non eſſet neceſſe, ſi illa aliunde adhuc ſubſiſtebant ſuo in vigore.

Pactum de non paciſcendo ſeorſi. Non ſemper obligat.

Thema XXIV. Si pactum fuerit, ne alter ſine altero pacem cum hoſte ineat particularem: nihilominus jure naturæ, atque adeo neceſſario jure etiam gentium, certum eſt, particularem pacem jungi poſſe ob neceſſitatem propriam; vel ob defectum à compaciſcente commiſſum.

Nec in perniciem propriam.

1. Nunquam enim obligatio mea ad pactum intenditur à me, aut poteſt licite ab alio intendi ad meam perniciem. Vid. Cap. II. Them. XIV. num. 5. Et Jus naturæ amorem ſui præfert amori alterius. Vid. *Jus Naturæ* Cap. XVII. Them. V.

Experientia.

2. Gentes etiam ipſæ, quamquam non raro dolor exprimat amaros queſtus, tamen hanc veniam *dantque petuntque viciſſim.* Et is ipſe, qui modo queſtus erat, relictum ſe à ſocio fuiſſe, vertente rota ſocium alium relinquit, ut ſibi conſulat. Exempla obvia ſunt vel novellas, quas ajunt, lectitantibus.

CAPUT VII.

De Repreſſaliis, Retorſione Juris iniqui.

Quid Repreſſaliæ?

Thema I. Repreſſaliæ vocantur vindicationes damni vel injuriæ tales, quæ totam amicitiam inter populos non abrumpant.

Ut ſi quis rex alterius legato vim intulit, alter eandem viciſſim infert legato alterius, & nihil ultra.

Sunt Juris naturæ.

Thema II. Repreſſaliæ ſunt juris naturæ.

Sicut enim offenſor jure naturæ tenetur ad reſtituendum vel reſarciendam injuriam; ita offenſus jure naturæ poteſt illam reſtitutionem ſibi comparare, etiam vi propria; quia in ſtatu libertatis naturalis, in quo degunt gentes ad invicem, non habent judicem, ſed ipſi ſunt executores.

Prius tamen ſ edia alia adhibenda.

Thema III. Jure tamen naturæ tenetur offenſus prius amice repetere res; niſi ſit metus probabilis, ſuam cauſam per hoc deteriorem, ſeu vindicationem difficiliorem futuram.

1. Primum eſt certum; quia ſi aliter faciat, conjicit ſe ac populum in propinquum periculum mali graviſſimi nempe belli; id quod illicitum eſt ſine ſufficiente cauſa ac neceſſaria.

Niſi quid obſtet.

2. Alterum item patet; quia talis metus videtur eſſe ſufficiens cauſa omittendi repetitionem rerum.

3. Hinc populo potentiori nulla ſupereſt excuſatio rei prius amice repetendæ; quia apud illum non habet locum prædictus metus, ne repetendo rem ſuam deteriorem faciat. Niſi forte potentior prætenderet, hoc eſſe contra ipſius dignitatem, ut repetat; magiſque ipſius celſitudini competere, ut inſalutato hoſpite ſibimet juſtitiam adminiſtret. Sed hi fumi in oculis corruptorum hominum magni quidem ſunt, in oculis naturæ nihil. Nulla enim poteſt eſſe unquam populi aut regis poteſtas tanta, quæ juri naturæ non ſit prorſus ſubjecta. Et quamquam ille potens rex non conjicit forte ſeſe in periculum calamitatis bellicæ, tamen conjicit vicinum ſuum offenſorem in periculum, ut longe plus patiatur quam meruerit. Itaque conjicit ſeſe in periculum injuſtitiæ committendæ, quæ bellis ipſis eſt infinite deterior; quippe bellum aliquando poteſt eſſe laudabile & honeſtum, injuſtitia nunquam.

Exercentur juſte in privatos innocentes.

Thema IV. Repreſſaliæ exercentur juſte in privatos etiam privatim innocentes.

Exemplum hypotheticum.

1. Ex. Gr. Walachi Turcis jam ſubditi prædas egiſſent ex agro regni Hungariæ Tranſylvano. Hungariæ rex, niſi damna reſarciantur juſſu Turci, juſte poteſt repreſſalias exercere erga Servios vel Boſnienſes, vel ubi ipſi commodius eſt, & ſatisfactionem pro ſuis faciliorem obtinere poteſt; quamquam Boſnienſes ſint privatim innocentes.

2. Rex

2. Rex enim Hungariæ non tractat jura ſua cum Walachis vel aliis ſubditis, ſed cum principe libero; itaque non attendit, num juſte injuſteve egerit Moldavus: ſed num Princeps Turcarum juſte permittat ſuis quibuscunque exercere prædas &c.

Simile. 3. Res aliquo ſimili nonnihil explicatur. Digladiantur duo pugiles: alter ictus ab altero, ictum vindicaturus percutit offenſoris ſui manum *ſiniſtram*; nec injuſte, quamquam manus ſiniſtra non intulerit ictum, ſitque adeo privatim innocens. Namque pugil ait: mihi res non eſt cum pede aut cum manu antagoniſtæ, ſed cum corpore; quæcumque ergo corporis illius pars læſerit partem corporis mei qualemcunque, mihi jus ſit, ut corporis mei parte qualibet utar ad quamlibet alterius corporis partem impetendam.

Ratio dictorum. 4. Ratio autem, cur Boſnienſes hoc caſu pati deberent repreſſalia, eſt, quia jura ſua transtulerunt in unam perſonam publicam ſeu principem: cum ergo Princeps recuſando reſtitutionem fecerit cauſam ſuam id eſt *publicam* Turcarum, omnes Turcæ eidem cauſæ obnoxii ſunt, atque in hoc fundatur illud:

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. Si enim culpam mandatarii præſtare ſæpe debet mandans: multo certius id incumbit ſubdito omnem voluntatem ſuam transferenti in principem ſuum.

Cautela. 5. In ejusmodi tamen caſu Turcarum rex ſubditis Bosnienſibus debet compenſare damna; quod poteſt facere vel ex publico, vel ex bonis prædonum Walachorum.

Innocentes tamen poſſunt ſe defendere. *Thema V.* Subditis tamen privatim innocentibus, quibus repreſſaliæ intentantur, videtur competere jus vim vi repellendi.

Probatur. 1. Vix enim cenſetur ullus populus libertatem naturalem usque ad hunc gradum abdicaſſe, ut innocens damna magna patiatur, & compoſitis in ſinum manibus ſpectet, quæ non difficile poteſt avertere.

2. Si fur capitali ſententia damnatus à Principe ſuo non peccat contra jus naturæ, cum ruptis etiam catenis erumpit ex carcere, & vitam ſibi ſervat: certe minus videtur in jus naturæ peccare ſubditus alienus alienæ poteſtati ſubito ingruenti ſe opponens.

3. Imo ſi ipſis conſtat, Principem ſuum denegaſſe reſtitutionem, præſumptionem habent, ipſum id juſte feciſſe, atque adeo ſibi vim injuſtam inferri; quæ juſte repelli poteſt ac debet.

4. Præterea facerent ſe reos apud Principem ſuum, niſi extraneam vim, quam pro injuſta ac hoſtili ſemper habere poſſunt, vi repellant.

5. Quodſi vero is, qui repreſſaliis utitur, eſſet multo potentior & formidabilis; longe conſultius & quandoque obligatorium eſt, potius patienter ſufferre id genus calamitatis; ne intempeſtive repugnando & ſeſe & totam gentem in majores calamitates inconſulto præcipitent. Hac enim ratione viator in prædones incidens, & plures & validos nonniſi crumenam ejus petentes, illa debet carere, ne excidat vita. Cautela.

Them. VI. Retorſio Juris iniqui eſt Juris naturæ; & ejus modus eſt juris gentium. Retorſio Juris iniqui eſt J. gentium.

1. Vocatur autem retorſio juris iniqui, cum aliqua gens ſtatuit jus quoddam aliis grave: & aliæ gentes viciſſim ejusmodi juribus contra eam utuntur. Ex. gr. Si in Anglia prohibentur merces Gallicæ quædam, Gallia viciſſim prohibere poteſt merces Anglicas alias. Si Japonenſes nullum admittunt intra ſuas terras extraneum, idem poſſunt aliæ nationes facere erga Japonenſes. Si Turcæ immunitatem legatis non præſtant, ſed eos tantum obſidum loco habent, aliæ gentes adverſus ipſos eadem ſtatuere poſſunt. Quid ea ſit?

2. Naturâ enim ſunt æquales gentes: Ergo ubi citra ipſarum conſenſum Introducta eſt inæqualitas, natura ipſis admittit reductionem æqualitatis.

3. Modus autem eſt juris gentium, vel potius eſt arbitrarius ſingulis; modo ne modus & æquitas excedatur.

Thema VII. Alias retorſio vel Talio & vindicta ſumitur in poſteros, etiam pro ſe innocentes. An juſte? non auſim decernere. Retorſio in poſteros innocentes an juſta?

1. Alexander in Aſiam transmittens, nulla tunc provocatus Perſarum injuriâ, dixit ſe vindicaturum injurias, quas Græci à veterioribus Perſis.

2. Germani perfracto tandem limite Imperii Romani, ultum ibant injurias à Romanis per annos quadringentos illatas. Exempla alia hinc inde occurrunt.

3. Cæterum ſervandæ ſunt regulæ *Juris naturæ* de Vindicta, de quibus egimus ibidem Cap. XXI. Them. XXII. num. 2. &c.

CA-

CAPUT VIII.

De Bello.

DE hoc quoque quædam ſunt Juris naturæ, quædam alia Juris gentium certi; omnia reliqua incerti: quæ hic exſequi ſuperfluum: exſecutus eſt Grotius, quem demptis Principiis Juri divino & Evangelico non congruentibus evolvere poſſunt, qui *incerta* rimari accuratius debebunt: addiris multis publicis ſcriptis, quæ in Londorpio aliiſque collectionibus reperire eſt: quæque *incertitudinem* illam non tollunt, ſed magis viſibilem reddunt: ſuggeruntque rationes *pro & contra.*

Bellum à Liberis geritur

à ſubditis latrocinium &c.

Them. I. Bellum quid ſit, omnes intelligunt: & definiendo ac dividendo res fiet obſcurior. Hoc unum ſupponitur, bellum non dici, cum geritur ab iis, qui liberi non ſunt ſed ſubditi; tum enim *rebellio* dicitur vel tumultus, vel latrocinium &c.

Latrocinium eſt, remota juſtitia.

Exemplum.

Quamquam Latrocinium etiam exerceatur à liberis, ſi contra jus faſque exerceatur. Unde pirata Alexandrum magnum non injuria dixit *Orbis terrarum latronem.* Et recte D. Auguſtinus: *Remota juſtitia quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?* Multa Romanorum bella latrocinii magis etiam ſuſpecta eſſent, ſi & adverſariorum hiſtoriæ ſcriptæ ad nos perveniſſent, non ipſorum tantum Romanorum ſibimet blandientium. Majores noſtri Germani atque Galli quibus inundationibus oppreſſerunt Aſiam; Græciam, Africam, Italiam, Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, latrocinia fuere; niſi jure retorſionis aut vindictæ excuſabilia inveniantur.

Non eſt meræ facultatis.

Thema II. Bellum non eſt meræ facultatis, nec in mero arbitrio vel potius lubidine humanæ voluntatis repoſitum, ſicut ambulare, ſedere: Sed eſt actio *moralis.*

Hoc thema non poteſt inficiari niſi qui homo non ſit.

Actio moralis fit bona per finem &c.

Them. III. Omnis actio moralis fit bona per Objectum, finem & Circumſtantias.

1. Late id oſtendimus in *Jure naturæ* Cap. VI. Them. II. &c.

Probatur iterum.

2. Jus enim naturæ eſt illa devinctio hominis, qua eſt ſubjectus naturæ ſuæ domino, quem dominum ſemetipſum non eſſe, manu palpat.

3. Impoſſibile eſt homini agere humane ac deliberate, & tamen agere propter nullum finem ſive ex nulla cauſa. Ex quo tota natura humana intelligit, ſe fini alicui generatim eſſe ſubjectam, à quo ſe eximere nulla ratione valeat. Idemque de Objecto dicendum.

Bellum etiam fit bonum ex fine &c.

4. Igitur bellum, tanquam actio humana, etiam ipſum ſubjectum eſt huic legi inevitabili, æternæ & naturali, ut objecto ac fine debito non careat. Debitus autem eſt, ſi eſt ſubordinatus ac conformis dominio Summi entis, atque inde conſequentis ſervitutis humanæ.

5. Atque hæc quidem vera juris principia clare, opinor, explicata ſunt in Jure naturæ à nobis deſcripto adverſus falſos Juris naturæ doctores.

Aliàs eſt malum.

Them. IV. Bellum, utpote actio humana, ſi objecto, fine, ac circumſtantiis bonis careat, eſt contra jus naturæ, & peccatum.

1. Sequitur ex prioribus.

Peſſimum.

2. Et quidem mater fœcundiſſima eſt plurimorum peccatorum, imo criminum; quorum omnium reus eſt, qui belli eſt auctor, ſive miniſter ille ſit, ſive rex ſive pontifex.

Objectum belli indifferens eſt.

Them. V. Objectum belli de ſe eſt pugna vel reſiſtentia. Hocque eſt *indifferens*; adeoque bonitatem vel malitiam aliunde mutuatur.

Pugnare enim, repugnare, in pugna acquirere aut perdere, occidere aut occidi, jam malum eſt, jam bonum. Cain bene pugnavit phyſice, male moraliter: Abel bene moraliter, phyſice male pugnavit; ſi modo pugnavit ac non potius dolo interceptus eſt. Atque id genus exempla nec hodie deſunt.

Bellum non eſt finis ut ex principiis Puffendorffii videtur ſequi.

Them. VI. Bellum non eſt ipſe finis: ſed bellum eſt medium ad aliquid boni.

1. Ex Puffendorffii principiis ſequi videtur, bellum eſſe finem juris naturæ. Ille enim docet, Jus naturæ ſumendum eſſe ex indole humana: quodſi enim deprehendatur, indolem humanam ad hoc vel illud naturâ ferri, dici poſſe, hoc eſſe jus naturæ, id eſt ordinem naturæ ad finem quem intendit. Jam vero indolem humanam ait eſſe, & naturaliter tendere ad nocendum alteri. Igitur natura humana per ipſum ordinata videtur ad nocendum: ac denique finis Puffendorffianæ naturæ videtur eſſe bellum, quod certe nocumentorum omnium compendium eſt.

2. Quid

Digitized by Google

Quodnam bellum ſit finis?

2. Quidquid habeant principia Puſfendorffii, quorum nuditatem ac perverſitatem in Larva Detracta deteximus: pugnat certe in ſenſum communem, qui bellum finem naturæ humanæ exiſtimat, niſi id ſolum bellum, quod adverſus inordinatos appetitus, atque adeo etiam adverſus infrunitam bellandi cupiditatem, ab omnibus hominibus eſt ſuſcipiendum neceſſario, de quo Jobus Cap. VII. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Cujus militiæ finis eſt tranquillitas & pax perpetua: cum armorum finis ſit miſeria. Belli cupido infinita perdidit heroes, felices futuros, ſi ingenium ſublime ad pacem contuliſſent: quales fuere Alexander ille Macedo, Julius Cæſar, Carolus Audax Burgundiæ Dux, Carolus XII. Suecorum monarcha, Alexandri admirator & imitator infelix.

Infelices bellatores.

Principes ſæpe male conſiderant.

3. Vera eſt ac certiſſima graviſſimi Politici ſententia, cujus hoc fere eſt votum: O ſi intelligerent Principes, quantum malorum cumulum & ſibi & ſuis domibus illo die attraherent, quo die bella ſuſcipiunt, crediderim, imo affirmare auſim, fore, ut non ſolum à ſuſcipiendis illis ſuperſederent, ſed ne familiarium quidem ullum illorum meminiſſe paterentur, aut ſiquis contrarium ſuaderet, ut hoſtem tractarent, ſummo jure capitalem. Guevara Horol. Princip. Lib. III. cap XIV.

Belli finis malus quis?

Them VII. Finis malus eſt belli is, qui à fine juris naturæ (id eſt DEI dominio ac ſervitute hominis debita) abludit, aut ad illam nequit ordinari ab homine.

1. Id cum in omni actione humana ſit firmum ac conſtans, ut in Jure Naturæ oſtenſum eſt, Capite VI. omnino etiam in bello, & multo magis, habet locum. Nam ſi peccatum eſt cantare vel comedere propter ſolam voluptatem; quid erit homines turmatim occidere, innocentes ſpoliare pane à DEO conceſſo?

à pari.

Ambitio, ira, invidia &c.

2. Ambitio ergo ſive eminendi libido, virium oſtentatio, avaritia, ira, vindictæ propriæ ſitis, invidia, fœmineæ blanditiæ, inordinata futuri ſollicitudo, divinæ providentiæ diffidentia, fiducia in ſemetipſo, ac cætera ejusmodi, quæ quamlibet minimam hominis actionem vitiant, immenſum quantum vitiant bellum actionum humanarum facile momentoſiſſimam. Et vidimus nihilominus monſtra hominum, ob finem multo ſordidiorem concitantes terrarum orbem. Xerxes ob ficus Græciæ quingentas hominum myriadas armavit & perdidit. Selymus ob vina Cypri claſſes maximas demerſit, exercitus ſepelivit. Paris ob adulteræ ſtuprum excidio trojanum imperium dedidit.

Xerxis bellum ob ficus

Selymi ob vinum.

Trojanorum ob adulteram

* *R.P. Deſing Jus Gentium*

Soli duo fines boni poſſibiles.

Thema VIII. Nullus eſt poſſibilis finis belli bonus, quam *Honor DEI, Conſervatio ſui & alterius ab injuria.*

1. Nemo enim unquam docere poterit alium, ita ut nos à demonſtratione hujus negativæ propoſitionis, nimis prolixa futura, belle poſſimus abſtinere.

2. Prodiit Jenæ an. 1624. liber ſatis elegans nobilis Joannis Wilhelmi *NEUMAYR* de Ramsla Brunſnicenſis Von Fridens-Handlungen und Verträgen in Kriegs-Zeiten. Ubi cap. II. affert quadraginta quinque cauſas, cur Princeps bello jamjam colliſus cum populo altero, poſſit *reſpuere* pacem oblatam. Quarum, quæ juſtæ ſunt, omnes reducuntur ad noſtrum thema, & exemplis pulchrè illuſtrantur non tam antiquis quam ultimorum temporum.

3. Inter has autem ſunt cauſæ, quarum juſtitia non ſtatim apparet: quod mirum haud eſt; neque enim etiam ipſorum bellorum aut fœderum juſtitia ſtatim apparet omnibus.

Cauſæ reſpuendi pacem oblatam.

4. Lubet autem paucas ex eodem auctore per compendium excerpere, miſſis cæteris.

I. Quia præſtat vincere *petulantem* bellatorem, quam pacem ei indulgere, exemplo Quintii Romani erga Philippum Macedonem. Gallicæ aulæ erga Hugonottas an. 1562. Venetorum erga Maximilianum Imp. 1515.

II. Quia ſub pacis tractatibus varii *doli* ſæpe latent. exemplo Batavorum erga Hiſpanos. 1587. &c.

III. Quia pars adverſa *non ſerio* vult pacem, ſed quærit tempus &c. Exemplo Romanorum erga Carthaginenſes &c.

IV. Quia *alio fœdere* prohibemur.

V. Quia *ſpes* eſt lucrandi terras &c. Sed *Pacem contemnentes & gloriam appetentes, pacem perdunt & gloriam.* S. Bernard.

5. Præterea eſt advertendum, cauſas quæ forte ſufficerent ad pacem non acceptandam, ſive ad bellum nondum finiendum, easdem tamen non ſtatim ſufficere ad bellum inchoandum. Sicut corpus ſemel motum leviſſimo dein impetu promovetur; at dum initio moveatur, vi opus eſt majore: Sic ſemel juſte mota arma levioribus etiam de cauſis, quas ipſe quandoque hoſtis præbet, promoventur non injuſte.

Ad belli jus ſupponitur diviſio rerum

Them. IX. Hinc tamen apparet, ad Belli jura ſupponi diviſionem rerum ſaltem externarum.

1. Nam ſi hæ omnium eſſent perfecte

E com-

communes, forte ceſſaret bellum, aut injuria bello nulla ineſſet.

2. Forte, inquam: Nam etiam non ſuppoſita diviſione rerum externarum poſſet bellum naſci & injuria fieri. Tum quod externa bona, etiam non diviſa, plerumque non ſufficiant multitudini: ex quo rixæ conſequuntur; quemadmodum duo canes de eodem oſſe decertant, nulla licet diviſione dominii facta. Tum etiam quod injuriæ ſæpe interna afficiant. Abel enim quamquam videatur habuiſſe bona cum Caino communia, bello tamen Caini interemptus eſt, rixa ſuborta ob dotes divinas.

Bello debet adeſſe *Neceſſitas.*

Them. X. Ad belli juſtitiam non ſufficit Finis bonus: Sed debet adeſſe *NECESSITAS.*

1. Bellum eſt Juris naturæ, non ſolum gentium. Them. III.

2. Juris naturæ criterium quale ſit, in *Jure naturæ* explicavimus Cap. III. Themate XXVI. Nempe Quæ ſunt *neceſſaria* magnopere ad ſervitutem erga ſummum Creatoris dominium, illa ſunt ſtricti juris &c. Igitur Juris naturæ ſtricti eſt bello abſtinere, niſi illa neceſſitas poſtulet.

Ob graviſſimum periculum.

3. Qui enim alteri bellum infert, ille imponit alteri graviſſimum onus; idemque onus imponit ſibi & ſuis civibus; item conjicit ſe, ſuos, & alios in proximum periculum non tantum malorum temporalium, cædium, rapinarum; ſed etiam in periculum malorum naturaliter irrevocabilium, nempe injuriarum, & aliorum criminum, quæ ex bello oritura moraliter certus eſt.

4. Sine neceſſitate permagna ſuam aliorumque conſervationem, jure ac ſervitute naturæ debitam ultro exponere, eidem juri contrarium eſt.

Neceſſitas æſtimanda ex variis concurrentibus.

Them. XI. Neceſſitas nec unius eſt gradûs, nec unum ſimplicem habet fontem, nec ex una regula poteſt æſtimari; ſed ex multis circumſtantiis.

1. Hoc in *Jure naturæ* confirmavimus Cap. III. Themate XXVI. & alibi.

Incertitudo neceſſitatis, cauſa facile ſuſcipiendorum bellorum:

2. Hæc incertitudo eſt cauſa potiſſima, cur facilius in bella prorumpatur; quia amore proprio victi ſæpe inveniunt neceſſitatem, ubi revera nulla eſt.

Et cur ſæpe utraque pars non bellet injuſte,

3. Hæc quoque eſt cauſa, cur plerumque utraque bellantium pars non agat injuſte formaliter, ſed materialiter tantum; quia quælibet pars credit ſibi ſtatum ſuum notiorem eſſe, quam alteri. Igitur ſuum judicium de ſua neceſſitate propria judicat eſſe præferendum judicio alterius: atque ex neceſſitate ita apprehenſa provolat ad arma.

Libri non minuent incertitudinem.

4. Neque ulli de Jure belli ſcripti aut deinceps ſcribendi libri minuent hanc incertitudinem, aut hanc judicandi rationem; imo potius augebunt. Quo enim plures rationes & exempla vetera (hæc enim plerumque in libris doctorum referuntur, tanquam eruditionis argumentum) ob oculos ponuntur principibus, hoc plus argumentorum alteri aut alteri parti ſuggeritur ad ſeſe in judicio hoc confirmandam. Niſi forte aliquis produceret rationes ſatis firmas tales, quæ pariter utrique parti reſiſtunt. Id quod fieri non poſſe ajo, niſi perſuadeas, ***omnibus*** eſſe abſtinendum à bello: alias enim qualescumque rationes ſuggeſſeris, ſemper uterque eas pro ſe ſere accipiet.

In bello excuſat Ignorantia,

Them. XII. In hoc belli negotio habet locum ignorantia, quæ invincibilis excuſat, erronea non.

Ob vaſtitatem negotii.

1. Cum enim ſit negotium tam vaſtum & innumeris circumſtantiis ſeptum, fieri poteſt, ut tam Princeps, quam conſiliarii ignorantia decipiantur.

2. Omnia tamen quæ de errore vitando, & diligentia adhibenda diximus in *Jure naturæ* Cap. VI. multo fortius obſtringunt in hoc negotio negotiorum temporalium graviſſimo.

Conſilia requirenda à quibus?

3. Unde manifeſtum eſt, Principem nullum excuſari à graviſſimo reatu & onere reſtitutionis omnium damnorum, qui aut non exquirit conſilia; aut non exquirit ab iis, qui poſſunt aut debent dare, ſed ab ignorantibus fundamenta, aut à fervidis, ab adulatoribus; à miniſtris tantum obnoxiis, non à ſtatibus ſeu ordinibus.

Bellum negotium Theologicum.

Thema XIII. Bellum non eſt negotium mere politicum, ſed & Theologicum ſeu conſcientiæ. Unde neceſſe eſt conſilium quærere à peritis rerum divinarum.

Ex ſenſu communi.

1. In genere hic erat ſenſus, & eſt omnium nationum etiam barbararum. Hæ enim agnoſcunt, res divinas probe non poſſe adminiſtrari in republica, niſi ſint, qui ſeorſim de iis curam habeant.

Etiam Barbarorum.

2. In bellis quoque auſpicandis tam Græci & Romani, quam Barbari ac majores noſtri Germani incipiendum à ſummo numine exiſtimarunt; ejusque miniſtros publicos tanquam interpretes voluntatis divinæ conſuluerunt. Id quod ex omni Gentium hiſtoria conſtat vel leviter tinctis. Magno itaque pudore perfundi deberent hodierni quidam doctores, Chriſtianum gerentes nomen, cum veris Chriſtianis perſuadere volunt, Bellum rem mere politicam ad Religionis Chriſtianæ ſacerdotia plane nihil pertinere.

Chriſtianus.

3. Quisquis demum verus Chriſtianus eſt, id eſt, quisquis Evangelio credit;

dit; quisquis credit, Evangelio ſe credere, ſi ſalvus eſſe velit, debere; quisquis poteſtatem Chriſti hominibus certis in peccata commiſſam agnoſcit, conſilium ſaltem eorum reſpuere non poteſt in re, de qua DEO Principi, judicique ſuo reſponſurum ſe eſſe hæſitare non poteſt.

Object. Sacerdotes non ſunt politici.

4. Neque excuſatio valet iſta: Prælati, ſacerdotes, & totum hoc genus non ſunt Politici, nec milites: eccur ergo eorum de Politica aut armis ſententia vel conſilium exquiratur?

Retorquetur: Politici non ſunt Theologi.

5. Nam cur non retorqueri id valeat, non video. Aulici ac milites non ſunt rerum divinarum periti, nec à Chriſto (loquor de Chriſtianis Populis in media Europa) conſtituti, ut ligent & ſolvant. Cur igitur hi quærantur in negotio, quod & ipſos & infinitos alios uno velut ictu obligare graviſſimo coram DEO reatu poſſit?

Diſtinguitur.

6. Deinde fatendum eſt, dari aliquos politicos rerum divinarum non parum gnaros: & aliquos ſacerdotes rerum politicarum non minus ſcientes.

7. Cum igitur princeps teneatur jure naturæ ad removendum impediendumque errorem adhibere omnia media etiam ardua in re tam magni momenti; tenetur conſilium eorum exquirere, qui rerum divinarum ſunt maxime experti cum aliqua politicarum notitia; cum tale conſilium facile haberi poſſit, & ex legibus Chriſtianis ſit neceſſarium.

Conſilium eximit periculo ſalutis.

8. Periculo ſeſe liberat Princeps, ſi in conſilium vocaverit tum politicos probos & fideles, tum eos, qui divina ſcientia & poteſtate præditi ſunt. Quorum illi *fideliter* & *integre* explicare debent rationes politicas fere in utilitate conſiſtentes, & fundamenta cauſæ hiſtorica & pactitia: hi autem, nempe divinorum participes, debent *cordate* & *pure* explicare momenta legis divinæ tum naturalis tum poſitivæ. Atque hoc demum modo non perfunctorie ſed ſerio & ſufficienter adhibito ita poteſt arripere arma, & armis lucrari terras, ut non perdat animam, qua perdita & terra ipſi perierit & cælum.

Officium Conſiliariorum.

9. Illos autem, qui Chriſtianam legem ad mores publicos, ad civitatem regendam, & ad jura gentium nihil pertinere, ad opprobrium Evangelii, contendunt, tum alibi ſæpius confutavimus, tum in *Larva detracta* Cap. X. & ſupra in *Jure Naturæ* cap. III.

Bellum offenſivum injuſtum.

Thema XIV. Bellum vere ac mere *Offenſivum* eſt injuſtum.

1. Offenſio intelligitur violatio alieni juris, quæ eſt refractaria juri naturæ. Vid. *Jus Naturæ* Cap. XXII.

Quod ſit bellum offenſivum?

2. Solet autem dici offenſivum bellum etiam hoc, cum aliquis injuria affectus, ſine armis, injuriantem & quiete in injuria reſidentem, armis aggreditur. Ita ut alter prior ſit aggreſſor in injuſtitia exercenda, alter prior aggreſſor in armis. Id quod reipſa non eſt aggredi, non offendere, ſed injuriatorem arcere, ac jus ſuum defendere. Neque hoc habeo pro bello vere offenſivo.

3. Sed nos de re certi, de voce nolumus contendere.

Defenſivum eſt juſtum.

4. Licitam autem ſeu juſtam jure naturæ eſſe talem aggreſſionem defenſivam (cæteris concurrentibus requiſitis) liquet ex *Themate VIII.* Alias enim natura peſſime conſuluiſſet inoocentibus, optime ſontibus; & approbaret, Injuſtitiam ſedere in ſolio, Juſtitiam ſub pedibus gemere.

Bellum ad avertendam injuriam

Thema XV. Bello defenſivo accenſeri poteſt illud, quod incipitur ad *præcavendam* injuriam ſatis gravi periculo valde probabiliter metuendam.

1. Hoc belli genus Illuſtris Ikſtadius *Aſſecuratorium* vocat, quamquam ad offenſivum genus reducat. Quod nobis perinde eſt, ex Themate præcedenti.

Aliquando juſtum.

2. De hoc defenſionis genere fundamente locavimus in *Jure Naturæ* Cap. XXI. Them. XXI. &c. & Cap. XXIII. Them. XII. Quæ etiam locum habent, ut inter hominem & hominem, ita inter gentem & gentem; cum conſervandi ſeſe ratio utrobique ſit eadem.

Potentia increſcens alterius.

Thema XVI. Nimium increſcens potentia vicini poteſt eſſe cauſa juſta belli.

Quando poſſit eſſe cauſa belli juſta?

1. Nempe ſi certus & propinquus quodammodo metus injuſtæ oppreſſionis ſit. Et ſi alia media non ſuppetunt &c.

2. Per hæc enim bellum tale ſit defenſivum & neceſſarium, adeoque juſtum: ex ſuperioribus Thematibus.

3. Talis quidem metus fere ſemper eſt *probabilis*: quia nunquam hactenus in mundo aucta eſt alicujus gentis potentia ſine oppreſſione aliorum. Perſæ, Græci, Romani, Galli, Germani, Tartari hoc in ordine fuerunt. Et qui nunc queruntur de metu ex potentia aliorum, alio tempore eundem fecerunt aliis, aut deinceps facient.

In particulari caſu ægerrime diſcernitur.

4. Quia tamen ad Bellum, tanquam remedium morbo ipſo ſæpe periculoſius, requiratur non quæcunque probabilitas periculi; & inſuper neceſſitas; non facile eſt pro quovis caſu de tali juſtitia decernere; cum hæc dijudica-

tio pendeat à ſexcentis circumſtantiis & conſiderationibus.

Modus in bello tenendus.

Thema XVII. In bello, ut juſte geratur, *Modus & menſura* per omnia tenenda eſt.

1. Omnis enim actio humana non ex ſolo fine fit juſta, ſed & ex *circumſtantiarum* concurſu, in quo conſiſtit modus & menſura actionis. *Jus Naturæ.* Cap. VI. Them. XXIX.

2. At Bellum eſt actio humana, ſupta Themate II. &c. Igitur in bello modus tenendus.

Bello in infinitum nocere.

Thema XVIII. Jus Gentium non tribuit bello facultatem nocendi adverſario *in infinitum.*

Non eſt Juris gentium;

1. Jus gentium ſive conſenſus hominum (Cap. I. Them. IV.) non conſiſtit in mera indevincta arbitratione hominum; ſed in ligata per jus naturæ ſupremi Domini; neque adeo poteſt tribuere facultatem à naturæ Domino negatam. Quod Cap. I. Them. III. & ſequentibus deduximus.

Quia eſt contra jus naturæ,

2. Jam vero Naturæ jus nullam tribuit facultatem in ſuos ſubditos abſque modo & in infinitum: hoc enim ſolum competit æterno ac infinito ipſius naturæ Domiuo, & eſt velut reſervatum aliquod ſummæ majeſtatis, cum creaturis incommunicabile; niſi ex parte aliqua executio demandetur: uti aliquando demandavit populo Iſraël excidium totius gentis Chananæorum.

Et moderamen inculpatæ tutelæ.

3. Cum igitur inter ſingulos homines neceſſarius ſit modus, ſeu *moderamen inculpatæ tutelæ* (Juris naturæ Cap. XIII. Them. XI.) neceſſarium Idem moderamem eſt inter gentes, quæ æque ac ſinguli ſubjecti ſunt Juri naturæ.

Excipitur neceſſitas ſumma.

Thema XIX. Si finis belli juſti (Themate VIII. hoc Cap.) obtineri aliter *nequit*, jus, eſt offenſorem ſeu injuriatorem plane è medio tollere.

1. Et hoc ſorte ſenſu, haeque cautione intelligendi ſunt, qui docent, Jus belli tribuere facultatem nocendi in infinitum.

Probatur à pari.

2. Moderamen certè inculpatæ tutelæ non impedit, quo minus uni homini jus ſit adverſarium, v. g. nocturnum furem, plane interimere, ſi aliter ſeſe ac ſua tueri nequeat. Igitur nec gentes eo jure carere poſſunt aut debent.

3. Hinc *interdum* juſtum eſſe poteſt jure naturæ, victorum agros domos, urbes incendio vaſtare; victos mutilare aut debilitare; illos in aliud ſolum transportare.

quædam licita Jure Naturæ, illicita ſunt Jure gentium.

Thema XX. Jure Gentium moderno non ſunt licita quædam ex his, quæ jure naturæ interdicta non eſſent.

1. Poteſt enim jus inferius obligationes aliquas inducere, quæ jure altiori non exſtabant. Vid. *Larva detracta.* Cap. I. Them. V. &c. Et ita poſſunt gentes Jure Gentium obligari ad aliquid, quod jure naturæ ligatum non erat.

Exemplum Europæum.

2. Ita Europæarum gentium Juri reſiſteret, qui bello captis tanquam propriis mancipiis uteretur. Is quoque, qui nulla nova cauſa accedente & urgente incendiis ſegetum, domorum; excidiis arborum; promiſcuis cædibus infantium & imbellium; mutilationibus captivorum; venenatione fontium, frumentorum, aut armorum inciperet graſſari. Quamquam per hæc facile etiam in Naturæ jura peccari poſſit, atque judicium ſummi Numinis in caput ſuum attrahi.

Chriſtiani magis obligentur ad modum tenendum.

Thema XXI. Gentibus Chriſtianis major incumbit obligatio tenendi modum in bello. Et, qui illos excuſant jure naturæ prætexto, Sophiſtæ ſunt & seductores haberi poſſunt.

Probatur ſenſu communi.

1. Prima pars thematis certa eſt tam apud Chriſtianos, quam apud Barbaros. Nam qui Chriſti mandata norunt, non poſſunt ambigere de multa patientia, indulgentia, ac manſuetudine imperata *ſupra Gentiles*, id eſt ſupra & ultra egenum nudam naturæ. Servus autem ſciens voluntatem Domini ſui Chriſti, & non faciens vapulabit multis.

Etiam barbarorum.

2. Barbari quoque ſpecialiter, ac plusquam alios, abominantur Chriſtianos tam ferociter & ſine modo graſſantes; quia etiam ipſi agnoſcunt majorem in his Chriſtianorum obligationem.

3. Adhæc peccant Chriſtiani tales peccato ſcandali gentibus barbaris facti; quod eſt contra jus naturæ.

Contraria docentes Sophiſtæ. Falſo prætextu Juris naturæ.

4. Sophiſtas autem & ſeductores dico eos, qui ſerio docent, Chriſtianos ad majorem manſuetudinem non obligari, idque ideo, quia *Bellum eſt juris naturæ*, & ſecundum leges naturales debet tractari ac poteſt. Sophisma hoc ſeductorium manifeſte eſt, & fallaciam ejus advertere etiam indocti quilibet poſſent, niſi magnorum in ſpeciem doctorum inanis umbra eos involveret. Nam facile apparet, Bellum eſſe *etiam* Juris naturæ, ſed non *tantum.* Si enim tantum nudum jus naturæ eſſet in bello attendendum, ſequeretur, nullis populorum pactis, conſenſu, aut conſuetudine belli furorem poſſe circumſcribi; & nullum valere in bello Jus Gentium, quod eſt abſur-

Digitized by Google

Quia Jus belli eſt Juris naturæ *hypotheticæ*. abſurdum, & ſenſui communi adverſum.

5. Sicut igitur in bello obligat *non tantum* merum ac nudum jus naturæ, ſed hypotheticum, modificatum & reſtrictum per voluntatem tacitam mortalium: ita *non tantum* jus naturæ obligat & circumſcribit bella gerentes Chriſtianos, ſed hypotheticum & voluntate ac imperio immortalis Chriſti reſtrictum & perfectius redditum: quem fruſtra DEUM credimus & adoramus ſi ejus voluntati non magis quam Athenienſes Draconi aut ſoloni ſubjicimur.

Quia Chriſtus Jus naturæ *perfecit*. 6. Chriſtus non eliſit naturæ jura, ſed eadem docuit & impetavit perfectiora. Vid. *Larva detracta* Cap. X. Quin ne civiles quidem legislatores voluerunt aut potuerunt legem naturæ tollere, ſed ornare & reſtringendo ac explicando potentiorem perfectiorique in uſu conſtituere. *Ibidem* Cap. I. Them. V. &c.

Stratagemata ſunt Jur. gentium. *Thema XXII.* Stratagemata ſeu artes aliquas occultas adhibere licet *Jure Gentium*. At eæ tales ſint, ut non repugnent Juri naturæ nempe mendacia, reſtrictiones pure mentales, perjuria &c.

1. De Jure Gentium non eſt controverſia. Omnes gentes in id conſenſu iverunt: *Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* Ubi dolum bonum intelligunt, ſeu artem tegendi conſilia ſua: e. g. cedere ac pedem referre, ut in inſidias diſpoſitas pelliciatur hoſtis. Vel in parte læva oppugnare hoſtem aperte, ut à ſenſu occultæ oppugnationis in parte dextra avertantur obſeſſi.

Nec ſunt dolus malus. 2. Nam qui retro fert pedem nequaquam hoſti inſequenti promittit ſecuritatem, atque adeo nec mentitur nec vitioſe ſimulat.

3. At Sinonis apud Virgilium mendacia nimis craſſa ſunt, quam ut ſtratagematis loco haberi poſſint. Quamvis equus ligneus, Græcorum fabrica juſtum ſtratagema eſſet, ſi vera eſſet hiſtoria.

4. Verum ut aliorum malorum, ita & doli mali ferociſſimum eſt bellum. Quæ tamen ferocitas *facti* eſt non *juris*, nec ſeu militem ſeu ducem excuſat à peccato, & à reſtitutione damnorum *ex hoc* ſecutorum.

Licitum eſt Sollicitare promiſſis *ad deditionem*. *Thema XXIII.* Ad deditionem ſollicitare promiſſis, pecunia &c. licitum eſt; non autem ad formalem proditionem.

Ratio 1ma. 1. Media enim humaniora ad vincendum adhibere conformius eſt juri naturæ quam triſtia & violenta.

Ratio 2da. 2. Qui ita ſollicitat, non petit niſi ſibi jus ſuum præſtari. Suppono enim, bellum eſſe juſtum: Non autem petit peccatum ſeu proditionem. Relinquit enim in arbitrio dedentium, ut ſib forment judicium de juſtitia ſuæ deditionis. Imo plerumque tam editis fecialibus litteris, quam ſingularibus declarationibus per has occaſiones exponitur jus oppugnatoris in talem urbem vel regionem &c. In eum fere modum, quo quis judicem ſententiam juſtam ſine pecunia dicere renuentem, poteſt pecunia delinire, ut cauſa ſua juſta potiatur; tametſi judex in hoc peccet; non dantis ſed accipientis malitiâ.

Mendacia in caſtris ſerere illicitum: Non item paſſive ſe habere &c. *Thema XXIV.* Non licet poſitive diſſeminare mendacia in exercitu vel civitate, quibus hoſtis decipiatur: ſed falſis rumoribus graſſantibus, licet paſſive ſe habere. Item licet imperia poſitiva edere v. g. de itinere cras parando, etſi hoſtis inde decipiatur, male interpretans.

Aut imperia non ſeria edere. Nam iſta imperia mendacia non ſunt, ſed vera. Exercitus enim, cum ſemper debeat eſſe paratus ad iter, debet mandatis identidem ejus promptitudo excitari. Et peritus ſtrategus adverſarius ad explorandum verum iter hoſtis longe aliis ſignis uti debet quam his mandatis: quodſi igitur non utitur, imperitus eſt artis.

Belli indictio fuit Juris gentium. *Thema XXV.* Belli indictio ſeu clarigatio ante hac erat Juris gentium: modo non item.

Nunc non item. 1. Plerumque enim jam omittitur à populis egregie moratis, & cauſæ tantum belli in ipſo belli initio manifeſtantur. Id autem à tot populis ſemper fieri injuſte, præſumendum non eſt. quin potius præſumendum, populos generatim revocaſſe conſenſum ſuum, quo neceſſatiam antea fecerant belli denuntiationem.

Et Cur? 2. Olim etiam diverſa rerum facies poſtulabat diverſa. Nempe olim non erat Principibus perpetuus miles, ſed ex urbibus cives, ex agris coloni evocabantur ad arma. Ad hoc opus erat tempore. Nunc, ubi perpetuis aliter miles, ſibi imputare debet princeps, ſi fines ſui ab hoſte inveniuntur nudi & imparati.

Pro altero bellum gerere eſt Juris naturæ: Quando? *Thema XXVI.* Arma arripere in tutelam alterius gentis injuriam paſſæ, jure naturæ juſtum eſt; ſi adſint requiſita ſub initium hujus capitis poſita.

1. Sicut privati privatis jure naturæ debent eleemoſynam, id eſt opem & ſubſidium; ita gentes gentibus.

2. Præ-

2. Prӕterea *tua res agitur, paries cum proximus ardet.*

Si pacta de non juvando anteceſſere. Dubium eſt.

Thema XXVII. Num idem liceat, ſi anteceſſere pacta de non juvando? anceps videtur.

1. Talia enim pacta, niſi circumſtantiis melioribus veſtiantur, injuſta videntur; ut ſi paciſcerer cum effractore nocturno de non juvando patrem familias.

Initio juſtum poteſt fieri injuſtum.

2. Et quoniam fieri poteſt, ut pactum tale initio innocens, tractu temporis ac belli fiat nocens; poteſt obligatio primo contracta ceſſare. E. g. aliquis potentior cum alio potentiore fœdus habet de mutuis hoſtibus non juvandis. Ille prior bello, petit alium debiliorem, & bello nec evidenter juſto nec evidenter injuſto. At bello deinde utitur eo modo, qui videtur inſolens, nimius & non tendens ad ſatisfactionem, ſed oppreſſionem. An videtur ille alter juſte ſententiam mutare? aut potius declarare, ſe pactum ſuum couſque nunquam extollere voluiſſe?

3. Certe gentes ſic egiſſe docent hiſtoriӕ. Quamquam alias, quas id tangebat, de jure per hoc violato conqueſtas fuiſſe pariter conſtet.

Fœdera nova ut non prӕjudicent antiquis?

Thema XXVIII. Fœdera bellica nova cum uno celebrata, non poſſunt prӕjudicare fœderibus antiquis cum altero celebratis adhuc ſubſiſtentibus; ſine hujus aliquo conſenſu. Idque eſt juris naturӕ.

Fœdera enim mutuo conſenſu ut fieri ita ſolvi, juris eſt naturӕ non gentium. Cap. VI. Them. IV. V.

Auxilia poſſunt mitti ſine participio belli J. Gentium.

Thema XXIX. Auxilia ſubmittere uni, proportionata rei gerendӕ, adverſus alterum amicum, quin tamen particeps fiam hoſtilitatis & rationum belli; videtur eſſe Juris gentium; niſi aliter fuiſſet pactum.

1. Gentes enim à ducentis ſaltem annis utuntur hoc jure.

2. Et quamvis interdum querelӕ audiantur, tamen iidem, qui queruntur, eadem & fecerunt & faciunt.

Exempla.

3. Exempla, niſi admodum odioſa eſſent, plura afferrem. Turcӕ in nupero bello, non detrectabant, militum Chriſtianorum vim auxilio mitti Ruſſis: bellum in ſe ſuſcipi vetabant. Germani per annos amplius ſexaginta milite & pecuniis juverunt hoſtes Galliӕ in Flandria &c. quin belli ſe participes facerent. Iidem Germani à trecentis annis copioſiſſimo ӕre ac milite adſtiterunt regibus Hungariӕ in provinciis defendendis & recuperandis; quin Germanum Imperium unquam aut bellum habuerit in turcas, aut pacem fœdusque cum iis junxerit; nulla enim Turcica pax ad Imperii confirmationem ſeu ratihabitionem deducta fuit.

An fas ſit barbarorum auxiliis uti?

Thema XXX. Num liceat Chriſtianis in defenſionem ſuam advocare barbaros, infideles, hӕreticos? multa contentione ſӕpe diſputatum fuit. Aliquando videtur licere.

1. Diſputationes & diſſenſio potius in verbis videtur fuiſſe. Nam re ipſa aliquando ii, qui hoc negabant aliis, idem fecerunt ipſi.

Videtur fas, ex cauſis ſuis.

2. Ultima neceſſitas: adhibita ſufficiens cautio, qua honori DEI & moderamini inculpatӕ tutelӕ conſultum ſit: & forſan alia graviſſima momenta poſſunt juſta reddere hӕc auxilia.

Exemplum Gallorum.

3. Atque ita excuſant Galli auxilium navale Turcicum an. 1543. evocatum. Pontifex etiam interpellatus, ut regem diris ob id devoveret, negavit id facturum; quod Doctorum de injuſtitia ejus rei non eadem eſſet ſententia.

Auxilia barbarorum inutilia.

4. Hoc fere certum, nunquam fere fructum ex ejuſmodi auxiliis capi. Nihil id gallis profuit; ſed prӕter odium Chriſtianorum hoc retulerunt, ut Germanum Imperium eatenus neutrarum partium, ſuis auſpiciis anno 1544. exercitum hoſtilem in gallias miſerit pro Domo Auſtriaca. Atque hic annus periodicus eſt bellorum Germaniam inter ac Galliam, tametſi ob alias cauſas Germanis fatalium. Nihil auxilia Turcica profuere Joanni de Zapolia Hungarorum regi, ſed, prӕter Religionis detrimenta, ipſum etiam cum maxima regni parte in ſervitutem redegerunt.

5. Aliquӕ Æſopi fabulӕ in hanc rem veraces ſunt & ſapientiam docent. qua neglecta Princeps ſe ſuosque prӕcipitabit in exitium, contra naturӕ jura.

Neutralitatis jura pleraque incerta.

Thema XXXI. Neutrarum partium jura pleraque incerta ſunt, & controverſiis obnoxia: excepto forte, quod ad utramque partem ӕqualiter ſe gerere debeat, qui neutrius eſſe velit.

Forte, inquam, hoc excepto. Nam ſi duo bellum gerentes ſint multum inӕquales, videas potentiorem ſemper plus exigere. An id inique?

CAPUT IX.

De Jure Gentium incerto, ac primum de RENUNTIATIONIBUS.

Jure naturæ certa, non ſunt incerti J. Gentium.

Thema I. QUidquid eſt certi Juris naturæ, ac divini, id in jure gentium non poteſt eſſe incertum.

Alias natura non eſſet ſubjecta regulæ ſuæ; nec regula naturalis, quæ tamen eſt divina, eſſet efficax. Vid. Cap. I.

Jure naturæ indefinita poſſunt fieri Juris gentium certi.

Thema II. Quæ jure naturæ incerta ſunt, aut circumſtantiis relicta, ea fiunt juris Gentium certi, ſi conſenſu gentium determinentur. Vid. Caput I.

Si Conſenſus gentium certus eſt.

Thema III. Quodſi conſenſus idem incertus maneat, illa quoque erunt Juris Gentium incerti ac nondum definiti. Vid. Cap. I. Thema IX. ſeqq.

Tria fundamenta in Quæſtionibus Gentium.

⋆ Quapropter in omni quæſtione circa negotia gentium hæc tria Themata fundamenta ſunt omnium reſolutionum. *Primum* tractatur in Jure naturæ. *Alterum* in omni Juris diſciplina occurrit, & in Politica. Ex quibus Jus gentium *poſſibile* eruitur. *Tertium* ex hiſtoria, teſtibus, tabulis &c. dictur, ut capite primo evicimus, Themate XI.

Renuntiationes hereditatum ſunt Juris incerti. Ex ſententia doctorum.

Thema IV. Renuntiationes Filiorum in Succeſſiones paternas ſunt juris incerti, ex doctrina, ſeu ſententia Doctorum.

1. Has renuntiationes jam ſolas dicere lubet, nam ſi de omnibus aliis renuntiationum ſpeciebus eſſet dicendum, nullus eſſet finis.

Gundlingius

2. Gundlingius Exercitationem de hoc argumento ſcripſit anno 1729. quæ eſt decima octava inter *Exercitationes Academicas* Tomo I. pag. 917, ubi in proœmio hæc ſcribit: *Quoties* Scri-

Alios doctores taxans.

„ pta eorum lego, qui de Renuntiationibus filiorum nobilium ratione ſucceſſionis in hereditate parentum aliquid literis memoriæque prodidere; toties doleo, eos illotis ad hanc rem manibus acceſſiſſe. Adeo omnia miſcent, & origines negligendo pleraque confundunt, ut jus cerebrinum & novum cooriatur, ſicque familiæ ſplendidiſſimæ litibus æternis vexentur, unâ recentiorum placitis innixa, alterâ veritati antiquæ confiſa. Ceu fieri ſolet, cum ſpes nummi ad certandum incitat, & de meo ac tuo vehementer diſceptatur; diſſentientibus inter ea doctoribus cauſſidiciſque in utramque partem argumenta conglomerantibus. In quo ne perpetuo cœcutiant, ſed ad fontem veritatis adducti limpidiora hauriant, ac generalibus tantiſper omiſſis ſpecialiora percipiant, eoque pacto ad verum à falſo diſcernendum idonei reddantur, perficiam fortaſſis breviter & ſolide, „ Hæc ille.

Promitit omnia certiora.

Auctorum quidem incertitudinem vere deſcribit.

3. In quibus illud ſumo tanquam certum, Auctores doctos cauſſidicorum more argumenta in utramque partem coacervare tum hac de re tum & de aliis. Quemadmodum autem omnibus ſimul cauſidicis litem aliquam utrinque deducentibus, lis manet indeciſa, niſi quis judex aut arbiter accedat, aut partes ipſæ dent manum. ita Renuntiationum etiam negotium cum aliis id genus manebit per hoſce doctores ſemper litigioſum, id eſt, incertum & infinitum, ſi abſit judicii quædam vis qualiſcumque.

Sed vane promittit certiora.

4. Tum vero adverto, vanam fore Gundlingii gloriationem, ſi ea huc ſpectaret, ut litis per ſe tandem finiendæ ſpem nobis faceret. Vana, inquam: nam cum ipſe judex nequaquam ſit, ſed unus denique ex eorum ipſorum numero, quos carpit, nempe doctor & moderator ſcholæ: hinc conſequitur per ipſius oracula litibus his terminum poni non poſſe, æque parum ac per Juſtinianum Imperatorem, Tabulas. XII. legum Romanarum, Legem Voconiam, Ciceronem, Quintilianum Aſconium Pedianum, Hotomanum, Cujacium, Bachovium, Vinnium &c. Quos Gundlingius partim pueriliter erraſſe dicere non dubitat; tametſi eorum pars non minus clari nominis doctores fuerint, pars etiam legislatores, iique in aliqua republica ſummi.

Cum nec poteſtatem ipſe habeat majorem.

Nec ſcientiam.

5. At enim Gundlingius non poteſtatem decernendi hiſce viris defuiſſe exiſtimat, quippe quam ne ſibi quidem adeſſe facile utique agnovit; contra vero defuiſſe ipſis veram iſtarum rerum ſcientiam, quæ Gundlingio adeſſet? Id certe videtur: nam ſugillat Juſtinianum, velut ex inſcitia Abrogan-

Ob cujus defectum ſugillat Imperatorem.

Digitized by Google

gantem leges Vocbnii, quæ filiabus hereditatem non petmittebant. Sic enim inquit §. VIII. „ In hoc „ vero Juſtinianus admodum paratragœdiatur, quando *ſine ulla hiſtoriæ luce* in Voconiam, latentet licet, detonat, fœminis contra naturam injuriam fictam arbitratus - - - cum „ aliis barbaris gentibus, exhonorantibus naturam, & fœmineum genus „ *injuriantibus &c.*„ Quid hæc aliud ſonant, quam Inſcitiâ hiſtoriæ & *originis* hujus juris, quam Gundlingius in ſacris literis quærit, erraſſe Juſtinianum. Quaſi legislatorem civilem ad leges ferendas moveret ſcientia ſtatus antiquati, & non potius neceſſitas aut utilitas præſens reipublicæ?

6. Advertit id mox Gundlingium & ſtatim prioribus diſſonantia opponit: notat enim, Juſtinianum perperam arguere alias gentes ob fœmineum genus excluſum. Ratio arguendi eſt, quia unicuique genti ſuæ ſint rationes, cur quid ſtatuant: Eam autem notam in hæc verba ſubjungit: Quod quam „ ſit illepidum, nemo non paulo humanior intelligit, penſitans cum cu„ra, unicuique reipublicæ ſuum eſſe „ ἴδιον, ſuos mores ac rationes. Antea peccarat Imperator, quod neſciret hiſtorias: nunc gentes barbaræ excuſantur ſtatuentes aliquid ex ſua ratione ac more, cum æquali licet hiſtoriarum ignoratione, in barbaris non quærenda. Barbaris ſufficit, etiam ignorata hiſtotia ſtatuere aliquid de fœminis; quia ſtatuendi vis in voluntate eſt ſita: Juſtinianus Auguſtus illepidus eſt: tametſi enim voluntate eadem ac poteſtate gauderet, at caruit notitia hiſtoriæ, quæ leges Imperatoris *inſulſas* facit, barbarorum decoras:. hoc enim eleganti encomio afficit Imperatorem §. IX.

Pugnat ſe cum Gundlingius.

7. Deinde §. X., recte notat homines quoſdam, imperitos vocat, qui ex ratione ſimilitudinis naturalis inter mares & fœminas inferunt, Juris naturæ eſſe fœminarum ſucceſſionem: „ Imperiti, inquit, quamcunque ratio„nem probabilem, aut ſuaſoriam, „ aut ingenioſam tantum, pro jure di„vino atque immutabili venditantes: „ Juſtinianum hac parte imitati, mi„ſete ſæpe argumentantem, ac ve„teres leges temere ſubruentem.

Recte ait: non quamvis rationem eſſe Jus naturæ:

8. Longa poſthac enumeratione recenſet, veteres Francos, ſaxones veteres, Anglos, Gothos, Danos ſeu Jutos, Normannos alioſque Germanos populos legibus ſuis ac moribus excluſiſſe fœminarum gentem ab hereditate: Et in hanc partem concedit ipſe, juſtam eam exiſtimans, quia ab hiſtoriæ notitia manantem. Paulo tamen poſt fatetur, ea eſſe inde à ſeculo XIII. immutata: eamque partem non admodum probat; tametſi & ipſa ex hiſtoria conſtare deberet.

Mox autem ſecum pugnat.

9. Unde perſpicias, quam ſit Idoneus Gundlingius, qui digladiantibus inter ſe Juris peritis imperet pacem; is qui ſuas ipſe pugnas neſcit componere. Is enim qui contra Imperatorem pro principio ſtatuit: *Quibuscunque gentibus eſſe ſuos fines, mores ac rationes:* Quomodo easdem rationes denegavit Germanis, qui veterem legem ratione nova immutarunt: quod à ſeculo jam XIII. factum fuiſſe non diffitetur? An ſoli veteriores Franci, ac Saxones habuere ſuum ἴδιον, rationes ac mores; hodierni autem Germani iis carent? An quod veteribus Germanis placuit, æternum eſſe debet, & nullo unquam tempore diſplicere poſteritati? An Germani, qui hodie vivunt, vivent jure non quale ipſorum rationes nunc ferunt, ſed quale ferebant rationes Germanorum ante annos mille?

Ineptus ergo eſt ad *incertitudinem* Juris gentium tollendam.

10. Non diſtinebo calamum in recenſendis cæteris, cum rem totam adeo incertam *juris* relinquat Gundlingius, ut ad extremum hæc verba adjiciat: „ Optimum vero conſilium foret, ut „ vetus illa lex Germaniæ in integrum „ reſtitueretur: Filia maſculis ſuper„ſtitibus nullam hereditatis portionem „ accipiat: iis deficientibus ſuccedant „ ſecundum legem inteſtati, hac ta„men cum cautione, ne maſculi ex„tremi filia renuntiantibus olim ea„rumque hæredibus poſtponatur &c. Nos ſperabamus, Gundlingium poſt cœca iſtorum certamina in clara luce poſiturum, quodnam ſit certum jus renuntiantium: at nunc ab ipſo cæterorum doctore pro omni certitudine retulimus *certitudinis votam.* Optat Gundlingius aliquam certam legem. Quid hoc eſt, niſi fateri, legem certam jam non exiſtere, aut non vigere. Idem illi evenit, quod cuidam Theologo, qui, cum promiſiſſet diſcipulis, ſcientiam, quam vocant, Mediam adeo ſe explicaturum clare, ut palpari manu poſſet; poſt horas duas diſſerendo conſumptas ad ultimum exclamavit: O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ DEI! quam incomprehenſibilia ſunt opera ejus! Hoc nempe etiam ante hunc magiſtrum ignoraverant diſcipuli.

Gundlingius promiſſa certitudine, in fine optat certitudinem.

Exemplum.

11. Neque exiſtimet quiſquam, hæc in jure tantum civili Germanorum dubia

bia

bia incertaque eſſe, & ad Jus gentium nobis jam propoſitum nihil pertinere pergamus.

Jus renunciationum incertum apud Europæos. Probatur experientia.

Them. V. Jus renuntiationum à filiabus factarum incertum eſt apud Europæ populos.

1. Ab aliquot ſeculis nullus accidit ejusmodi eventus, qui non in litem, contentionem, imo etiam bellum deduceretur.

2. Jus autem gentium in *conſenſu* gentium eoque *certo* ac probato conſiſtit.

3. Quis igitur hic jus gentium certum concipiat animo, ubi nihil adeo certum eſt quam *diſſenſus?*

Idem incertum eſt ex ſententiis Doctorum. Probatur experentiâ conſtante.

Them VI. Idem jus incertum eſt ex ſententiis Doctorum inter Europæas gentes æſtimatorum.

1. Quoties enim cumque contentio talis eſt ſuborta, omnium gentium inventi ſunt Doctores, quorum, etiam qui non implicabantur cauſæ ſeu liti, pars tamen pro renuntiatione pars ſtetit adverſus ipſam: aut aliis in rebus diſſentiebant.

2. Igitur ex numero, auctoritate ac pondere Doctorum librari Jus renuntiationum non poteſt: ſed utraque bilanx fere æquilibratur: *Doctores certant, & adbuc ſub judice lis eſt.*

3. Teſtes ſunt permultæ ſcriptiones tum patrum ævo, tum noſtra ætate per Europam circumvolantes, de eodem argumento.

Jus renuntiationum incertum ex rationibus. Prob. experientiâ.

Them. VII. Jus renuntiationum manet incertum ex rationibus & argumentis.

1. Id quidem manifeſtum eſt. Doctores enim, cum de his rebus diſputant, non ſunt ita imprudentes, ut confidant, Jus gentium ſe *ſua auctoritate* conſtituros aut incertum ſtabilituros. Intelligunt ſane, non privatorum hoc, ſed populorum ac principum eſſe negotium. Inſudant igitur in hoc unum, ut rationes & argumenta conquirant, quibus commonſtrent, Juſtum eſſe hoc potius quam aliud.

2. Verum enimvero rationes & argumenta hactenus nulla ſunt inventa, quæ ita deciderent pro parte una, ut pro altera non reſtarent forte paria.

3. Quapropter ex rationibus nihil decernitur.

Exemplum.

4. Parvum exemplum legatur in *Schmederi* Theatro Prætenſionum à *Glaffeyo* auctum an. 1628. ubi de Poſtulatis Domus Auſtriacæ in Hiſpaniam diſputat, ac de renuntiatione Mariæ Thereſiæ Ludovico XIV. pactis Pyrenæis denuptæ. Addatur La Defenſe du Droit de Marie Thereſe d' autriche Reine de France à la Succeſſion des couronnes d' Eſpagne par M. George d' *Aubuſon*, Archevêque d' Ambrun, Evêque de Metz à Paris chen Sebaſtien Marbre-Cramviſy 1699.

Jus renuntiationum incertum ex ſenſu populorum.

Thema VIII. Jus renuntiationum non induit majorem certitudinem ex ſenſu & adſtipulatione populorum.

1. Solent Principes jurium ſeu potius actionum ſuarum ac maxime bellorum rationes atque argumenta in vulgus edere. Solent vicinos populos ad ſibi adſtipulandum invitare.

Probatur experientia.

2. Et privatorum quidem ſententia nunquam eſt eadem. Dum Hiſpana lis ſervebat, fuere Hiſpani, fuere Galli, qui ſentirent pro Auſtriis: fuere Germani atque Itali, qui ſentirent pro Gallis. Idem evenit nuper, cum de ipſa Auſtria litigaretur

3. Eat jam aliquis, atque ex his opinionibus ſententiam certam ac decretoriam ferat. Quis numerabit ſuffragia? Aut, ſi non numero, ſed auctoritate & pondere vincendum eſt, vel ſanioribus conſiliis, quis ſuſpendet ſtateram?

4. Principum adſtipulatione aliquorum, niſi fere omnes in uno ſyſtemate degentes conſentiant, nihil agitur. Hi enim, ut alteri ſeſe adjungant, non alterius rationibus moventur, ſed ſuis propriis, ad ipſius litis momenta plerumque nihil pertinentibus.

Exemplum unum.

5. Ejus rei unum ex multis affero exemplum. In contentione Hiſpanica nova Anglorum regina Auſtriorum ſe fœdere junxit adverſus Gallos 1702. Lege tabulas, nihil invenies de jure renuntiationum agnito, nihil de injuſtitia Gallicorum in Hiſpaniam poſtulatorum, neque de juſtitia viciſſim Auſtriacorum: ſed de communi tantum ſalute, de communi metu potentiæ nimiæ &c. quid hæc ad Renuntiationum jura certiora reddenda?

Objectio. Omnes tractatus ſic corruent.

Thema IX. Neque valent quorundam curæ, dicentium: *Omnes tractatus corruent*, niſi Renuntiationes ſint certi juris.

à Gundlingio temere facta.

1. Hæ curæ & aliorum multorum ſunt, & Gundlingii in Diſcurſu ſuper Jus Naturæ Cap. XI. §. 24. atque hoc ariete promittit ſe omnia per regem Galliæ occupata recuperaturum.

2. Non ego Galliæ non Germaniæ cauſam ago: eæ non egent hoc calamo ſeu hac arundine. Sed id nihil valere ad certitudinem renuntiationum ajo.

Sophiſma eſt.

3. Manifeſtum eſt enim Sophiſma: Jus & obligatio *Renuntiationum* inter gentes incerta eſt: ergo nulla ſunt *omnia* pacta & tractatus. Ut ſi dicerem: incerta eſt hodie vis legis Voconiæ: ergo omnes leges corruunt.

CAPUT X.

De Præſcriptione inter Gentes.

Quamquam inclinor in eam ſententiam, certum eſſe, Præſcriptionem inter gentes nullam eſſe; tamen cohibebo animum, & non mea ſed publica ſententia loquar, quâ Præſcriptio inter *incerta jura* reponitur, ſi ea inter gentes poteſt intercedere.

Quoniam vero hoc argumentum celebre eſt, & multam habet futuri exſpectationem, non ita jejune ut capite præcedente illud tranſigam, ſed partem momentorum, quibus hæc cauſa ſuſpenditur, producam in medium.

Quid ſit Præſcriptio?

Them. I. Præſcriptio eſt dominii *in aliquam rem alienam poſſeſſam acquiſitio, & in altero ejus extinctio totalis, etiam ſine ſpe recuperandi ex priſtino titulo; idque vi temporis alicujus decurrentis; & vi patientiæ partis adverſæ, quæ tamen poſſet & deberet agere contrà.*

1. Nemo deſideraverit hic definitionem philoſophicam ac metaphyſicam. Nos certe ſiqua talis proditura unquam eſt, dum vivimus, libenter eam ex aliis condiſcemus.

Eſt acquiſitio Dominii.

2. Dicimus ergo primo, Præſcriptionem eſſe *acquiſitionem dominii.* Non enim meminimus à quoquam aliter hoc vocabulum intellectum eſſe, aut à quoquam aliter intellectam eſſe rem per hoc vocabulum deſignatam; quam ut eſſet acquiſitio dominii, & rei verſio in ſuum jus. Præcipue ſi de Præſcriptione inter Gentes liberas, uti hic agitur. Ex. Gr. Si Turcorum gens ante tot vel tot annos aut ſecula adepta eſt poſſeſſionem Meſopotamiæ tanquam partis Perſicæ monarchiæ. Perſarum monarcha Meſopotamiam hodie repetunt tanquam rem ſuam. Turci porro reſpondent, tanti temporis tractu effectum eſſe, ut res non ſit amplius Perſarum, ſed ſua.

In rem alienam.

3. Dicimus ſecundo: *In aliquam rem alienam:* id eſt in rem, quam agnoſcimus antehac fuiſſe alterius, ſed nunc poſtulamus eſſe noſtram.

Poſſeſſam;

4. Dicimus tertio: *poſſeſſam.* Nam illi etiam, qui Præſcriptionem tanquam jus certum videntur admittere, pro axiomate habent: *Tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum.*

Et in altero extinctio dominii.

5. Dicimus quarto: *Et in altero ejus dominii extinctio totalis etiam ſine ſpe recuperandi ex priſtino titulo.* Quodſi enim v. g. Turci defenderent, Meſopotamiam ſuam eſſe factam per *præſcriptionem,* certe ſic ſentirent ſuam eſſe, ut in Perſis nihil amplius in eam juris ſuperſit vi prioris Perſicæ poſſeſſionis vel tituli. Nam ſi ex priore titulo Perſis etiamnum ſupereſt jus in Meſopotamiam, non video, quid Turci per *præſcriptionem,* ſive per tempus, adepti ſint? Poſſeſſionem enim non dedit præſcriptio neque temqus longum aut breve; ſed *occupatio* ad præſcriptionem æque poſſeſſionem ſuppoſita.

Sine ſpe ſine ſpe recuperandi.

6. Addidimus autem quinto: *ſine ſpe recuperandi.* Hic enim videtur eſſe ſenſus gentium v. g. Germanicarum, ut præſcripſerint libertatem ſuam adverſus priores dominos ita, ut priores domini non amplius habeant jus vel ſpem reintrandi in idem dominium. Fruſtra enim eſſet præſcriptum, ſi priori domino quovis momento & quavis data occaſione pateret juſtus regreſſus ad priſtinum.

Ex priſtino titulo.

7. Addidimus etiam ſexto: Non patere ſpem recuperandi *vi priſtini tituli:* quæ propric *recuperatio* eſt. Neque enim negari poteſt, ex *novo* ſufficiente titulo priori domino de novo acquiri poſſe eandem rem. v. g. ex emptione, donatione clara &c. ut v. g. Perſæ iterum acquirere poſſunt hodie Meſopotamiam per titulos tales novos; etiamſi Turci in hodiernum diem revera præſcripſiſſent. Quia præſcriptio, ſiqua inter gentes datur, tantum vetera jura de præterito ac præſenti extinguere cenſetur: non quælibet nova ac futura. Aliàs ſequeretur, ſi Meſopotamia penitus ab omnibus mortalibus per mille annos derelinqueretur, poſſe quidem omnes alias gentes dominium Meſopotamiæ acquirere, ſolam autem Perſicam gentem excludi perpetuo ab eadem Meſopotamia per titulos novos juſtoſque acquirenda. Quod ſi videtur repugnare ſenſui communi, ac ſenſui illorum etiam, qui præſcriptionem pro certo jure gentium volunt haberi.

Idque vi temporis decurrentis.

8. Dicimus ſeptimo: *Idque vi temporis alicujus decurrentis.* Nam gens aliqua, quæ terram quandam emit, derelictam occupavit, aut aliis modis juſtis acquiſivit, illa dominium ſuum firmat fundatque in his titulis, & non in præſcriptione, ſeu tempore. Atque ita ſentire videntur gentes: *Quodſi etiam tales*

titu-

tituli vel oſtendi non poſſint, vel forte non ſufficerent, aut ambigui eſſent; tamen ad acquirendum perpetuum jus ſibi ſufficere tantum tractum temporis, quo evoluto nihil amplius juris ac regreſſus domino priori ſuperſit. Hic, ni valde fallor, eſt ſenſus & doctorum & populorum, cum de *præſcriptione inter gentes* diſputatur.

Objectio. de requiſita bona fide & titulo.

9. Opponas: In Jure Civili ad præſcriptionem requiri *Titulum*, item *Bonam fidem*. Ergo, dices, falſum eſt, per præſcriptionem jus quæri ex vi temporis, cum quæratur ex vi tituli ac bonæ fidei.

Solvitur.

10. Reſpondeo: Idem Jus Civile ejusque interpretes ſtatuunt, non ſemper titulum, aut bonam fidem expreſſe certam eſſe debere, ſed quandoque ac ſæpenumero *præſumi*, id eſt per aliquid aliud ſuppleri, per quid autem? nempe per *temporis longitudinem*; quia in *antiquis*, dicunt, bona fides ac titulus præſumitur: id eſt antiquitas temporis cauſa eſt, cur in titulum & fidem non inquiratur. Igitur titulus ac fides per jus civile reſolvitur, reducitur, & terminatur denique in antiquitatem ſeu tempus poſſeſſionis: modo ne manifeſte mala fides id eſt formalis injuria voluntaria ſit. Nam nulli hominum dubium eſt, impoſſibilem eſſe talem acquirendi juris modum. Nec de tali aut doctores loquuntur, aut lex ulla civilis ſtatui poteſt directe, aut inter gentes eſt controverſia: ſed omnes uno ore damnant malam fidem præſcriptionemque ex ea tentandam.

Præſcriptio fit vi patientiæ adverſarii.

11. Dicimus Octavo: *Vi patientiæ partis adverſæ.* Nam communis ſenſus eſt: hanc conditionem requiri, ut poſſibilis ſit præſcriptio. Atque ubi pars adverſa non ſilet, ſed contradicit, ibi præſcriptio non inchoarur, non currit, non terminatur; quia hæc malam fidem inducit in præſcribente.

Qui poſſet agere contrà,

12. Dicimus nono. *Quæ pars poſſet & deberet agere contrà.* Decretorium enim eſt apud omnes: *Non valenti agere non currit præſcriptio*: cui ſenſui ut nos quidquam addamus haud eſt neceſſe.

Et deberet.

13. Quod decimo loco adjecerimus cum pars adverſa *deberet* agere, ipſi dubitamus, an id aliquid faciat ad rem? Nam ex una parte qui poteſt agere, videtur etiam agere debere; alias præſumitur vel cauſæ ſuæ diffidere, vel rem ſuam ultro derelinquere. Ex altera vero parte videtur ille, qui poteſt agere & tamen non agit, habere poſſe cauſas ſufficientes, cur non agat. Idque præſertim in Jure ac foro Gentium liberarum.

14. Equidem in foro civili fortaſſis qui poteſt agere, ille etiam debere agere cenſeri poteſt; quia cuilibet indies fere promptum eſt judicium, quo experiatur; promptus judex, quem interpellet; promptæ leges, in conſpectu omnium poſitæ; prompti advocati ad omnem cauſam parati, &, ſi nolint, ex officio etiam judicis dandi.

Debere agere, ut intelligendum?

15. Attamen ne in civili quidem foro iſta omnia tantam ſæpe tribuunt facultatem ac *potentiam agendi*, ut dici poſſit, ipſum *debere* agere; quia ſi aliæ cauſæ adjacentes ac circumſtantes penitius examinentur, apparebit ſæpe, ipſum non *debere* agere ſeu judicio experiri, quamvis videatur *poſſe* agere. Hoc autem nihil eſt aliud, quam ſi dicam: Sæpe aliqua gens videtur *quoad ſuperficiem poſſe* agere, ac judicio experiri: ſi vero intimius res conſiderentur, eadem gens *revera non poteſt* agere, ac conſequenter non debet. Atque hoc ſenſu accipimus nos illud *Debere.* Debet nempe agere gens, cum non tantum apparentia eſt potentiæ, ſed etiam vera potentia ac ſatis probabilis ſpes jus ſuum in judicio conſequendi.

Impotentia multiplex.

16. Sane in Judicio civili multa occurrunt, ex quibus *potentia illa apparens* convertatur in *impotentiam veram*, quæ abſolvat *à debito* agendi; multo tamen facilius id contingere poteſt in jure gentium. In jure civili, tametſi forum & omnia ſupra dicta videantur tribuere promptam facultatem agendi, tamen poſſunt intervenire alia, ut judicis, teſtium, advocatorum corruptio; domeſticorum proditio; defectus inſtrumentorum per incendia, furta, naufragia; bella; peſtes; actorum morbi ac debilitas; metus gravis à præpotentia adverſarii; res anguſta domi; domicilium procul ſitum; tranſitus difficiles; vicinus improbus; mutatio poſſeſſorum utriusque partis varians; tenerior in uno affectus ac miſericordia, quæ quidem à politicis pro imbecillitate habetur; occaſiones temporariæ ſpecialis affinitatis, conſanguinitatis; aut propenſionis, quæ efficere poſſunt, ut tantiſper à proſequenda lite abſtineatur, & quaſi conniveatur: & cauſæ mille aliæ.

Maxime inter gentes.

17. Quis jam ſit ita inverecundus, ut cum hæc civibus ac de plebe etiam hominibus indulgenda cenſeat; neganda tamen exiſtimet gentibus ac regibus? Qui certe multo pluribus ac delicatioribus circumſtantiis involvuntur, quæ ipſos agere prohibeant? Sicut enim una muſca patentiorem habet campum tenue corpuſculum ſuum volatu promovendi; quo volet; contrà totus aliquis grex elephantum tum mole ſua tum multitudine

laborat: Ita gentibus tegibusque uſuvenit; in quibus ſæpe ubi caput viget, languent membra, & membrorum alacritati deeſt caput infirmum, & infinita alia motum omnem intercipiunt.

Offenduntur difficultates.

18. Quibus addas *Forum Juris Gentium ac Judicem* vix ab iis ipſis agnoſci qui præſcriptione ſe tuentur; Leges vix eſſe paucas; Advocatos fideles vix ullos, ſufficientes paucos; *Gladium judicem* omnibus amicis inimiciſque tertibilem.

19. Hæc omnia quisquis æqua lance ponderaverit, eum oro, ut procedat In medium, Europæque gentibus decernat lege lata, *AN, QUID, UBI, QUIBUS AUXILIIS, QUANDO* agere *DEBEANT* ad Præſcriptionem impediendam; ita ut publico Europæ eoque ſtabili ac uniformi judicio cenſeantut *agere potuiſſe, ac debuiſſe*, & tamen non egiſſe, atque adeo contra ipſos (ex hoc ſaltem capite *acquieſcentiæ*, cæteris interim diſſimulatis) præſcriptum ſuiſſe? Hoc ſolum qui præſtiterit, etiamſi cætera quæ ſuperſunt dubia oc attingerit quidem, tamen ingentem à populis omnibus merebitur gratiam, qui hunc unum ſaltem certaminum lontem præturbidum exantlaverit.

Invitantur naturaliſtæ ad difficultates has complanendas, ex IPSA RATIONE.

20. Hic Rhodus, hic ſaltate Grotii, Puſſendorffii, Thomaſii, Wolffii, Vitriarii, Bœhmeri, Kemmerichii, Cocceij, cæterique Generis humani Magiſtri! Hic prodeat atque tribunal conſcendat *IPSA RATIO*, * quamprimùm à vobis repertam jactatis; qua deſtitutos ante vos omnes criminari non-dubitatis. Hic Jus Veſtrum Naturæ ac gentium *ſcientifica* atque adeo *Mathematica* (ſi ſuperis placet) *methodo traditum* quid valeat, explorate. Hæc Chriſtianas jam docete gentes, adhuc ab ipſis ignotata, ante vos quidem, veſtrosque libellos: quæ tamen ipſa poſt veſtros etiam libellos non modo non magis callent, ſed muito pluribus anfractibus, retibus, adeoque decipulis involuta, intortaque videntut prudentioribus.

Et ex methodo demonſtrativa, mathematica &c.

Illi vane excuſant refractariam voluntatem populorum.

21. Neque homines tam ſcientifica ac Infallibili methodo utentes excuſat, ſi dicant: Nos quidem *rationem ipſam* docemus: at homines dictis noſtris non obſequuntur; ſicut nec obediunt præceptis Chriſti ac DEI ſummi. Nam hac excuſatione ſi vobis uti integrum putatis, eadem operiri poſſe Catholicos eosque veteres Doctores, ſateri debebatis; qui cum multo ſaniora tutioraque docerent, à vobis tamen inculantur de cotrupto ac prope peſſumdato Moralis doctrinæ, Jurisque naturæ ac gentium ſtudio, quo in convitio cum inſigni & palmari quadam impudentia verſatur *Barbeyracus* In præfatione ad Puſſendorffium. Quamquam non dubito, quin ipſi quoque DD. Proteſtantes honeſtiores id genus pudendos fœtus plare erubeſcant.

22. Neque exiſtimet quisquam, paratragœdiarj me. Votis enim omnibus exoptem, exoriri tandem aliquem, qui hiſce rebus in tam ancipiti loco poſitis *RATIONE IPSA* terminum ſtatuat. Ego enim ſic conſtituo, tot præclaras gentes, tot ſanctos etiam reges non hic peccare iniqua voluntate, & æterna ſibi pericula tam difficili via quærere; ſed in eam ſententiam ptopendeo, perſæpe ac plerumque *ignorare* ipſos vera rerum in altercatiooe poſitarum momenta. Hacque ſum fiduciâ, non defore principes, Imo totas gentes, qui vel jutibus antiquis plane perpetuo decedant, vel præſcriptione valere juſſa rem controverſam ultro dimittere vellent, ſi certa quædam nullique exceptioni obnoxia regula ſaltem de hoc uno *Impotentia* argumento edi à quoquam poſſet. Quæ ſpes tanto ſoret efficacior, ſi cætera quoque dubia per nobilem hanc Juris gentium diſciplinam tolli de medio poſſent.

Demonſtratio hæc omnibus populis eſſet optabilis.

Si ſaltem decerneretur quæ eſſet impotentia vera.

Quod niſi plurimum decipior, arbitrot, hæc, quæ de Præſcriptionis natura hactenus dixi, vel ſola ſufficere ad demonſtandum, *Præſcriptionem non eſſe certi juris:* at quoniam ingreſſi ſemel in hoc theatrum ſumus, lubet, per lectoris benevoli gratiam, ſcenam adhuc alteram alteramque verſare.

Præſcriptio activa non eſt præcepta jure naturæ abſoluto.

Thema II. Præſcriptio activa contra alterum non eſt ptæcepta jure naturæ primo & abſoluto.

1. Nudam enim naturam conſiderando non videtut neceſſaria alienæ rei vindicatio per ſolum fere beneficium temporis, quia jure naturæ primo non datur meum & tuum, nec diviſio rerum, & eodem jure naturæ tempus omnibus commune eſt, plus quam aër; nec uni magis natum, aptum, aut ſavens, quam alteri. Nec bona fides unius eum facit dominum rei alterius ſine alterius accedente facto; cum fides bona ſit bonum commune ac hereditas pretioſa omnium hominum; nulli per ſeſe plus tribuens.

2. Et neſcio, an quisquam præſcribentium hoc ſcuto tueri cauſam ſuam velit.

3. Neque huc pertinet, ſi dicas: ſi hæc res præſcriptione non facta eſt mea (alium

* Vide *Larva Detracta* Cap. X. Them. XV.

(aliurn enim titulum non habeo) debebo fame perire, aut mendicare. Nam ſi hæc tibi neceſſitas incubat, quæ vere *extrema* dici poſſit, rem uſurpare quamcumque aptam potes; idque jure naturæ præceptum eſt, ſatis firmo & invicto titulo acquiſitionis, ſine ullo præſcriptionis colore. Vide *Jus Naturæ* Cap. XXIII. Them. XXII. Hæc porro neceſſitas ſi non adſit, color externus præſcriptionis nunquam ſerviet pro præcepto Juris naturæ.

Præſcriptio non eſt contra jus naturæ hypotheticum.

Thema III. Præſcriptio non eſt impoſſibilis, difformis, ſeu contraria Juri naturæ hypothetico ſeu ſecundo & modificato. Vid. *Larva Detracta* Cap. II. Them. XIV.

1. Nam bona temporalia, poſſeſſiones ac dominia rerum non ſunt ex naturali deſtinatione ita propria uni homini, aut etiam genti, ut non queant amitti: quod patet ex neceſſitate moriendi, & ex ipſa diviſione rerum: per hanc enim cum unus acquiſivit dominium unius rei, amiſit dominium commune in omnes res, quod ante diviſionem habuerat. Itaque juri naturæ non repugnat, ut hominum conſenſu, tanquam facto hypotheſin introducente, ita amittatur uni dominium ut alteri acquiratur.

Præſcriptio gentium eſt Juris poſſibilis.

2. Ex quo conficitur, Præſcriptionem inter gentes eſſe Juris gentium *POSSIBILIS*, quod diximus Cap. I. Them. IX. hoc eſt, poſſibile eſt, ac fortaſſis etiam optabile generi humano, ut præſcriptio fiat jus gentium actuale, ſive ut fiat per conſenſum gentium regula fixa ad decidenda ipſorum dominia.

Neceſſitas non facit præſcriptionem gentium certam.

Thema IV. Præſcriptionem eſſe jure naturæ præceptam non probat hæc ratio; quod nempe illa eſſet neceſſaria ad conſervationem gentium & pacis &c. quæ jure naturæ obligat: cum ſine hac bellis ſubminiſtretur perpetua cauſa & auctoritas recuperatoria.

Quia ſuperſunt alia media.

1. Reſpondeo, fruſtra hoc dici medium ad conſervationem gentium ac pacis *neceſſarium*; quando ſuperſunt alia media multo faciliora ac ſuaviora, quæ omnino neceſſe eſt adhibere ante triſtiſſima bella.

Ut amica compoſitio,

2. Quam ſuave eſſet medium hoc, ut is, qui terram aliquam poſſidet, quæ alieni quondam juris fuit, ut, inquam, loco litigioſiſſimæ ſemper præſcriptionis cum poſtulatore amice ſe jungat, poſſeſſionem atque uſum hujus terræ quietum ſibi ſtipulans, viciſſim vero perpetuam amicitiam, conjunctionem atque mutua auxilia ſpondens, ita ut nunquam contra eum fœdera cogeret, hoſtes ei nunquam quæreret?

ac fidelia.

Vel reſtitutio rei alie.

3. Alterum medium paulo quidem acerbius, longe tamen infra belli calamitates reponendum, eſſet, ſi rex, conſcius ſibi de uſurpatione, eadem uſurpata re ſponte decederet, eamque reſtitueret priori domino. Neminem credo ita barbarum futurum, ut regem alium tam generoſe reſtituentem ſibi, non ſummis in honoribus habeat, ejuſque in amicitia quamplurimum fiduciæ reponens, cum jubeat ultro, terras has quaſcunque porro poſſidere eadem animi magnitudine, eademque fide.

Quæ reſtitutio aliunde præcepta eſt J. Naturæ.

4. Accedit, hæc remedia eſſe non tantum oportuna, ſed jure naturæ plane *præcepta*, quæ à *reſtitutione* neminem excuſat, niſi impotentem. Vid. *Jus Naturæ* Cap. XXII. Them. XX. &c.

Reſtitutio non eſt medium ridiculum.

Thema V. Media hæc reſtitutionis non ſunt ridicula.

1. Equidem video politicos in volam ridentes: Ecce, inquient forte aliqui, novum ſpecimen, quam deliri ſint monachi, cum accedunt ad tria verba faciendum de re politica & de jure naturæ ac gentium. Quam belle igitur cucullatos exſibilavit Puffendorffius cum ſuis, & quam recte pronuntiavit, Jus naturæ ab hoc hominum genere abortivo fuiſſe corruptum!

Nec commentum monachorum.

Retorſio in politicos.

2. Bona verba ô viri! quemadmodum cuculla nihil confert ad ſapientiam, ita capillitium fictum in vertice, & latus clavus in humeris nondum politicum efficiunt. Mittamus iſta; rem ſpectemus. Quare enim hæc ridicula exiſtimes? Nempe quia id pudendum eſſet regi reſtituenti, ejus majoribus ac poſteris; nec deſiderare tam indigna regibus poteſt niſi iners aliquis monachus. Deinde quia non eſt certum, an regnum ſit alienum; in incerto autem melior eſt conditio poſſidentis.

Politici plane ridicula petunt.

3. Verum hæc nihilo magis ridiculam faciunt ſententiam monachorum quam politicorum. Nam ſi à rege aliena poſſidente petere reſtitutionem ridiculum eſt; nonne magis ridiculum eſt, petere à priore rei domino, ut jus ſuum recuperatorium non alia de cauſa abjiciat, quam ut pulchris oculis aliena poſſidentium placeat? An ridiculum eſt, bello repetere rem, quam certo jure tenui, incerto amiſi? non vero ridiculum, bello eodem vindicare rem, quam & incerto jure obtinui & incerto teneo? nam conditio poſſidendi facit quidem rem meliorem & pinquiorem, non tamen jus certius. Et ſicut *poſſeſſor præſens juris novi incerti* per hoc poteſt fructus præſentes carpere, quæ in ejus ſinu velut creſcunt; ita dominus prior tanquam *poſſeſſor juris antiqui certi* poterit fru-

ctus futuros cùm maturuerint, carpere & adjungere iis, quos antea collegerat ex eodem ſuo agro.

Præſcriptio non ſervit ad impediendabella. Sicut eſſet reſtitutio.

4. Denique manifeſtum eſt, *Præſcriptionem* non eſſe medium certius ad vitanda bella, quam reſtitutionem etiam in incertis juribus. Quia ad reſtitutionem faciendam non eſt opus multarum gentium conſenſu, ſed ejus tantum quæ reſtituit, & ejus cui reſtituitur. Contra ut Præſcriptio vim ſortiatur juris, gentes omnes obligantis, opus eſt conſenſu omnium gentium, nempe re difficillima, non quidem impoſſibili, attamen, dum orbis regnabitur, vix obtinenda.

Objectio inanis

retorquetur.

5. *Inquies*: hoc ipſum in quæſtionem adducitur, num detur adhuc jus aliquod recuperatorium prioris dominii? num potius illud expiraverit longinquitate temporis? Nam reſponderi poteſt primo: hoc ipſum eſſe in quæſtione, num detur aliquod jus novi poſſeſſoris excludens veterem Dominum, & præ quo novo jure debeat exſpirare perpetuo jus antiquum?

Status quæſtionis.

6. Reſponderi poteſt ſecundo, nos hic jam non quærere de juris ſeu novi ſeu veteris exiſtentia; ſed quodnam medium ad avertenda bella videatur præſentius, Reſtitutio, complanatioque, an Præſcriptio?

Politicorum conſilium *lacrimabile*, *cruentum*.

7. Denique oro conſiderent Domini Politici an magis *ridicula* ſit honeſta aliqua reſtitutio, amicitia & honoris delatio erga priorem dominum? an magis *deploranda* præſcriptio calamitoſiſſimis etiam armis nullum jus certius effingens. *Ridicula* illa videtur *politicis*; hæc revera *lacrimabilis* eſt *hominibus*; qui non ideo Principibus ſe ſubdidere, ut de eorum corio cruoreque luderetur ob politicorum ſumos ac ventos; ſed ut pace & amicitia interna exteraque, quantum res ferunt humanæ, perfruerentur.

Præſcriptio dicitur eſſe Juris Gentium, in Corpore Juris Rom.

Thema VI. Præſcriptio inter gentes non eſt ideo juris gentium certi, quod in Jure Romano dicatur, Præſcriptionem eſſe ſumptam ex Jure gentium.

Quo ſenſu?

1. Nam Jus Romanum loquitur de illa ſola præſcriptione, cujus regulæ ac vis traduntur in ipſo Jure Romano: Jus autem Romanum neque vult neque poteſt regulas alterius præſcriptionis tradere, quam illius, quæ cives aut ſubditos Romanos ligaret; non vero tradidit regulas præſcriptioni, quæ valeret inter gentem ac gentem liberam.

2. Cum autem Jus Romanum dicit, hanc ſuam civilem præſcriptionem ſumptam eſſe ex Jure Gentium. *Jus gentium* hic intelligitur jus civile variis gentibus uſitatum, ut Germanis, Perſis &c. Vid. Cap. I. Them. I. num. 2.

Thema VII. Præſcriptio eſt certi Juris civilis.

Præſcriptio eſt Juris *Civilis*.

Et hic quoque iniqui aliquid habet:

1. Equidem poſſem permultas Doctorum ac judiciorum ſententias proferre, quibus declaratur, Præſcriptionem etiam civilem eſſe injuſtam, patronam iniquorum poſſeſſorum, qui aliorum ſpoliis ſolo temporis præſidio ſæpe freti volunt ditari.

Quod excuſatur *dura neceſſitate*.

2. Nihilominus dura ſæpe neceſſitas ſuaſit populis, ut *in privatos* admitteretur præſcriptio, ne lites civiles perpetuæ eſſent; quorum perpetuitatem reſcindere poteſt ac debet reſpublica aut Princeps, hoc ipſo, quod ſit judex ſummus omnium privatorum. Quæ ſumma poteſtas ſeſe extendit in bona ac fortunas privatorum *aliquando* particulariter transferendas, cùm publica neceſſitas illud exigit: cum in hoc ipſum cives ſinguli conſtituentes civitatem *conſenſiſſe* cenſeantur.

Fondamentum illius.

Non quadrat ad Jus gentium.

3. Hæc de Civili præſcriptione, quæ in præſcriptione gentium locum nullum habere poſſunt, ubi nullus judex ſummus, conſequenter etiam nullus præſumptus conſenſus, nullum alterius in alterum jus.

Exempla Gentium Præſcriptionem allegantium.

Thema. VIII. Præſcriptio non eſt ideo certi juris gentium; quia de valde multis gentibus adduci poſſunt exempla, quæ præſcriptione ſeſe tutatæ ſunt.

1. Exempla permulta cumulat Petrus PUTEANUS, ſive Pierre Dupuys *Des droits du Roy de France ſur diverſes &c.* pag. 218. &c. Ex hoc numero tria duntaxat referam. Rex Ammonitarum repetiit à Jephte ſibi reſtitui terras inter Arnon & Jabok fluvios, ablatas per populum Iſraël. Repoſuit Jephte, DEUM Ammonitas expuliſſe à facie populi Iſraël: Deinde populum *trecentis* jam annis poſſidere terram &c. Equidem rex non acquievit, ſed arma ſumpſit; DEUS tamen conſervavit populum in poſſeſſione, & viſus eſt adeo præſcriptionem adprobaſſe.

Iſraëlitarum.

Romanorum.

2. Aliud exemplum: Antiochus volebat ſubigere Smirnam & Lampſacum, eo quod majores ſui his civitatibus olim tributum imperaverint. Sulpitius legatus Romanorum declaravit, hanc regis petitionem eſſe injuſtam; eo quod Lampſaceni à *tot jam ſeculis* ſint in poſſeſſione libertatis. Addebat legatus, ſi hoc jus valeret, Macedoniæ reges etiam repetituros Corinthum, Chalcidem, Theſſaliam, quam Romani à ſervitute Macedonum liberaverint.

3. Sapor

Græcorum.

3. Sapor Perſarum rex à Conſtantio Imp. repetiit Meſopotamiam, quæ majorum ſuorum fuiſſet. Conſtantius riſit hanc poſtulationem; nec reſpondit, niſi, Non ſe metuere Saporem.

Non probent Præſcriptionem gentium, cum totidem contradixerint.

4. Ad hæc reſpondet Puteanus. Hæc aliaque exempla non magis probant, Præſcriptionem à gentibus admitti, quam eandem ab iiſdem negari. Semper enim in his exemplis unam partem ſtare pro præſcriptione, alteram ſtare contra. Ut adeo vota gentium ſint paria, & nihil decium.

Præſcriptionem *pro ſe* allegantes *judicium corruptum* faciunt. Cur enim non etiam *pro aliis* admittunt?

5. Quin imo videtur judicium eorum, qui præſcriptionem *pro ſe* allegant, eſſe corruptum, & à juſtitia alienum. Juſtitia enim inter liberos debet eſſe æqualis, & *quod quis juris in alium ſtatuit, eodem & ipſe utatur, neceſſe eſt.* Jam vero Judicium patronorum Præſcriptionis videtur ab hac regula multum deflectere. Nam omnes tantum hoc volunt, ut *pro ſe* valeat præſcriptio, *pro aliis* non. Quod iniquum eſt, cum ii, qui jure naturæ vivunt ut liberi, non poſſint oſtendere fundamentum ullum in rerum natura, cur aliorum deterior, aliorum melior debeat eſſe conditio in rebus his communibus?

Exemplum.

6. Exempli: cauſa Coringius Germanus negat Gallos poſſe præſcribere, contra affirmat, Germanos reipſa præſcripſiſſe. Idque porro cæteri omnes faciunt.

7. Quodſi omnes populi ſimpliciter ſentirent, *præſcribi poſſe* inter gentes; certum haberemus jus Gentium, & quidem univerſale ſaltem in hoc puncto.

8. Nunc autem nihil fere certi in his eſt, quia omnes populi dicunt, poſſe præſcribi; & rurſus omnes populi dicunt, non poſſe præſcribi.

Objectio lubrica.

9. Dices: hoc ipſo rem eſſe definitam conſenſu gentium: nempe, poſſe præſcribi *pro*, ſed non *contra*? Reſpondeo, hoc eſſe vaniſſimum; quia nemo poteſt efficere, cui illud *pro* & cui illud *contra* applicari debeat? & quia ſingulæ gentes utrumque petent, pro ſe præſcribi, contra ſe ſive pro alio non præſcribi. Nam hoc ipſum quod *contra me* eſt, eſt *pro alio*. Si ergo Præſcriptio omnis, cui poteſt opponi nota hæc *PRO*, juſta eſt, juſta erit & illa, quæ eſt *pro adverſario* meo, tanquam habens notam *Pro*.

Reducitur ad contradictoria.

10. Si dices ſolam valere præſcriptionem *pro me*; non autem illam *pro alio*: rurſus nihil efficitur. Nam ſic omnis præſcriptio erit *pro me*, & eadem omnis præſcriptio erit *pro alio*; adeoque omnis præſcriptio eſſet ſimul juſta & ſimul injuſta, Eandem enim præſcriptionem, quam prætendit Germanus contra Galliam, dicit, eſſe præſcriptionem *pro me & juſtam*: Eandem vero Gallus dicit præſcriptionem *pro alio, & injuſtam.* Sed pudet logomachiis, utut non de lana caprina, texendis diutius immorari; quia nulla ſupereſt ſpes, ex incertis eliciendi certum.

Præſcriptionis incertitudo Rationibus oſtenditur.

Thema IX. Præſcriptionem non eſſe certi juris, variis rationibus oſtendi poteſt.

1. Miſſis cæteris producam quaſdam ex *Puteano*, ad cujus opus in reliquo hoc argumento lectorem remitto. Quanquam ille pro Gallis fere pugnet, ejus tamen arma omnibus populis apta ſunt; cum nullum naturæ nullum gentium jus Gallis in hoc aliquid plus juſtitiæ adſcribat, quam cuivis alteri genti: Uſucapio, ait, eſt ſpecies *pœnæ* negligentibus irrogatæ; quæ non cadit in principes. Neque ii ſunt negligentes: Illis enim non ſupereſt judex aut medium præterquam Bellum. Bellum autem non poſſunt omni tempore ſuſcipere.

Tempus non patrocinatur &c.

2. Tempus habere aliquam vim conferendi juris, nullo modo oſtendi poteſt; niſi quod, juxta commune axioma, *prior tempore prior ſit jure*: quod axioma præſcriptioni plurimum obeſt; quia per hoc antiquiori domino *prioritas Juris* conceditur contra juniorem.

Sed nocet juſtitiæ præſcriptionis.

3. Imo quo longiore tempore alius poſſidet rem meam, eo fortius fit mihi jus ad repetendam rem meam; cum eo magis condemnetur actio detentoris.

Diſcrimen regum & privatorum. Hi judicem habent:

4. Certum eſt, inquit Puteanus, inter reges poſſeſſionem facti nunquam tranſire in poſſeſſionem juris, in iis, quæ unus ab altero detinet. Et in hoc proprie reges differunt ab aliis hominibus. Ratio diſparitatis eſt, quod aliis hominibus ſit judex, & leges, & juſtitia contra violentiam. Jam ab hac juſtitia detentores ſunt condemnati ad reſtitutionem. Ad exſequendam autem hanc juſtitiæ ſententiam conſtituti ſunt reges, qui uſurpatores alienorum coguntad reſtituendum. Privati quidem, quia facile poſſunt ad judicem

recur-

Non vero negat.

recurrere, ſi id præſcripto tempore non fecerint, præſumitur eos non ſatis confiſos eſſe juri ſuo, & contra ipſos admittitur præſcriptio. Regibus iſta non poſſunt applicari: quia ex novi etiam doctoris ſententia ſummi imperantes adverſus actus metu extortos, & multo magis fraude, ſeipſos in integrum reſtituere valent. *Emmanuël AMOR* de Soria Patronus Fiſci regii in Ducatu Parmenſi, in tractatu de Bonorum finito bello reſtitutione ex capite amneſtiæ edito Viennæ Auſtr. 1738. in 4. pag. 284.

Ergo ex ratione communi & naturali, qua *poſſeſſio alterius illi, qui non habet facultatem intentandi ſuam actionem* ſeu ad judicem deſcrendi; regibus nulla obeſt aliorum poſſeſſio; cum reges non poſſint ad judicem recurrere. *Dices*: Ergo arripiant arma! reſpondet Puteanus: Omnino id fieri poſſe debere, ſed ſuo tempore, cum ſpes eſt vincendi, ſive exſequendi ſententiam à juſtitia ipſa latam in detentores rei alienæ. Si rex malo conſilio inſtruatur: ſi non bene de jure ſuo informatur: ſi eſt debilis: ſi occupatus bello civili aut extero: ſi miniſter aliquis regni ſummus connivet, aut corruptus eſt à detentore: ſi regnum eſt exhauſtum ære, populo, armis, nullumque eſt medium utendi bello adverſus principem, qui detinet unum membrum principale ſuæ coronæ; non poteſt dici, quod tempus inter iſtas impoſſibilitates currens noceat huic, qui juſtitiam pro ſe habet, proſit vero illi, qui eſt in mala fide & uſurpator.

Objectio. Arripiant arma! Admittitur; ſed ſuo tempore. Impedimenta regum.

Doctorum ſententia præſcribi non poteſt ſummum imperium.

Thema X. Præſcriptioni locum non eſſe contra imperium ſummum, ſententia eſt Doctorum Germanorum, Italorum, Hiſpanorum.

Carpzovii.

1. Puteanus tres adducit: *CARPZOVIUM* de Capitulatione Cæſarea Cap. 7. qui ait: Imperatorem per promiſſum Capitulationis de terris ab Imperio avulſis reducendis, obſtrictum eſſe ad eas reducendas *ſine reſtrictione ad tempus ullum.* Rationem reddit hanc: *Rem bello repetere meræ facultatis eſt, cui nulla præſcriptio opponi poteſt. Et quæ vanitas, præſcriptionem pro Imperii ſalute inventam Imperii hoſtibus in peſtem Imperii ſubſternere?*

Obrechti.

2. *OBRECHTUS* in tractatu de Regalibus ejusdem ſententiæ eſt apud Puteanum, præcipue ubi agitur de ſupremo jure amittendo. *Semper vero*, inquit, *ſuprema Imperatoris jurisdictio penes Imperatorem manet, nec ullo tempore acquiri poteſt. Non enim (ut interpretum verbis utamur) eſt in marſupio Imperatoris, ſed inter ſancta ſanctorum refertur.* Longeque ante hos *ALCIATUS* ad L. 5. de Juſt. deſendit, contra Imperium præſcribi non poſſe. *Alciati.*

3. *WINDEKIUS* profeſſor olim Theologiæ Friburgi in Briſgovia in Tractatibus de Electoribus Imperii contendit, Principes & civitates Italiæ non potuiſſe ſe eximere à jurisdictione omni Cæſaris, dicens: *Jactent ut volunt ſuas PRÆSCRIPTIONES JURISDICTIONUM, certum tamen eſt, ea, quæ ſunt Juris Imperii, cum ejus jactura alienari vel in privatos uſus transferri ac præſcribi non poſſe &c.* *Windekii.*

4. Addo his præcipue Baronem *SCHENK* in Interpretatione librorum feudalium Titulo XIV. pag. 30. &c. ſeſe extendentem, nec piget aliqua exſcribere eorum, quæ ille docet de Imperatoris adhuc extante dominio in totum mundum, & omnes gentes quæ olim Romanis ſubjectæ fuere. „ Ignorandum non eſt, inquit Baro, hoc „ quod defendit *PANORMITANUS* „ in Cap. Cum non liceat mihi. C. „ de Præſcript. Videlicet, Contra Romanum Imperium nullum principem, „ nullamque rempublicam poſſe præſcribere, ut ab illa jurisdictione univerſali * eximatur, aut in ſuo territorio ſit loco Imperatoris, nullum „ recognoſcendo ſuperiorem. Per text. „ in dicto cap. Cum non lic. *Baronis Schenkii.* *Panormitani.*

„ 5. Cujus opinionis ante eum fuit „ eximius ille *HOSTIENSIS* in Cap. „ Venerabilem. §. Videbatur. Super „ verb. Recognoſcat. Quia filii ſunt „ Legitimi? Dum ait: Caute locutum „ Pontificem de Rege Franciæ, narrantem, quod Imperatorem non recognoſcat, & ſic *factum* notavit. „ Non enim dixit, quod recognoſcere „ non *debeat*. Nam de jure procul dubio, inquit, eum recognoſcere debet cit. d. c. in apibus 7. qu. 1. & „ de c. Adrianus. *Oſtienſis.*

„ 6. Et adeo quidem, pergit Baro „ noſter, Imperio ſubjecti eſſe debent „ omnes, ut ne ipſe quidem Imperator po-

* i. e. Vi cujus totus mundus Imperatori ſubditus eſt.

„ poſſit alicui concedere privilegium
„ omnimodæ exemptionis ; quia hoc
„ eſſet lacerare imperium , &
„ abdicare à ſe jurisdictionem quod
„ non eſt poſſibile. arg. le : Legatus
„ ff. de offic. Præſid. Et hoc tenet
Baldi. „ *BALDUS* in Procemio ſuper Lib.
„ Feudot. „ Citatque paſſim multos
auctores.

7. Rurſus Schenkius pergit : „ Ro-
„ manorum ſiquidem Imperator om-
„ nium regum , principum omnium
„ rex & princeps eſt ſummus, cujus
„ imperio totus ubique terrarum orbis
„ parere debet. Ipſe enim eſt mundi
„ dominus l. deprecatio ff. ad leg.
„ Rhod. de Jactu. Ipſe præcepit om-
„ nibus provinciis in univerſa ditione,
„ & quæ aſcendentem videt, & quæ
„ deſcendentem ſolem , & quæ ex utro-
„ que latere eſt, ſcilicet in meridie &
„ ſeptentrione. Authent. Ut omnes
„ obed. judicib. provinciar. §. hæc
„ conſiderantes. Collat. V. Ipſius le-
„ gem agnoſcere debent omnes terræ,
„ omneſque inſulæ orientis totiusque
„ occidentis, quæ usque ad ipſos ocea-
„ ni receſſus extenduntur. Authent.
„ Ut Eccl. Rom. 100. annot. gaud.
„ præſcript. §. fin. „ Et cætera in-
numera, quæ prolixe affundit Schen-
kius Baro ex ſanctis Patribus, Jure
Canonico &c. Ut prope ſit res fide di-
vina credenda. Et memini me legere
veterem quemdam , qui ſine hæſitatio-
ne decrevit, dicere , Imperatorem non
eſſe dominum totius orbis terrarum ,
eſſe *HÆRESIN.*

8. Equidem ſibi objicit Schenkius
num. 7. varia ex jure Romano : &
quod Imperator habeat *fæderatos , ho-
ſtes &c.* ſicque non omnes videantur
ſubjici Imperatori. l- non dubito. & l.
hoſtes ff. de Capti. & poſtli rever. Tum
ſubdit : *Unica hæc diluuntur reſponſio-
ne ; videlicet , TEMERITATE QUA-
DAM FACTI gentes nonnullas ditio-
nem Imperatoris non agnoviſſe , ſicut
& HODIE NONNULLI agnoſcere
recuſant. DE JURE TAMEN DU-
BIO PROCUL agnoſcere debere , ſe-*
Jaſonis. *cundum JASONEM in l. Cunctos po-*
Gloſſa. *pulos. l. de S. Trin. & Fid. per Gloſ-
ſam in verbo , minime recognoſcat. in
Cap. Venerabilem. Qui filii ſunt le-
giti.*

9. Nihil hic referam ex *REINKIN-
GIO , MULTZIO* & aliis recentioribus ;
ſed *GAILIUM* tantum producam au-

ctorem Germaniæ fere pragmaticum, Gailii.
& Judicii Imperialis Cameræ quaſi al-
teram regulam. Is De Pace Publica
Lib. I. Cap. XI. n. 4. ſcribit : „ Impe-
„ rator ratione iſtius univerſalis juris-
„ dictionis & protectionis Imperii, do-
„ minus omnium eſt, adeoque totius
„ mundi, ut doctores loquuntur per
„ text. in lege Deprecatio ff. ad leg.
„ Rhod. de Jactu. l. bene à Zenone.
„ C. de quadrien. præſcrip. Glos.
„ ibid in verb : Omnia. Doctores ſi-
„ militer text. in cap. Adrianus Diſt.
„ 63. & c. quo jure, Diſt. 80. gloſ. in
„ l. Barbarius, in verb: Multo magis
„ ff. de officio Prætor. *BARTOLUS* Bartoli.
„ in l. Si duas §. 1. n. 2. ff. de excuſat.
„ Tut. &c. &c. *JASON* in l. cun-
„ ctos populos n. 2. & 8. cum ſeq. Cod.
„ de ſum. Trin. & fide ubi *communem*
„ aſſerit, quod Imperator etiam *vere
„ dominus ſit univerſalis totius mundi* ,
„ licet res privatæ ſint ſingulorum.

10. Idem *GAILIUS* Practicarum
obſervationum Lib. I. Obſervat. XXI.
num. 16. ſic habet : „ De jure com-
„ muni in rebus concernentibus ſta-
„ tum Imperii , vel ſuperioritatem ,
„ aut tributorum exactionem , non
„ currit præſcriptio. l. comperit. Cod
„ de Præſcrip. 30. vel 40. an. Cap.
„ cum liceat X. de præſcript &c. &c.

11. Hic jam velut ex profundo ſomno
expergiſci mihi videor. Aut ludunt iſti
ſcriptores , aut ſerio rem agunt ? Si
ludunt , non tergiverſabimur , quo
minus & alii nos ludant. Si ſerio agunt,
quis jam Præſcriptionem eſſe certi juris
gentium dicat ?

12. *CHIFLETIUS* medicus do- Chifletii.
ctiſſimus in *vindiciarum Hiſpaniæ* De-
dicatione, ſcripta quædam gallica
de jure regis Galliæ in provinci-
as &c. appellat : *Armorum præ-
nuntia , & atrociſſimorum bellorum
fundamenta.* Nec male id ominatur
Chifletius : ſcripta enim illa docent
jus recuperatorium Galliæ contra præ-
ſcriptionem : ſemper autem jus debet
eſſe *fundamentum* belli contra reſtitue-
re detrectantes : & quidem, ſi eſt jus
recuperatorium, non poteſt eſſe no-
vum , ſed debet eſſe antiquum.

13. Quidquid autem ſit de Gallico
jure, eandem ominationem Chiflo-
tius potuiſſet inſcribere Bartolo, &
omnibus ſupra citatis , qui diu ante
Gallos *Armorum prænuntia, & atro-
ciſſimorum bellorum fundamenta eadem*

jeceruut, neſcio an firmiora, an juſtiora, an innocentiora: alii hæc, ſi lubet & fas eſt, judicent.

Conringii.

14. Collegam tantum Chiffletio demus Hermannum *CONRINGIUM* medicum & ipſum Chiffletio non indoctiorem. Is jam ante famoſum noſtris *Auberium* & ante *Puteanum* jura recuperatoria deſcribentem, aſſeruit jura recuperatoria Germanici Imperii: & iisdem fere fundamentis niti vult: ut adeo Galli à noſtris tantum didiciſſe videantur, quod & eorum legatus apud Carolum VI. Imp. profeſſus eſt Legat, cui vacat, Conringii libros *De Finibus Imperii.* Ego, qui nec Imperii nec Galliæ nec Italiæ jura aut præſcriptiones tueor, nihil jam ex Conringio adſcribam, quam quod Themati præſenti conveniat, nempe *Præſcriptionem ex doctorum ſententia non eſſe certi juris gentium.*

Clariſſimorum virorum

15. Conringius ergo Lib. II. Cap. I. §. 2. de Finib. Imp. ait: *Enimvero non multis in locis limitum priſcorum poſſeſione excidiſſe Imperium, id quidem vacat controverſia: ſed num haud ſuperſint recuperandi jura, adeoque an non liceat jure illa vindicare rurſum, merito dubites.* Et deinde Clariſſimorum virorum adverſas ſententias rem, ait, ancipitem facere.

Etiam ſi diplomata Imperatorum afferantur.

16. Quin eodem Lib. II. Cap. XX. docet: Tametſi de Italiæ parte Romano Pontifici à Rudolpho I. rege ceſſa aut donata producantur diplumata non regis modo ſed & omnium Electorum, nihil tamen eſſe præſcriptum Pontifici, nihil abdicatum, ſupereſſe jura recuperatoria: 1mo Quia diplomata falſi arguit, tametſi ab aliis agnoſcantur. 2. Quia cæteri principes omnes non conſenſerunt, vel ſaltem id probari nequit. 3. Quia Aventinus & alii recentiores non agnoſcunt plenam abdicationem. 4. Quia Papa nimium importunus in exigendo fuit. 5. Quia Rudolphus recogitans, quam male antcrioribus Cæſaribus repetitio Italiæ ceſſiſſet, maluit abſtinere. „Illa certe, pergit, anteacti temporis
„ memoria non potuit non terrere in
„ futurum: ut tranquillitatis publicæ
„ interfuerit, jacturam facere eorum,
„ quæ ſervari non poterant contra
„ vim Papalem, niſi cum ſummo rei-
„ publicæ periculo. Utut ſit, nec do-
„ natio illa vim habet, utpote quæ ab
„ Imperii Principibus non eſt confir-
„ mata.

Rationes horum pro una parte adductæ, ferviunt æque adverſariis.

17. Ut cætera Conringii variis in locis omittam, nemo non videt, noſtros talibus armis à ſe inventis pugnare, quæ ſi alii in manus ſumant, illos dicimus iniquos, perfidos. Cum tamen revera ambidextra ſint hæc arma, ita ut nominibus tantum aliis ſubſtitutis videantur idem efficere contra nos, quod per eadem volebamus nobis lucrari contra alios. Nam ſi Galli v. g. argumentis Conringii uti vellent contra Pontificem, aut Imperatorem, nulla alia re foret opus, quam Gallorum aut Caroli Magni vel Pipini nomen ſubſtituere. Dicent enim iisdem verbis: Etiamſi producantur Diplomata Pipini & Caroli, quibus Pontifici donavit Italiæ partem, nihil tamen eſt præſcriptum, nihil donatum; quia primo literæ ſuſpectæ redduntur falſi. 2do non omnes Principes Francorum, qui paulo ante Pipinum regem novum fecerant, conſenſerunt &c. Sic & Carolus ſimplex reſpondebit: Etiamſi producatur per Germanos ſcripta abdicatio regni Germanici, aut Lotharici Henrico aucupi facta, nihil abdicatum eſſe; quia Henricus fuit nimium importunus in petendo, quia publicæ tranquillitatis intererat, ut Carolus ſimplex jacturam faceret eorum, quæ ſervari non poterant contra vim Germanicam &c.

Aliorum doctorum ſententia rejicitur præſcriptio.

Hertii.

18. Quoniam vero promiſimus pleniorem hujus capitis pertractationem, neque à quibusdam aliis adhuc recenſendi ſuperſedebimus. Nic, *HERTIUS* celeber apud Cattos Juris Doctor *Reſponſorum Juris* Tomo I. Reſponſ. DXCIX. edita Francofurti anno 1729. num. 25. &c. tuetur Jus recuperatorium Landgraviorum Haſſiæ in Ducatum Brabantiæ, quamvis jam an. 1355. alii ſubingreſſi fuerint. Nec illud jus præſcriptione quadringentorum annorum potuiſſe auferri, idque ex his fere momentis. *1mo.* Ob potentiam Caroli IV. Imp. ejusque duorum filiorum ſucceſſorum Wenceslai & Sigismundi: non quod Catti contra hos Imperatores agere debuiſſent ut adverſarios; ſed quia hi Imperatores aliquo modo affinitatem contraxerant cum adverſariis domus Cattiacæ. Nam Joanna Joannis III. Brabantiæ Ducis filia uſurpabat hereditatem Ducatus contra Cattos. Ea Joanna maritum habebat Wilhelmum Ducem Lucelburgenſem: atque hujus Wilhelmi frater erat Carolus IV. *2do.* Ob potentiam Domus Burgundicæ. Nam ejusdem Joannæ defunctæ ſoror Margareta filiam ſuam

In exemplo practico.

nuptui

nuptui dedit Philippo Audaci Burgundiæ Duci, qui Brabantiam occupavit. Cum eo certari non poterat, quia ab Imperio ſeipſum diviſit, Imperii judicia contempſit, tam erat potens & formidandus Imperio, quidni etiam Cattis? *3tio.* Ob potentiam Auſtriacorum, qui in Burgundorum locum venerant. Hic plane nihil, inquit, erat cogitandum: nimia eſt enim inæqualitas virium. *4to.* Quia Jure ſuo nunquam ceſſere Catti *per expreſſum ſuper ea re pactum.*

19. His denique jungatur doctor Hiſpanus Ferdinandus *VASQUIUS* qui ſcripſit controverſias illuſtres; quæ maximam partem ad Jus gentium & naturæ ſpectant. Et ille quidem Lib. I. Cap. XX. refert, quomodo Itali Germanique plurimi contendant, Imperatorem eſſe Dominum totius mundi. Hos Quidem longiſſima diſputatione repellit Hiſpanus, qui videri poteſt. Et quamvis Gloſſa in Cap. *Adrianus*, & Alphonſus *GUERNERIUS* dicant, Omues reges teneri ad tributum Imperatori exſolvendum, etiam *pro capite ſuo, niſi probent* ſe eſſe exemptos. Lib. I. C. XXII. n. 17. Nihilominus tamen Vasquius Idem non dubitat eodem Lib. I. Cap. XLV. n. 4. de ſententia Imperatorem Dominum totius mundi conſtituente, hæc pauca tantum reſpondere: *Res ſane riſu & ludibrio, quam longa contentione dignior.* Hoc ſaltem unum paulo magis ſerio agit, ut Lib. I. Cap. XXII.. n. 11. probet ex auctoritate, *Regem Hiſpaniæ* non eſſe ſub Imperatoris poteſtate. Idque ex ipſa Gloſſa in Cap. Adrianus & Bald. in l. Ex hoc jure ff. de J. & J. — *Vasquii.*

20. Idem *VASQUIUS* Lib. II. cap. LI. §. 16. aſſerit quidem ſic: „ Probatio dominii terræ eſſet pene impoſſibilis, ſi removerimus præſcriptionem; niſi quis oſtenderet teſtamentum primi parentis Adami, quo quodpiam forte prædium aut prædia ſibi relicta fuiſſe appareret. Aliter enim, etſi probet ſe emiſſe, parum juvat; cum per hoc non appareat, an venditor dominus fuiſſet; nec potuerit vendens plus juris in emptorem transferre, quam ipſe haberet. „ Verum eodem loco Vasquius non loquitur niſi de Civilibus. Nam mox §. 23. pergit: *OMNES OMNINO admittunt, mero jure civili receptam præſcriptionem;* Et magnam doctorum vim allegat, uſque ad §. 28. atque ſic denique concludit: *Sicque ſi inter reges, aut populos liberos, qui non recognoſcerent ſuperiorem, in temporalibus lis eſſet, ceſſaret materia præſcriptionum, non ſecus quam ſi revera ſcripta aut inventa nunquam fuiſſet; quia jus civile unius principis aut populi liberi alterum principem aut populum liberum non tenet, ſed jus tantum naturale & gentium inter eos ſervandum eſt.*

21. Animus erat *REINKINGIUM* hoc loco diſſimulare de Regimine ſeculari S. R. Imp. Eum tamen omittere jam nolim, tanquam acerrime adverſantem præſcriptioni. Itaque Lib. I. Claſſ. II. Cap. IX. per plura folia enumerat Aſiam, Africam, Europam, quæ præter jus à dictione Romani Imperatoris ſe ſubduxerint, cum nube auctorum allegatorum. Præmittit autem, *DE JURE IMPOSSIBILEM* eſſe talem exemptionem, quamvis defacto uſurpetur. „ Suprema namque „ jurisdictio eſt ipſa forma & ſubſtantialis eſſentia Majeſtatis ſummæ (a) „ Quæ tam inſeparabilis eſt à „ majeſtate quam eſſentia rei à ſe „ ipſa. (b). Neque juſtum eſt, membra „ à ſuo capite &c. Et qui id molitur, „ contra Evangelicam doctrinam, non „ dat Cæſari quæ ſunt Cæſari. „. Deinde Num. 30. doctrinam applicat ad *Galliam* ita deſacto avulſam & Imperio *rebellem*, deducens hujus poſtulati manifeſtationem à tempore Sigismundi Imp. 1411., & maxime Caroli V. qui literis ad Pontificem datis de Franciſco I. rege conqueſtus ſit. „ Illius majores occupaſſe *provinciam* „ *Galliam, quæ ſit ditionis Imperii,* „ teſte ſleidano Lib. 14. circ. fin. — *Reinkingii.* — Qui Galliam rebellem propterea dicit.

Tandem de reliquo mundo, & ſigillatim de *Gallia* adſeverat, *tales exemptos nullo juris prætextu ſe tueri poſſe.* citans *ZOSIUM, COVARRUVIAM, TREUKERUM, GAILIUM.* Cum tam divini quam humani juris auctoritas ei reſiſtat. Refutat Beſoldum, & adducit Petrum de *ANDL.* de Imp. Rom. Lib. 2. c. 8. ubi Franciæ, Anglia — Zoſii, Covarruvia Treukeri.

(a) Covarr. pp. qq. c. 4. n. 1.
(b) Carol. Mulin. ad Conſultud. Paris. Tit. I. §. 2. Gloſ. 4. n. 17.

gl'æ & alios reges hanc ſubjectionem detrectantes *peccare* aſſerit per Cap. Qui reſiſtit XI. Qu. III. Denique Num. 140. ait: Ad tuendam exemptionem non ſatis eſt allegare titulum præſcriptionis; quia ex *veriori* Doctorum ſententia *Obedientia & ſuperioritas IN ÆTERNUM non eſt præſcriptibilis*, juxta Canones, Leges, & *Baldum*, *Balbum*, *Cravettam*, *Chaſſanæum*, *Antonium Fabrum*, *Cardinalem Tuſchum*, *Carolum Molin*: *Roſenthal*, *Mindanum*, *Azorium*, *ſixtinum*, *Zoſium*, *Cavallum*, *Gyllmannum &c.*

Cravetta Card. Tuſcht Roſenthal &c. &c.

Ludevvigii

22. Petr. *LUDEWIG* loquens de civitatibus immediatis ad dominium Imperatoris reducendis. Diſſertat de Diſpari nexu civitatum cum S. R. I. Cap. VI. §. 27. ſic habet: „ Verum „ in tot ſeculorum lapſu adverſus re„cuperatoria judicia ſufficere dicent „ JCti *Præſcriptionem*. Ego vero cau„ſas non video, quare ad hæc tela „ Imperium extimeſcat. Præſcriptio „ enim in cauſis rerum hominumque „ privatorum merito locum habet: „ ne cives inertia peccent, deſidia „ pleni: ne lites ſint multiplices & „ difficiles &c. Verum ſingula fere „ hæc momenta ita ſe habent, ut cum „ aliis publici juris argumentis, tum „ noſtro maxime prorſus ſint incon„cinna. Quis enim pœnam irroga„bit reipublicæ? Qui ob Cæſarum de„ſidiam multabitur Imperium? Quas „ tenebras finget pars adverſa, ubi lo„quuntur annales, privilegia, Impe„rialis tabularii plenæ fidei Inſtrumen„ta? Denique quis animum derelin„quendi affinget Imperio in tanta rerum „ Imperialium paupertate, inque rebus „ ac juribus in Germaniæ meditullio? Et §. 29, dicit: „ Neque eſt, quod „ præſcriptionem immemorialem, *anile* „ *illud terriculamentum*, recuperato„riis judiciis opponamus. Quam immemorialem præſcriptionem late oſtendit ab ipſis Romanis ſtatutam fuiſſe tantum in rebus nauci ac minimi, ubi non erat operæ pretium tempus probare ac definire. Id quod multis legibus prolatis confirmat.

Qui etiam Tranſactionem rejicit.

23. Rurſus idem *LUDEWIG* in Diſſertat: de *Jure retractandi tranſactionem novis inſtrumentis repertis*: Cap. II. §. 3. imprimis ponit aliquam *formulam generaliſſimam* alicujus tranſactionis, excludentis omnia jura, etiam incognita, latentia, aut quæ poſtea reperiri aut excogitari queant, nullo prorſus excepto. Tum quærit, an ſaltem talis aliqua formula ſatis ſit ad tranſactionem, omnibus numeris abſolutam, generalem & quocumque caſu valituram? Reſpondet autem: „ Haudquaquam exiſtimo. Non enim „ ſtricti juris interpretatio, quæ in om„ni transactione adhiberi debet, pa„titur, ut *extra materiam*, de qua „ litigatur, *poſſit formula recitata* „ extendi. Caſu quodam (ita pergit) „ iterum hæc explicabimus. Sit, Ger„manicum Imperium *centies* cum Gal„liæ rege de *Lotharingia*, de Alſatia, „ de regionibus ac controverſiis aliis „ utrIuſque formulæ præſcriptæ verbis „ tranſegiſſe: an regni *Arelatenſis* „ cauſa hoc ipſo perdita erit tranſacta„que? Nec quicquam.

Thema XI. Nihil pro præſcriptione lucratur D. Kippingii interrogatio: *Et quis hoc*, inquit ille, *conſtituit jus, ut cuique integrum ſit, ex omni ævo illud ſibi tempus, quod ſibi maxime favet, ſumere, & in ſuas referre rationes*?

D. Kippingius propugnator Præſcriptionis.

1. Ita Kippingius in tractatu ſupra citato de abuſu hiſtoriæ in jure publico. Cap. IV. §. XXX. Per hoc autem efficere vult, ut novi poſſeſſores firmum jus habeant, neque aliis liceat antiquam ſuam poſſeſſionem repetere; atque adeo vult, novos præſcriptione gaudere.

2. Verum hæc interrogatio ſeſe ipſam interimit. Kippingius illam propoſuit veteri domino. Nos proponemus eandem novo: Quis hoc conſtituit jus, ut tibi liceat ex omni ævo tempus maxime novum ſumere, & in tuas rationes convertere?

Contra ſe ipſum.

3. Quid quod nonnemo dicat, non eſſe ſignum bonæ conſcientiæ, ſiquis reſpuat cauſam ſuam expendi ad momenta antiqua, & ſemper novum tantum ſtatum prætexat. Omnes enim qui alios ſpoliarunt, aut aliena detinent, malunt ex præſenti ſtatu decerni. Contrà omnes ſpoliati malunt ex præterito. Quæro uter horum generatim poteſt juſtior videri, ſpolians aut ſpolia poſſidens? an potius ſpoliatus?

Novitas malæ conſcientiæ ſignum.

4. Præterea non leve etiam alias diſcrimen apparet inter jus antiquum & jus recens, & antiquum quidem longe videtur efficacius quam novum. Veteres enim Domini jus ſuum antiquum ſatis validum exiſtimant, neque

Jus antiquum communi ſenſu honeſtius.

ei

ei valoris quidquam accedere arbitrantur ex novitate; quam adeo neutiquam affectant. Contra novi poſſeſſores, conſcii de infirmitate novi juris, omnes ambiunt & ſollicite affectant antiquitatem quantamcunque corrodete undique poſſunt, quod eſt manifeſtum ſignum, univerſalem eſſe ſenſum hunc, nempe jus vetus præſtare nuvo.

Etiam novatores affectant antiquitatis micas.

5. Accedit, ipſos novos poſſeſſores, ſi hodie eſſet aliquid in ipſorum poſſeſſione mutandum, incuſaturos eſſe novitatem tanquam inimicam vetuſtatis & hoe ipſo juſtitiæ. Et recte; nam qui ſecus ſentiunt, novatoribus, rebellibus, defectionibus anſam ſubminiſtrant; aut etiam oppreſſionibus ſubditorum.

Exemplo D. Kippingii.

6. Ipſe Kippingius hujus rei nobis exemplum præber, micas antiquitatis colligens ad jus publicum eodem momento, quo antiquitatem è jure publico extrudere laborat, nam ſtatim §. XXXI. contendit *Judicia Principum* olim uſitata (id eſt, ut Cæſar judicium in cauſis majoribus ferat in præſentia & cum conſenſu principum) hodie non valere, nullumque aliud huic ſententiæ fundamentum ſubſternere poteſt, quam portiunculam aliquam antiquitatis: nempe *Quia jam per CENTUM & plures annos* nulla amplius talium judiciorum veſtigia extant.

Regula Kippingii, habendam rationem *temporis medii*: quod probare debet, qui eo nititur:

Thema XII. Regula alia Kippingii bona videtur, quam ſic profert: Si recens ſtatus vitioſus eſt, etſi antiquus vel inirium recte habet, tamen *intermedii temporis* rationem habendam eſſe ita, ut, qui eo nititur, probationis onus ſuſtineat.

Satis eſt Bona:

1. Ita ille fere §. 32. quod quantum intelligo id ipſum eſt, quod aliàs diximus: jura inter populos, eorumque abdicationem, mutationem pendere à conſenſu: conſenſum autem eſſe facti: facta non præſumi, ſed probari debere ab eo, qui facta, conſenſum, aut mutationem allegat.

Sed contra Kippingium pugnat.

2. Verum in hoc non adſtipulor D. Kippingio, quod is videtur vello hanc regulam pro præſcriptione ſtatuere; & ut videtur contra petſidiam Gallorum à ſe in prooemio laudatam, ac contra eorum errores hae in re, quos eximere promittit. Nam Galli (illos ego non deſendo, ſed Kippingio relinquo ut meliora adverſus illos arma expediat) dicent forte Kippingio ſic: Status Germanici regni antiquus conſtat, recte habet, & dubio nulli eſt obnoxius: nempe nos Franci reges fuimus hereditarii totius Germaniæ. Deinde Status iſte recens (dicunt ipſi) vitioſus eſt, hocque probant; quia eſt contra certum jus antiquum. Quod ſpectat ad tempus intermedium illud ita (ex regula ipſius Kippingii) attendendum eſt, ut is, qui eo nititur, probationis onus ſuſtineat. Jam nos, ajunt Franci, neutiquam tempore intermedio nitimur, imo eidem adverſamur: itaque temporis intermedii ratio, quod ad nos attinet, non eſt habenda, nobis ſufficit antiquum. Contra vos Germani qui antiquum tempus negare haud valetis, & adſeveratis, rectam *poſtea* id eſt *medio tempore* mutationem interveniſſe; vos nitimini tempore intermedio: atque adeo erga vos ejus temporis ratio habenda eſt, ſed non alitet, quam ut vobis onus probandi incumbat, mutationem rectam & cum conſenſu factam: atque hoc ex mente ac decreto Kippiogii veſtri.

Infelicitas D. Kippingii in Jure Publico Germaniæ.

3. Multo infelicior videtur Juriſprudentia publica D. Kippingii, cum ad applicationem regulæ à ſe inventæ accedit. §. 48. Cum de tali tempore intermedio quæſtio eſt, qualis denique mutatio regnum Germanicum Francis eripuerit, alii auctores Germani hæc ajunt, alii dicunt alia. Alii ajunt, poſt mortem Ludovici infantis an. 912. ſanguinem Carolinorum ſeu Francorum regum in Germania defeciſſe: atque tunc Germanos à dominio Francorum abſoluros, ſuique juris eſſe factos. Contra D. Kippingius fatetur, tunc Germanos non potuiſſe de libertate cogitare; *quippe probe conſcios juris, quod Galli habelant*: nec, ſi cogitaſſent, illi tuendæ pares erant, hinc à Gallis, illinc ab Hunnis omnia metuentes. Et continuo tamen affirmat Conradum I. qui antea regum Francorum miniſter & prætor erat, factum eſſe eodem tempore verum dominum totius Germaniæ, cum jure Duces nationum decollandi, quod ne Carolini quidem teges fecerant.

Ex cujus fundamentis Germaniæ regnum *injuſtum* initium habet.

4. Quomodo iſta cohæreant, videant alii. Nam Conradum dominum

 Ger-

Germaniæ ſactum aſſe per conſenſum Germanorum ; & Germanos de libertate ſua ne cogitare quidem potuiſſe, conſcios juris Gallorum in ſe, problema eſt tam profundum, ut ei *Catbolicus quidam publiciſta* ſatisfacere vix poſſit. Nam DDni : Proteſtantes Catholicos Juris Publici fere ignaros exiſtimant, & miraculi inſtar habent, ſiqnis quid ſaltem obvium videat. Quod alibi diximus, in *Larva detracta* Cap. XV. Them. I. n. 5.

Per tal Fus P. ciſtis non ſpernendi Catholici.

5. Adjungi ad hæc debet etiam §. LXI. D. Kippiogii, ubi iterum aſſerit: „ Falſum eſt oppido, quod „ anno DCCCCXIII. ſumma rerum Germaniæ redierit ad populos, & in eorum arbitratu fuerit, quam quisque „ ſequi vellet formulam reipublicæ. „ Quod illum non ex ſcientia juris gentium pronuntiaſſe ex ſuperioribus patet, ſupereſt ut adverſus Arnulphum Boicum hæc tela intentarit : de quo jam non pugno.

Intentio D. Kippingii.

Thema XIII. Vix poteſt unquam determinari longitudo temporis, intra quod jus recuperatorium exſpiraret, ergo videtur præſcriptioni (quæ in re nihil eſt aliud quam extinctio juris recuperatorii, juxta Thema I.) non eſſe locus inter gentes.

Temporis ad præſcriptionem neceſſarii longitudo.

1. In civili quidem jure terminus aſſignatut varie : jam trium annorum, jam 30, 40, 100. quia in civili jure datur legislator unus, omnium voluntates in ſe continens ſubditorum, qui in ipſum conſenſerunt.

In civili Jure poteſt ſtatui ; & quare?

2. Inter gentes autem vix unquam poterit determinari tempus : tum ob difficultatem conſenſus impetrandi ab omnibus quorum intereſt : tum ob difficultatem ipſius argumenti, quod paucis oſtendo, doctioribus relinquens examen profundius.

Non item in Jure Gentium.

3. Vel enim *bodierna dies* eſt terminus ille, quo novus poſſeſſor abſolvitur ab impetitione, & antiqui poſſeſſoris jura recuperatoria exſpirant ? Si hoc ſtatuerent gentes, nemo jam hodie ſpoliatus occultis viis, & ignorantia ſui juris, & aliis mille modis, cras poterit poſtulare recuperationem; Hoc neque ſtatuent unquam gentes neque ſtatuere poſſunt ; manifeſtum enim eſſet latrocinium : neque alia re opus eſſet, quam ut hodie occupem omnia aliena : cras enim exſpirabunt omnium aliorum jura, meum ſolius in tuto erit.

Non hodierna dies.

4. Demus etiam aliquod *HODIE* ſeu aliquam hodiernam diem fixam ſtatui, quodnam erit illud ? an Calendæ Januariæ, an Idus ? an hujus anni, an vero anni retro nongenteſimi, aut porro bis milleſimi ?

5. Forte ſtatui poſſent ad præſcriptionem perficiendam anni *CENTUM* ? Sed quando ii incipient ? an ex hoc momento, præteritis omnibus plane rejectis ? an ſeculo III. IV. V. vel quo alio ? Eſto, talia *abſolute* ac poſſibilitate metaphyſica ſtatui poſſe per concordiam gentium : at nego fere *moraliter* poſſibilem eſſe, aut ſaltem ſperari ullo modo poſſe talem conſenſum. Exemplum ſenſus contrarii non unum præ oculis eſt. Romano Imperio nuper repetita ſunt Jura in Ducatum Parmæ & Placentiæ, tametſi ante annos ducentos fuerint Pontificis. Audivimus reperi Alſatiam à centum jam annis amiſſam.

Non anni centum.

6. Eædem difficultates & forte majores ſe proderent in annis 300, 600, 800. Nam qui à tot ſeculis poſſederunt ac conſervârunt hactenus jus ſuum, quæ ſpes eſt, ut illud uno momento pro nihilo abjiciant ac prodigant ; cum ſit ſenſus communis, tanto venerabiliora eſſe jura, quanto magis cana ? Pulcre id apparuit poſt pacem Pyrenaicam : ibi pactum erat, terminos inter Galliam & Hiſpaniam conſtituendos eſſe ita, ut *communement* (i. e. communiter & communi ſenſu) ille limes habebatur : *MARCA* legatus Gallicus, Gallique cæteri in ſuo inſtrumento illud expreſſerunt per vocem *Ancienement* (id eſt, antiquitus) Nec potuere diffiteri Hiſpani, juſtam eſſe interpretationem. Itaque revera limitis conſtituendi regula non fuit *præſens poſſeſſio* ; utique quæ ipſa materia litis erat, ſed Plinius, & Ptolemæus, & vetuſtiſſimi Geographorum. Vid. Petri de Marca *Marca Hiſpanica*.

Non 300, 400, 600, 800.

Thema XIV. Jure naturæ nulla, Jure autem gentium probabiliter falſa

Tituli, ſigneque juris conſervandi à D. Kippingio exiguntur.

ſa eſt regula Kippingii iſta: Ad conſervanda jura recuperatoria, impediendamque præſcriptionem opus eſſe, *ut extent perpetua ſigna juris conſervandi, qualia ſunt tituli & inſignia regum & Principum.*

Imperite.

1. Kippingius loco citato §. LXV. & ultimo profitetur, admirabilem eſſe uſum Hiſtoriæ, *in juſtis poſtulatis.* Tum addit: Hiſtoriam valere ad jus conſervatum conſervandum, non vero ad jus amiſſum, recuperandum, aut ad conſtituendum in hiſtoria jus: „ Non enim unquam negavimus, inquit, Jus, etiam non poſſeſſum, „ per ſecula poſſe retineri; ſi modo „ & verum jus ſit, & animi conſervandi juris perpetua ſigna extent, „ qualia ſunt. e. c. tituli & inſignia „ principum.

2. Hæc turbida mihi videntur & male concinna. ùt: *jus amiſſum recuperandum*, de hoc enim nemo cogitat fortaſſis: ſed jus ſemper retinuit, facti poſſeſſionem amiſit poſtulator; eamque facti poſſeſſionem recuperare nititur vi juris ſui.

Imperiti ſermones.

3. Rurſus quale eſt hoc: *jus non poſſeſſum per ſecula poſſe retineri.* Quod non teneo, quomodo poſſum retinere? in hoc ſenſu, quo vox *retinere* ſignificat continuationem tenendi, uti hic apud Kippingium ſignificat? Inſcite ſaltem loquitur, qui jus, hiſtoriam, factum, & rem in quam eſt jus ſemper commiſcet. Taceo cætera male Sarta tectaque. Ad *ſigna* me converto.

Nec jure naturæ.

4. Jus naturæ nullum eſt, quod adſtringat dominum edere ſigna, præſertim perpetua dominii animo retenti. Cum Dominia ipſa rerum, ut ſunt inter plures diviſa, non ſint juris naturæ, ſed gentium.

Nec jure gentium.

5. Jus gentium actuale hæc ſigna imperaret, ſi conſtaret, gentes communi conſenſu ſe ad hoc obligâſſe. Vid. Cap. I. Them. IX. Hoc cum ſit facti, debuiſſet à Kippingio probari, non ex ſuo cerebro decerni.

Ad certa ſigna.

6. Et ſi probetur etiam, gentes aliquando ad iſta ſe obligaſſe, ſimul deberet probari, ad quæ & qualia ſigna animi edenda ſe obligaverint? & quando iſta obligatio inceperit? quæ omnia exiſtimo inveniri nunquam poſſe, pro me fateor, in hiſtoricis, ac tabulis tale quidquam me minime repeririſſe.

7. Inquis: hodie certe mos eſt, ut principes ad teſtanda jura ſua utantur titulis & inſignibus, id quod plurimis exemplis enumerat Puteanus in libro ſupra memorato; & ante omnium oculos poſitum quotidie eſt, adeo ut circa hoc etiam ſcientia aliqua *Heraldica* dicta, ſit concinnata. Verum gentes hanc *mutuam obligationem* iniiſſe nunquam probabitur.

Hodiernus mos ſignorum.

8. Dein ſi probaretur, hane obligationem hodiernis moribus eſſe reipſa introductam; quomodo obligatio nova circa nova ſigna poterit retro trahi ad alia tempora, quibus temporibus obligationem ſignorum non extitiſſe certum eſt? Duces Burgundiæ usque ad ultimum Carolum Audacem fuiſſe ex ſangnine regum Franciæ proprio, eorumque ducatum proprietatem & dominium fuiſſe regum Franciæ tam eſt manifeſtum, quam ipſe ſol meridianus: quis ſomniet, regem Franciæ excidiſſe hoc jure ſuo propterea, quod nunc Burgundiæ alia inſignia proſtent, ducibus uſurpata, quibus reges nunquam uſi ſunt, .. & ne nunc quidem utuntur, cum ducatum reapſe tenent. Ergone quia hodie reges utuntur titulis & inſignibus, jura amiſſa ſunt eorum temporum, quibus ea in uſu non fuerant; certe non ad hunc finem.

Non nocet veterioribus

9. Omnibus regibus hodie integrum eſt, inſignia ſua omnia deponere, aut lilia verbi gratia mutare in apes, ut olim apes mutatæ dicuntur à regibus Galliæ in lilia; ut alaudæ ab auſtriæ Marchionibus in faſciam &c. Imo poteſt princeps quilibet, modo volet, hodie quoque omnibus plane inſignibus abſtinere; quo etiam facto non ſane deſinet eſſe rex aut princeps. Quodſi jam tituli & inſignia non ſunt neceſſaria, ut habeas jus regni aut principatus, neque erunt neceſſaria, ut retineas & conſerves.

Nec moderni obligat.

10. D. Kippingius haud dubie intellexit, inſignia recentiora eſſe iisdem poſtulatis, in quæ per librum ſuum inſurrexit: neque reges Francorum

Nec eosdem quos.

neque

neque Romanorum Imperatores, neque novi Germaniæ reges, neque nationum Germanicarum Duces inſignia habuere tum, cum eorum jura recuperatoria inciperent. Neque ergo iis indigebunt ad ea continuanda.

Minime Gallos.

11. Contra Gallos autem ſi, quod profitetur, pugnare vult, aliis ipſi armis erit opus. Ipſi enim ſolent dicere: *Regis Franciæ* titulum omnia complecti, quæ Francorum de jure ſunt. Sicut fere ex nupero inſtituto Angli dicunt, titulum *Regis magnæ Britanniæ* ſatis complecti tum angliam, quam Scotiam & Hiberniam, imo etiam novam Americæ oram, & quidquid ubique anglorum eſt. Eodem modo olim *Dux Saxoniæ* non diviſerat ut nunc titulos; neque *Dux Bojariæ*: ſed hi tituli totas nationes complectebantur, quamvis eæ nunc in plures partes, titulos, & inſignia abierint; ut alii dicunt *juſte*, ut alii *injuſte*: in quam poſteriorem ſententiam inclinare videtur D. Kippingius Cap. eodem IV. §. XXX. Nam ſi Guelfi, ut ipſe dicit, non ſatis juſte exuti ſunt dominatu, videtur conſequens, ut neque juſte eorum principatûs in plures titulos ac partes ſit diſcerptus.

Anglos

Saxones

Bojos.

Exemplum Imperatorum.

12. Imperatores moderni nec titulum Italiæ Galliæque ſcribunt, nec inſignia: nec tamen aliquis tot auctorum, qui contra Imperatores præſcribi non poſſe aſſerunt, hoc exigebat. Kippingius tantum imperat hoc aliis.

13. Quam nihil efficiant tituli, documento ſunt ipſi antiqui Imperatores, qui Parthicos ſe, Gothicos &c. dicebant, quando in hos populos pugnarunt ſolum, etſi victi. Caligula Britannicum ſe dixit, ex quo claſſe in Britanniam advectus magnam vim conchilium & limacum ex littore lectorum reportavit Romam. Turci Perſarumque reges ſi omittent ſuperbos titulos, putaſne deperditurum ipſis eſſe quidquam de jure ſiquod habent? Attila num minus erat gravis, ſi *flagellum* ſe *DEI* non appellaſſet ipſe? Et ſunt fortaſſe reges, qui non generoſum exiſtiment, adſciſcere ſibi nomina nova à ſpoliatoribus ſuis excogitata, ſpoliisque impoſita: cum ea ſint teſtimonia præſentis infirmitatis, vindicare non valentis rem, cujus nomen inane geritur.

CAPUT XI.

De Jure Decori, Convenientiæ, Ratione ſtatus, ſeu De la Bienſeance Raiſon de Guerre &c.

Convenientia hic dicitur non ſimplex utilitas innocua:

Thema I. PEr Convenientiam hanc non intelligitur ſimpliciter ſtudium utilitatis propriæ, ejuſdemque innocuæ.

Quæ eſt certi juris Naturæ.

1. Hoc enim non eſt incerti, ſed certi juris naturæ, ſi ſit moderatum & omnibus requiſitis ornatum.

2. Idque exigit amor ſui naturæ debitus; & conſervatio ſui rurſus debita ob indiſpenſabilem ſervitutem creaturæ erga creatorem.

Utilitas cum detrimento alterius.

Thema II. Per Convenientiam ergo intelligitur ſtudium vel acquiſitio utilitatis propriæ cum aliquo damno alterius, ad quod patiendum ille hic & nunc teneatur.

Exemplum.

1. Exemplum. Rex aliquis juſta arma movet in alterum vel fugit ex bello: in itinere vel limite ſitæ ſunt arces quædam principis tertii: quas arces ſi non capiat rex primus, bellum ipſi difficile redditur, aut etiam periculoſum, vel fuga intuta.

2. Qua-

Digitized by Google

De ejus juſtitia quæſtionis quæſtiones.

2. Quæritur: 1. An rex primus jns habeat ad illas arces occupandas & utendas? 2. An princeps tertius debeat hoc pati? 3. An poſſit occupationi reſiſtere? 4. An vel quid teneatur occupator rependere ſeu compenſare?

In extrema neceſſitate eſt juſta.

Thema III. Juri naturæ non repugnat, ſed juſtum eſt *Convenientia* uti, in extrema neceſſitate.

Quia hic eadem ratio utique militat pro regibus ac populis, quæ militat pro privatis ac civibus. Nec diviſio bonorum hac intentione facta eſt à populis, ut alterutri pereundum ſit propterea, ut alteri ſua commoda maneant, non æque neceſſaria. Vid. *Jus naturæ* Cap. XXIII. Them. XXII.

Inter gentes *forte* ſufficit non extrema.

Thema IV. Ioter gentes videtur non ſemper requiri extrema neceſſitas ad uſum Convenientiæ, ſed probabiliter ſufficere gravis, aut periculum grave, pro circumſtantiarum modo.

Ob difficilliſmam determinationem.

1. Quia in rebus tam magnis & operoſis ſæpe longe plus periculi latet, quam prima fronte appareat. Unde plerumque cum periculum apparet vere grave, poteſt in talibus haberi pro graviſſimo atque extremo. Sicut fere in morbis accidit. Colloqui cum homine morbido non eſt in univerſum ſummi periculi: at cum peſtilentia infecto habetur periculoſiſſimum colloquium. Morbus enim iſte aliis morbis momentoſior eſt, cum non uni modo alloquenti, ſed civitati integræ poſſit eſſe pernicioſus. Ita in negotiis hominum privatorum longe major certitudo periculi requiri videtur ad contrectandam rem alienam, quam in negotiis populorum aut principum: Illa quippe manent intra ovilia; hæc leviſſimo quovis vento in immenſum diſſeminantur.

à ſimili.

Diſtrimen inter populos & privatos.

2. Adde quod privati non ita facile excuſentur à petendo tali auxilio vel eleemoſyna, ſicut populi aut principes ob ſuam amplitudinem, locorum diſtantiam, & ob calvitiem occaſionis. *Dum Romæ deliberatur, Saguntus perit.*

3. Nec licet principibus implorare judicem, qui tertio imperet, ut his vel illis conditionibus meæ neceſſitati ſuccurrat.

Jure gentium Convenientia non ſat certa.

Thema V. Jure autem gentium additas receptasque eſſe quasdam ulteriores regnlas ultra æquitatem naturalem prædictam, non videtur certum.

Sæpe enim Gentes ac Principes utuntur tali convenientia jam in bello, jam in fœderibus, jam in commerciis &c. Sed fere toties etiam audiuntur querelæ ſive de ipſo uſu, ſive de modo utendi: quod eſt ſignum, nullam adeſſe certam regulam communi conſenſu in jus redactam.

Detrimentum patiens quid debeat obſervare?

Thema VI. Is, cujus rebus alter per convenientiam utitur, debet (1 pati talia, ſi neceſſitas eſt certa tam parti utenti, quam patienti. (2 Quoniam vero talis neceſſitas in caſu rariſſime certa eſt, ſed controverſa ut plurimum; ideo, in tali dubio, jure, ſe opponit ille tertius (3 modo ne ex alius circumſtantiis propriis determinetur ad patiendum: v. g. quia ſibimet periculum crearet, tanquam nimis debilis ad reſiſtendnm (4 In qno vel ſimili caſu juvare ſe poteſt proteſtatione verbali, ſcripto, aliisque modis pro tempore uſitatis. (5 Id quod nec ad Jus naturæ jam pertinet, nec ad Jus gentium, ſed ad prudentiam; cujus officium eſt, aptitudinem mediorum ad finem diſcernere.

1. Thema hoc prælongum eſt quidem, ſed neceſſario ita conjungendum, ut æquiverum æſtimatores cenſebunt.

2. *Primi* ratio eſt, quia neceſſitas non habet legem, ſed ipſa legis caſum facit.

3. *Secundi* ratio eſt, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis rem ſuam.

4. *Tertii* ratio eſt, quia ex duobus malis minus eſt eligendum.

5. *Quartum* agnoſcitur ab omnibus eſſe flebile beneficium proteſtationis.

Proteſtationes an neceſſario faciendæ.

6. Tali autem beneficio in verbis, ſcriptis, aliisque viis externis uti nullo jure obligamur naturæ aut gentium; cum nullum poſſit probari. Imo contra potentiores hiſce uti poteſt eſſe periculoſum. Et præpotentia eſt ſufficiens cauſa omittendi iſtas exteriores cerimonias. Contra æquales autem plus proſunt æqnalia arma aut vires, quam chartæ & folia, quæ vento rapiuntur.

Convenientiâ utens debet compenſare.

Thema. VII. Finito periculo, is, qui ex convenientia uſus eſt re aliena, tenetur eidem reſtituere damnum emergens & lucrum ceſſans.

1. Ex capite nempe rei acceptæ. Quia juſtitia exigit, æqualitatem antea habitam iterum reduci: quod quamdiu negligitur, juſtitia non impletur.

2. In praxi tamen res conventionibus terminatur, & aliquo accepto reliquum diſſimulatur. Prudentis eſt, etiam perdere aliquid in tempore poſſe; ſicut ſapientis eſt deſipere in loco.

CAPUT XII.

De Jure Æquilibrii De la Balance.

Studium impediendæ nimiæ præpotentiæ.

Thema I. PEr Jus Æquilibrii intelligitur jus, vi cujus aliquis populus poteſt obſtare, nequis alius populus ita evadat præpotens, ut cæteri populi exponantur periculo oppreſſionis &c.

1. Itaque cum unus populus propterea reſiſtit potenti cuidam vicino, ne ab eodem ipſe opprimatur, hoc non jam facit jure æquilibrii, ſed jure defenſionis propriæ.

Etiamſi ipſe nihil timeas.

2. Sed tunc ex ſtudio æquilibrii agere quis exiſtimatur, cum damnum aut periculum ad ipſum nihil pertinet propinque, ſed ad alios: & metus eſt tantum, ne indirecte & cum tempore ipſe quoque patiatur, ſi bilanx opum in alteram partem nimis deflexerit.

Æquilibrii ſtudium vetuſtiſſimum.

Thema II. Æquilibrii ſtudium ab antiquo fuit à populis uſitatum.

Trojanis,

1. Cum Troja obſideretur, omnes late populi etiam ex Ægypto advolarunt & abierunt in partes. Non equidem tanti Priamus Trojaque tota fuit. Sed metus ne Argorum cæterorumque Græcorum vis immoderata evaderet, imperio Trojanorum ſubacto.

Scythis, Ægyptiis,

2. Perſis Scythæ atque Ægyptii clavum figere tentabant: illi felicius, hi exitu diſpari.

Syria.

3. Ubi Romani Carthaginenſibus jugum minati ſunt, adverterunt Syriæ reges, quid prægrandis Romanorum res portenderet, & ſeſe ingeſſerunt, irata licet fortuná, & impari Romanæ induſtriæ, quæ tum acerrima fuit.

Francia,

4. Inter Gothos Italiæ, Hiſpaniæ & Galliæ, interque Græcos Imperatores quid tentaverint reges Franci, ne alterutri excreſcerent, hiſtoriæ loquuntur.

Adverſus Domum Habsburgicam.

5. Ex quo tempore Domui Habſburgico-Auſtriacæ quaſi ſubito dimidia prope orbis terrarum pars velut ſponte acceſſit, initio quidem ſola fere Francia ſe murum objecit, tum paulatim alii etiam populi lanci ſe alteri impoſuerunt.

Adverſus Domum Borboniam.

6. Rebus in contrarium verſis & Francicis opibus tametſi non ita ſubito incremento emergentibus in altum, iidem, qui Auſtriacis antea repugnaverant, cœpere nunc eosdem ſuſtentare, & Francis adverſari.

7. Ex his jam licet ſuſpicari, cauſam præbiti antehac Francis favoris non fuiſſe amorem aliorum erga eosdem Francos, ſed aliam. Rurſus præbiti poſtea erga Auſtrios ſubſidii cauſam non fuiſſe amorem erga Auſtrios, ſed aliam.

8. Quænam autem generatim poſſit eſſe cauſa juſta ſic ſeſe librandi, & an ſit aliqua? id vero exquirendum eſt.

Æquilibrium &c. videtur Juri naturæ Conforme.

Thema III. Æquilibrium videtur Juri naturæ conformius. Itaque juſte poſſunt gentes adhibere vires ſuas ad illud conſervandum. Id quod tamen non eſt ſine incommodis.

Quia eminentia vitio ſæpe conjuncta.

1. Nam cumprimis experientia monſtravit, eminendi ſtudium eſſe effectum ambitionis, id eſt vitii, quod Juri naturæ oppoſitum eſt, ut docuimus in jure naturæ: vitio autem ne invaleſcat, jure naturæ obſiſtere poſſunt populi, & aliquando debent. Quid enim boni ſperare liceat, vitio invaleſcente & ſedente in Throno; cum regis ad exemplum totus componitur orbis? Verum enim vero id rurſus incommodi eſt, quod remedium interdum morbo ipſo deterius ſit. Diogenes videns culcitram Platonis ornatio-

Sed remedium contra eam, æque periculoſum.

rem

rem quam pro modo philoſophi, cæpit eam pedibus conculcare. Rogatus, quid faceret? calco, inquit, faſtum Platonis. Cui mox Plato: Sed *faſtu majore.*

Præpotentia videtur contraria Juri naturæ:

Remedium contra eam æque periculoſum.

2. Præpotentia unius hominis aut populi contraria eſt *æqualitati*: æqualitas autem Juri naturæ eſt conſentanea: Igitur præpotentia minus eſt conformis juri naturæ, quam ſtudium æquilibrii. Inommodum autem in hoc quoque eſt, quod plures debiles ægre reſiſtant uni potenti, ob diviſionem inter ipſos perfacilem. Et quod conſequenter uni potenti reſiſti vix poſſit, niſi alius æque potens efficiatur. Alius vero æque potens vix efficitur ſine oppreſſione impotentiorum. Et cum is factus fuerit æque potens atque ille cui opponitur, hi duo potentes vix poſſunt diu in æquilibrio perſiſtere, ſed in continuis fere diſſidiis ac bellis ſunt, donec alter emineat. Experientia hæc omnia fecit certa: quod temporum gnaros nequaquam latet.

Inæqualitas eſt juris hypothetici;

Debet habere 1. Conſenſum, 2do ad finem naturæ ducere.

Has conditiones obtinere difficile.

Europæ ac Germaniæ exemplum.

3. Inæqualitas juris ac dominii inter homines juri naturæ hypothetico conformis eſt. Hypotheſes autem ſeu conditiones ſuppoſitæ fere duæ ſunt. *Prima* ut adſit couſeoſus eorum, quorum intereſt; ſive is conſenſus ſit antecedens, ſive conſequens. *Altera* eſt, ut ea inæqnalitas nihilominus tendat ad finem naturæ rationalis. Utraque hæc conditio locum habere poteſt in Inæqualitate: itaque Inæqualitas naturæ jure tunc erit juſta, cum adſunt conditiones. Verum ipſa experientia probat, quam difficile ſit, easdem conditiones reipſa poni, ubi introducenda inæqualitas eſt. Equidem promittunt ſibi quidam, toti Europæ, ac maxime Germaniæ ſalutare futurum, ſi æquilibrio ſublato unius præpotentiâ in monarchiam Univerſalem, Europæ ſaltem, abitura eſſet. Experientia vero docuit, quam multis bellis, ſtragibus, calamitatibus, & iniquitatibus opus ſit, ut conſenſus in hoc gentium extorqueatur, quodcunque præteritorum temporum exemplum ſumas, Perſarum, Græcorum, Romanorum, Francorum &c. Denique extorto etiam conſenſu, & monarchia ſtabilitâ finis naturæ in paucis obtinebatur melius. Nam pax aut quies civitatis nihilo fere fuit major: ſubditi à monarchæ præfectis æque dire excoriati, atque antea à ſuis principibus, & forte: dirius juſtitia magis venalis. De DEI tamen proſecutione, qui verus eſt ut naturæ ita & civitatum finis, poſtea ſeorſim dicemus. Hæ itaque difficultates aliæque experientia traditæ in conſtituenda rite præpotentia juſtum populis argumentum præbent abhorrendi ab eadem, & conatum omnem adhibendi, quo æquilibrium ſervetur.

Monarchiæ præpotentes duæ. Profuerunt Religioni.

4. Equidem religioni veræ profuerunt duæ ex monarchiis præteritis: Romana ac Francorum. Romana à pleriſque creditur ideo per Divinam providentiam couſervata, ut Chriſti verum dogma occaſionem nanciſceretur ſeſe in eodem imperio diffundendi: nec fruſtra Meſſias eodem maxime tempore veniſſe videtur, quo Romana monarchia hanc formam induit. Francorum autem Monarchæ quantum Chriſti eccleſiæ profuerint, quantum ejus dogma in ſeptentrione proſeminaverint, poſteritas; etiam partim ingrata, conſiteri cogitur.

Aliæ nocuerunt.

5. Contrà vero priores monarchiæ ad Idololatriæ irrationalis propagationem plurimum cootulerunt, ita ut veri DEI cultus veræque beatitudinis (finis noſtri) ſpes in anguſta una gente divinitus tantum conſervata fuerit. Ægyptii ſacerdotes in ſua myſtica lingua haud dubie verum DEUM prædicabant, externaque creaturarum adoratio apud ipſos nonoiſi ſymbolica fuit. Cambyſes monarcha, ne hæc religio ſuo obeſſet imperio injuſto, ſacerdotes omnes peremit, linguaque ſacra uti probibuit: Qua lingua deletâ Veri DEI memoria ac reſpectus una excidit. Græci quantum ſuperſtitioſas fabulas adauxerint, in propatulo eſt. Quodque Romana monarchia Religioni ſinceræ profuerit, non ipſorum monarcharum voluntati debetur, ſed ſingulari Numinis providentiæ. Ipſi enim monarchæ nihil intentatum reliquerunt, ut verum DEUM è memoria hominum abolerent, omneque erroris ac impietatis genus civitate publice donarent.

6. Ex quo demum conſequitur, à religione etiam æque pro tutando æquilibrio deſumi rationes & fortaſſe fortiores, quam pro unius præpotentia.

Æquilibrium eſt Juris Gentium incerti.

Thema IV. Æquilibrii conſervatio videtur eſſe Juris gentium incerti.

1. Hoc eſt, gentes nondum videntur actu conſenſiſſe, ut cuicumque, etiam cujus cauſa propria non agitur,

faſ ſit, hac una de cauſa ſe opponere præpotenti alicui, ne præpotentior evadat.

Experientiâ & confeſſione gentium.

2. Quoties enim & noſtris & aliis retro temporibus id factum eſt, duo animadvertimus. *Primo*: Nemo fere ita reſiſtere parans hoc ſolo fundamento uſus eſt ad actionem ſuam juſtificandam, ſed alias cauſas conquiſiverunt, ùt ſecuritatem propriam, fœdera antecedentia, malam fidem potentioris. Quod eſt argumento, ipſos etiam æquilibrii ſtudioſos agnoſcere, gentibus per hanc cauſam non ſatisfieri, adeoque Gentium Jure nihil certi in hac concertatione definitum eſſe.

3. *Secundo* obſervavimus, quoties alter hoc jure uti voluit, toties alterum de injuria queſtum fuiſſe. Quod fieri non niſi ridicule poſſet, ſi adeſſet conſenſus Gentium certus in hanc rem; qui conſenſus utique latere gentes non poteſt? Sic ridiculus eſſet populus, qui quereretur, legatum ſuum ſine requiſito commeatu miſſum non admitti.

CONCLUSIO.

Atque hæc de Jure Gentium ſcribere viſum eſt, unde, ſi omnia perpendimus, agnoſcere licet, quam ancipiti cardine pleraque mortalium pendeant, quamque parum humane cogitaverint, qui de his omnibus *demoſtrationes* mathematicas ita liberaliter promiſerint: quam incaute agant, qui his illecti promiſſis ſubito ſapere in rebus tantis poſſe ſperaverint: quam denique omnia mortalia ſive injuſta ſive juſta nos admoneant abhorrere, à fine noſtro ac ſummo bono in hiſce mortalibus ponendo: & quam hoc ipſo neceſſarium ſit Juri naturæ ac gentium per larvatos ſcripto longum vale dicere. Hoc labore iſto meo ſpectavi, hoc ſi rite inſtruxi, & ut capi à legentibus poſſit; ſatis belle plantavi: rigent alii: DEUS O. M. incrementum det. Sin ego in hoc defeci, non rei tribuendum eſt, ſed mihi, & temeritati forſan meæ, qui infirmitatis conſcius rem tantam aggreſſus ſim. Ex quo ne quid Lector offendiculi patiatur aut capiat, oro.

I. O. G. D.

INDEX
JURIS GENTIUM.

A.

ÆQualitas gentium Cap. XII. Them. 3. Vid. *Gentes.*
Æquilibrii jura. VIII, 16. XII. per tot.
Amphiſtyones Græciæ: Europæ. III. 16.
Antiqua jura an novis potiora II. 25. X. 11. &c.
Antiquitas quanta ſufficiat ad præſcriptionem. X. 13.
Arbitrium merum non facit J. G. I. 5.
Auxilia mittere eſt J. G. VIII. 29. Infidelium contra Chriſtianos an licita? VIII. 30.

B.

Barbaros in auxilium vocare an liceat? VIII. 30.
Bellum eſt actio moralis VIII. 3. Ejus finis debet eſſe bonus. VIII. 7. &c. Debet adeſſe neceſſitas. VIII. 10. Ignorantia qualis excuſet? VIII. 12. Eſt negotium Theologicum. VIII. 13. Poteſt utrinque eſſe juſtum. VIII. 11. n. 3. Offenſivum injuſtum. VIII. 14. Defenſivum ad cavendum injuriæ. VIII. 15. Quousque nocere hoſti liceat. VIII. 18. &c. Eſt judex in jure gentium. III. 20. Pro alio injuriam paſſo eſt J. N. VIII. 26. Indictio an ſit J. G. VIII. 25.
Boica res II. 20.

C.

Captivos ſervos facere an ſit juris gentium. III. 12. Cum captivo pacta an teneant. VI. 17.
Chriſtiani mitius debent bellare. VIII. 21.
Coactio ſeu *Coërtio* an habeat locum in jur. gent. III. 17. 21.
Commerciorum jura IV. per tot.
Congreſſus eſt judicium jur. gent. III. 14.
Conſenſus quomodo faciat jus. I. 5. II. 5. 14. nu. 5. Non præſumitur. Eſt mutabilis ſed difficile in alium. III. 9. 24.
Conſuetudinarium jus eſt J. G. I. 16.
Controverſia juris gentium quale forum habeant. III. 6. &c. De his multa diſputare inutile. I. 14. n. 5. IV. 10.
Convenientia jus quale ſit? XI.

D.

Decorum inter gentes quale habeat jus. XI.
Diviſio rerum à J. G. ſupponitur. I. 2. Eſt facti. I. 3. nu. 4.

E.

Exceptio de vi ac metu an habeat locum in jure gent. III. 18.
Exemplis judicatur in J. G. I. 16.
Experientia diſcitur jus gent. II. 15.

F.

Facta an fundent jus. II. 21. 23. &c.
Fœderum jura Cap. VI. toto. De jure tertii an licita. VI. 8. In iis ſolertia conceſſa. VI. 12. Eorum interpretatio. VI. 14. Infidelibus ſervanda. VI. 15. Cum tyranno an teneant. VI. 16. Cum captivo. VI. 17. Quibus cauſis enerventur. VI. 18. Fœdus novum cum tertio an præjudicet antiquiori. VIII. 28. Inæqualia ſubſiſtunt. VI. 20.
Forum juris gentium quale. III. 6.

G.

Gallorum perfidiam taxat quidam Kippingius II. 20. Eorum poſtulatis imperite reſpondet. X. 11. &c.

Gentes an cogi poſſint. I. 8. n. 5. Vide *Coactio.* Quomodo conſentiant in jura & pacta. II. 14. n. 5. quomodo conſenſum revocent. III. 9. Æqualis ſunt conditionis. III. 12. Fœdera tamen inæqualia ineunt. VI. 20.

Germanicum imperium non irregulare V. 3. In illud poſtulata Gallorum imperite tractat Kipping. X. 11. Germaniæ nationes inter ſe liberæ. V. 3. II. 22.

Gundlingius renuntiationum jura non fecit certiora: in Imperatorem contumelioſus. IX. 4.

H.

Hiſtoria eſt via ad jus gentium. II. 6. Et tamen lites parit. I. 16. n. 4. Ejus abuſum imperite perſequitur Kippingius. II. 21. X. 11.

I.

Imperium German. Vide. *Germanum.*

Infidelium auxilia an licita. VIII. 30. Pacta illis ſervanda. VI. 15.

Inſignia an geſtanda ad conſervanda jura recuperatoria. X. 14.

Jus an ex factis oriatur. II. 21. &c. Antiquum an novo deterius II. 24. Recuperatorium an tempore evaneſcat. Vide *Præſcriptio.*

Jus canonicum gentium Chriſtianarum III. 15. 4.

Jus Gentium quid ſit, ut differat à jure naturæ, Publico &c. I. 1 - 8. Aliud eſt *Poſſibile*, aliud *actuale*. I. 9. Univerſale & particulare I. 10. 16. Juris Gentium an ſit aliquid, eſt quæſtio facti. I. 11. nec demonſtratur metaphyſice. I. 12.

Eſt mutabile III. 5. Unde tot controverſiis obnoxium? I. 16. II. 7.

Ejus materia, forma, finis. III. Ejus forum, judex, momenta decidendi. III. 6. &c.

Jus Gentium certum in paucis. IV. &c. Incertum in pluribus Cap. IX. &c. Deprehendere quam difficile II. 16. &c. Ejus periti ſunt pauci. II. 16.

Non habet tantam utilitatem, nec in ſcholis nec in aulis. I. 15. Qua via diſcendum? II. per tot.

Jus Publicum in ſcholis aliquid modicum prodeſt. II. 18. Cum jure gentium confundit Kippingius. II, 20. nu. 10.

Inventuti an utile Jus Gent. I. 15.

K.

D. *Kippingius* male tractat hiſtoriam, jus publicum, & præſcriptionis jus contra Gallos. II. 20. X. 11.

L.

Læſio enormis parit reſtitutionem in integrum. VI. 19.

Legatorum jura certa & incerta Cap. V.

Legatos non admittunt Jappanes. I. 8. an mittant Germaniæ Principes. V. 3. Legatus delinquens à quo puniatur?

Leges an vim habeant à factis. II. 21. Civiles non decidunt de Jure Gentium. III. 15.

Libertas gentium reſtringitur pactis. III. 10. n. 4.

Librorum critici ſæpe perperam judicant. II. 14. n. 3.

M.

Majeſtatica legatio quæ? V. 3.

Majora ſuffragia an habeant locum in jure gent. III. 16.

Mancipia bello facere an ſit J. G. III. 12.

Metus an pariat exceptionem in jure gent. III. 18. Impedit præſcriptionem. III 19.

N.

Neutralitatis jura & onera. VIII. 31.

P.

Pacis fœdera an neceſſaria. VI. 3.

Pacta Vide *Fœdera.* Pactum de non paciſcendo ſine altero an teneat. VI. 24. De non juvando alium an licita. VI. I. 27.

Pœna in foro juris gentium. III. 21.

Politici rident & ridentur. X. 5.

Potentia vicini an ſit cauſa ſufficiens belli. VIII. 16. Vide *æquilibrium* Cap. XII.

Præſcriptio eſt juris gentium incerti. X. per totum. Quomodo in jure civili dicatur eſſe juris gentium. X. 6. Exempla non probant, præſcriptionem eſſe juris certi. X. 8. Præſcriptionem impedit metus. III. 19. X. 9. Eſt juris civilis. X. 7. Contra imperium non currit. X. 10.

Prætenſiones ad eas conſervandas num ſit opus geſtare inſignia. X. 14. An evaneſcant tempore? X. 5.

Proditio. ad eam invitare an liceat. VIII. 23.

R.

Rationes non ſemper ſunt rationes. IX. 4. nu. 7.

Ratio belli, ratio ſtatus quomodo ſint juſtæ. XI.

Renuntiationes filiarum ſunt incerti juris gentium IX. 4.

Repreſſaliarum jura VII.

Reſtitutio in integrum jure gentium an detur. VI. 18. Eſt melius medium juris, quam præſcriptio. X. 4.

Retor-

Retorſio jurisiniqui VII. 6.
Rumores falſos permittere quomodo ſit licitum. VIII. 24.

S.

Scholæ quomodo proſint ad jus gentium diſcendum. II. 17. In ſcholis nulla diſciplina perfecte diſcitur. II. 18. num. 4. &c.
Stratagemata licita. VIII. 22.
Suffragia plura. *Vide Majora.*

T.

Temporis antiquitas an minuat jura recuperatoria. IX. 9. X. 11. Quantum temporis ſufficiat ad præſcribendum inter gentes. X. 13.
Tertii jus quomodo poſſit in pacta trahi. VI. 8. 9.
Theologia dogmatica an in ſcholis diſci poſſit. II. 8. nu. 6.
Turci an juſte fiant mancipia. III. 12. 13. Eorum auxilia contra Chriſtianos an licite petantur. VIII. 30.
Tyrannus, cum eo inita fœdera an teneant. VI. 16.

V.

Vis an pariat exceptionem in jure gentium. III. 18. Præſcriptionem impedit. III. 19. & Cap. X. 9.

W.

Wiquefort de jure legatorum ſcripſit permulta, erga Catholicos partialis. V. 2. nu. 7.

Errata

pag. 6. b. lin. 6. Heterodoxi. adde: *enormes.*
pag. 10. a. nu. 3. Sed fere conditionibus. leg: ſed *bis* fere &c.
pag. 14. lin. ult. Nullum jus. leg: *ullum.*
pag. 15. a. lin. 2. militia. leg. *militiam.*
pag. 23. b. nu. 3. fin. in pra admiſſionem. leg: *in ipſam admiſſionem.*
pag. 42. b. nu. 5. fin. æque poſſeſſionem. leg. æque *ac* poſſeſſionem.
pag. 37. a. num. 4. Ferociſſimum eſt bellum. leg. *feraciſſimum.*

Digitized by Google

JUS NATURÆ LIBERATUM

AC

REPURGATUM

A

PRINCIPIIS LUBRICIS, & MULTA CONFUSIONE PER DOCTORES HETERODOXOS INDUCTIS.

CONATU

P. ANSELMI DESING,

Benedictini Congregationis Bavaricæ ex Monaſterio Ensdorff, Celſiſſimorum S. R. I. Principum Archi-Epiſcopi Salisburgenſis, & Epiſcopi Paſſavienſis Eminentiſſimi Cardinalis de Lamberg Conſiliarii Eccleſiaſtici.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

MONACHII

Sumptibus Joannis Urbani Gaſtl, Bibliopolæ, M. DCC. LIII.

* * *

JAm non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris: Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus. *Epheſior. Cap. IV.* v. 14.

* * *

NE æſtimetur hoc recens eſſe, & prius tractatum à philoſophis; accipiant, quam longe antequam philoſophorum nomen audiretur, per os Sancti David utrumque videatur expreſſum. *S. Ambroſius Officior Lib. II. cap. II. num.* 6.

JURIS ET NATURÆ
CONDITORI
DEO OPTIMO, MAXIMO, JUSTISSIMO,
A QUO DESCENDIMUS.

JURIS ET NATURÆ
RESTAURATORI
CHRISTO JESU PIISSIMO DEO HOMINI.
PER QUEM REVERTIMUR.

JURIS ET NATURÆ
ANIMATORI
SPIRITUI DIVINO, SANCTISSIMO, FORTISSIMO, A QUO PORTAMUR.

LEVE ISTHOC SPICILEGIUM
DE IPSORUM
JURE, NOSTRAQUE SERVITUTE COLLECTUM
IN SACRIFICIUM
Qualecunque ſed debitum accendo

Ego
Creatura,
Pretium Sanguinis,
& Spiraculum
Cujus utinam nomen ſcripſerit
in libro Vitæ.

CONSILIUM SCRIPTIONIS.

1. NUnquam ſane exiſtimaveram futurum, ut hoc genus argumentum ſtylo complecterer. Non quod ab eo abhorrerem, ſed quod rem millies ſcriptam reſcribere nulla me cauſa interna ac domeſtica pelliceret.

2. Pellexit tandem externa. Ea autem talis eſt. Præalti ſunt paſſim clamores Dominorum Germaniæ heterodoxorum, falſo criminantium, *Catholicis ignorari Jus naturæ*, eorumque in ſcholis eam diſciplinam aut totam deſiderari, aut confuſam miſeramque tradi.

3. Nihil eſt facilius, quam reprehenſiones dicere, *Quæ*, ut S. Auguſtinus advertit, *in omnes, qui aliquid docent, à quovis adverſario effundi urbaniſſime ac dicaciſſime poſſunt, etiam à mediocriter erudito.* Lib. de Utilitate credendi. Cur enim ignorantes nos ingeminant, nec, quid ignoremus, docent, nec quid diſcere porro opus ſit? Rationem naturalem DEI munere habemus. Tenemus philoſophorum doctrinas. Gentium hiſtorias legesque didicimus. Ethicæ Politicæque diſciplinam, Jura ſacra atque profana immenſa commentationum vi illuſtravimus, adauximus. Hæc adſunt, inquis, & ipſis? Haud abnuo. Sed quid demum adeo fœde ignoramus? *Sacram*, ajunt, *Scripturam juri naturæ implicatis.* O miſerum ac nebuloſum convitium! & hoc ignorare eſt? Ego vero optem omnes gentes eſſe ita ignorantes. Compreſſis ergo, oro vos, clamoribus ſine cauſa ſublatis, *ſeparatis nugis locorum communium res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione confligat*, peto cum eodem Auguſtino.

4. Acceſſit iis clamoribus, noſtræ phalangis ſilentium & patientia quædam doctorum Catholicorum, illatam hanc ſibi injuriam compoſitis in ſinum manibus ſpectantium, fruſtra gementibus aliis.

5. Complevit Iliadem Nobilium quorundam de noſtris facilitas, qui clamoribus his obtundi aures ſuas paſſi cœpere Juris naturæ diſcendi cauſa ſpectare ſcholas heterodoxas, averſari orthodoxas. Lubet autem ex Nobile tali de ſchola reverſo quærere idem, quod Auguſtinus ex Honorato Manichæorum diſcipulo ſciſcitabatur: nam & hi omnia ſe demonſtrare *ratione ipſa*, Catholicos ignorantes dicere amabant. *Adductus es*, inquiebat, *ut audiendi tibi explorandique viderentur. Qua, quæſo, alia re delectatus es, recordare, obſecro te, niſi magna quadam præſumptione ac pollicitatione rationum? Nihil eſt temeritatis plenius, quam relictis libris*, tanto tempore Juris naturæ, virtutis, ac conſcientiæ magiſtris, *eorum ſententiam requirere ab his qui conditoribus illorum atque auctoribus acerbiſſimum, neſcio qua cogente cauſa, bellum indixerunt:* Cæteraque Auguſtini legenda, quæ his noſtris apprime conveniunt. Cur ô boni nobiles damnatis doctrinam Catholicorum antequam legeritis? alienam amplectimini antequam probaſſetis?

6. Hæc contra primus, quod ſciam, Clariſſimus vir P. *Ignatius SCHWARTZ* Soc. JEſu Profeſſor Ingolſtadii opus ſuſcepit & ſe dignum, & Societate ſua inclyta, & nobili Academia, cujus tum erat membrum, & patria Boica, inter Germaniæ omnes populos ſemper in ſanis dogmatibus principe illibata.

7. Senſi me, fateor, viſo illo viri præclari labore velut demulſum, ſpemque concepi, fore, ut credula nimium gens ſpecioſisque quam ſolidis interdum inclinatior, paulatim reverteretur.

8. Quemadmodum autem illa peſtis non eodem momento nec uno libro vulgata eſt; ita æquum eſt viſum ac congruum, ſi pluribus identidem alexipharmacis expugnaretur.

9. Quamobrem, accedente altiore hortatu, quam ego ſymbolam huc poſſem conferre ſerio cœpi cogitare.

10. Hinc ſane fuit, ut *Larvam Juris naturæ* detrahere iſtorum libris primum molirer, oſtenderemque cum Schvvartzio, larvatos illos perperam gloriari titulo Juris naturæ

turæ à ſe ſcientifice, ut ajunt, expoſiti: eo quod nec principia affigere nec finem, nec modum ſervarunt nec ordinem: quod plurima atque optima plane prætergreſſi, futilia tractarunt, aut ad Jus naturæ male pertinentia: denique quod parum ſecuri ſunt, anſamque abuſuris facilem porrigunt.

11. Supererat, ut demonſtratum facerem, Jus naturæ neque noſtris Doctoribus ullo modo ignoratum ante iſtos, neque ſcholis noſtris etiam trivialibus incognitum, quin longe uberrimum apud nos & extare & palam exponi, ita ut præ his erubeſcendum ſit heterodoxis. *Ne æſtimetur hoc recens eſſe & prius tractatum à Grotio, Puffendorffio cæteriſque; accipiant, quam longe antequam Grotii cæterorumque nomen audiretur, per os Sancti Thomæ, Patrum atque doctorum Jus naturæ ejuſque officia fuerint expreſſa.* Quæ verba prope de integro ex S. Ambroſio mutuo ſumpta titulo hujus libri ſubjunximus. Is ſanctus in *libris Officiorum* Jura naturæ multa & officia ſapientiæ deſcribens, ſollicite per ſingula fere capita reprimit injuriam philoſophorum gentilium, philoſophicorum præceptorum inventionem ſuam eſſe crepitantium. Cujus exemplo pulcrum nobis fuerit, quamquam longe impare paſſu, condocere, quam longe ante quam nomen Lutheranorum aut Calvinianorum aut Honeſtorum puerorum audiretur in orbe, officia Juris naturæ clare pleneque decantata ſint per os ſanctorum Patrum ac Doctorum, Thomæ præcipue Aquinatis.

12. Nihil hic prope meum agnoſco, niſi aliquem ordinem materiæ impoſitum, & verba interdum caute mutata. Cætera omnia in quovis obvio ex iis, quos Caſuiſtas vulgo appellant, proſtant publice, eaque multo copioſiora & accurate.

13. Nullum ipſos inter atque me prope intercedit diſcrimen (excipio ingenii atque doctrinæ vim, qua multum concedo omnibus) quam quod ego *Jus naturæ* appellem, quod illi *Theologiam* dicunt *Moralem*: quæque illi peccata vocant Theologica, ea ego Juri naturæ repugnantia agnoſcam. *Quid eſt enim peccatum, niſi prævaricatio legis divinæ, & cæleſtium inobedientia præceptorum - - - - DEI autem præceptum non quaſi in tabulis lapideis atramento legimus inſcriptum, ſed cordibus noſtris tenemus impreſſum ſpiritu DEI vivi.* S. Ambroſius De Paradiſo Cap. VIII. num. 39. Quid autem magis decet theologum, quam inſectari prævaricationem legis divinæ? aut quomodo ille non eſt Juris naturæ doctor, qui, ut DEO obediatur, id eſt, ut lex naturæ ſervetur, ſedulo docet atque

laborat? *Peccatum*, inquit profundiſſima anima Auguſtinus Libro XXII. contra Fauſtum Manichæum Cap. XXVII. *Peccatum eſt factum vel dictum vel concupitum aliquid contra ÆTERNAM LEGEM. Lex vero æterna eſt RATIO DIVINA vel VOLUNTAS DEI, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans. Quiſnam igitur in homine ſit naturalis ordo quærendum eſt. Conſtat enim homo ex anima & corpore: ſed hoc & pecus. Nulli autem dubium eſt, animam corpori naturali ordine præponendam. Verum animæ hominis ineſt ratio, quæ pecori non ineſt. Proinde ſicut anima corpori, ita ipſius animæ ratio cæteris ejus partibus, quas habent & beſtiæ, naturæ lege præponitur.* Ratio autem aut eſt exlex, aut DEO ſubjecta ſit oportet. Atque hoc pacto peccatum omne denique in DEUM fit: recteque Theologicum, ſeu divina offenſio vocatur: nec debet niſi à Theologis ejus natura dijudicari. Id-ipſum vero quod peccatum Theologicum eſt, eſt contra jus naturæ: *nec ipſe homo contra naturam quidquam facit, niſi cum peccat.* S. Auguſtinus Lib. XXVI. contra Fauſtum cap. III. Vid. *Suarez* in 1. II. D. Thomæ Tract. V. Diſp. I.

14. Hoc igitur Caſuiſtas inter atque me non rei eſt diſcrimen, non doctrinæ, non diſciplinæ: ſed eadem diſciplina quæ à Theologis conſtanter eſt tradita, deſcribitur hic etiam à me. Potuiſſemque librum meum vocare *Theologiam moralem*, quemadmodum illi potuiſſent ſuos appellare *Jus naturæ*.

15. At ego hac uti appellatione malui, quo retunderetur etiam ſic impudentia acatholicorum criminantium, Jus naturæ ignoratum eſſe Catholicis.

Utar enim hoc dilemmate, quo frontem adverſantium peto. Aut ea, quæ hic ſcribo, ſunt jura naturæ: aut neque heterodoxorum illi libri ſunt Jura naturæ. Quia eadem fere officia & ego & ipſi deſcribimus, niſi quod præcipua prætereant ipſi, aliaque multa peccent, hic non repetenda.

Igitur aut aliud Jus naturæ inveniendum eſt, hactenus inauditum inviſumque: aut fatendum, noſtris nec doctoribus nec ſcholis deeſſe Juris naturæ diſciplinam: aut heterodoxi clamores inanes ſunt, falſi, &c, ſi rem dicere oportet, calumnioſi.

16. Quamquam autem quæ ſcripſerint heterodoxi, diximus ſcribi etiam à nobis; at non eadem peccamus. Sic

Sic certa ſpes animusque meus ferebat. Non enim ego hæc excogitavi primus, aut inveni; ſed à majoribus accepi, quos aſinos dicunt iſti novatores, nulla parte illis comparandi.

17. Videbis igitur hic Juris naturæ fontem vivum DEUM; cum illi foderint ciſternas diſſipatas, in miſeriis & vitiis humanis originem juſtitiæ conſtituentes.

Hic videbis aſſertum DEO à natura ſerva debitum amorem, fidem, ſpem, honorem, metum, quem illorum aliqui aut inſuper habent in jure naturæ, aut excludunt penitus.

Videbis Juſti, Honeſti, Decori veras rationes ſtabilitas, quas illi dum diſtinguere conantur, imperite reſecant atque contruncant.

Videbis officia erga ſe ipſum debita juri naturæ reſtituta, quæ aliqui de ſtatione hoſtiliter ejecerant.

Videbis officia Charitatis aſſerta Juri naturæ cum reliquarum choro virtutum, quas illi non ad jus naturale, ſed ad neſcio quod honeſtum à naturali juſto plane ſecretum ablegaverant, pulcherrimo hoc comitatu exuentes ſaluberrimam diſciplinam.

18. Hæcque omnia videbis veteri prolixoque noſtrorum ſtudio ac labore exhauſta. Quam in rem conſulto plurimis in locis adduximus ſcholarum Catholicarum fere principes, S. Thomam, Scotum, Suareſium & paucos alios: adducturi multo plures, niſi facile appareret, tantos duces haudquaquam ſolos in acie conſiſtere, quin exercitum bene numeroſum trahere. Quidquid vero peccatum hoc in opere fuerit, illud omne non magiſtris noſtris Patribus atque doctoribus, ſcholisque dabitur, ſed huic ingeniolo ac tarditati noſtræ.

19. Raro admodum ad comprobandam ſententiam protulimus oracula divinæ ſcripturæ. Non eo ducti errore, ut ſi ſacræ literæ Jus naturæ non ſolidiſſime docerent, ineptæve eſſent ad illud demonſtrandum: ſed ut eorum pravos conatus retunderemus, qui religioſa omnia à Jure naturæ exturbant, quia ſint revelata. Satis ſit, nos hic palam profiteri, juſtitiæ hanc ipſam ſcientiam, quam hic tradimus non aliunde magis, quam ex Sacra Scriptura hauſiſſe. Hanc

ob cauſam non hominum modo inter ſe officia deſcripſimus absque teſtimoniis divinis pulcherrimis: ſed multa prǽterea Chriſtiana de Fide, ſpe, pœnitentia, oratione ſine Chriſti verbis ſtabilivimus; quo luculentius appareret, quamplurima officia nunc Chriſtiana Juris tamen naturæ eſſe ac futura fuiſſe, tametſi nihil de his ſacris eſſet literis exaratum. Quæ rurſus officia Juri naturæ per hoc non eripiuntur, quod divinis oraculis tradita ſunt, ſed multo per hoc arctius eidem naturæ juri vindicantur: quemadmodum ubi Chriſtus juſſit dare cenſum Cæſari, cenſum non abſtulit è jure civili, cum eum intulit divino, ſed magis reddidit, firmum ac neceſſarium. Quid autem Chriſtus rogandis legibus ſuis propoſitum habuerit, ex nemine fidentius quam ex ipſomet intelligemus. Edicit autem ipſe Matth. cap. V. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Quod de lege naturæ eſt intelligendum. Nam poſitivas multas ſolvit revera, ac triumphavit.

Pii Catholici, quamvis nihil ipſis ſit dulce, ubi Chriſtus non perſonat, hoc tamen mihi facile donabunt: quippe aliunde ſuppleturi, quod hic deſideratur. S. Thomas nullam fere decrevit de moribus ſententiam, quin ſacris eam literis muniret. Plenus harum eſt etiam Catechiſmus Romanus ſeu Concilii Tridentini. Nos enim Chriſtiani etiamſi jura naturæ poſſemus aliquo modo ex Platone diſcere, aut Ariſtotele, Cicerone, Seneca ac legibus publicis; malumus tamen ea haurire ex fonte proprio literisque vere divinis; quippe in quibus jura naturæ incomparabiliter clarius, accuratius, plenius, certius, tutius, ſuavius una atque gravius expoſita ſunt, quam in omnium profanorum ſeu libris ſeu moribus.

20. Styli neglectum ut hic excuſem, puerile nimis viſum. Qui theſauros effodiunt non ob id ſarculis utuntur aureis ſed ferreis, inveniſſe contenti. Theſaurus Jus naturæ: Foſſor ego: ſarculum argumenta: ſtylus ferrum aut forte lignum.

21. Sicui forte videbor ego cum heterodoxis interdum de verbis contendere, hunc ego monebo, ut uſum verborum, non ſonum ſpectet aut ſyllabas. Nec unquam inſectari mihi vocabula venarique libet. *Commoda* dicantur an *bona*, *jus* an *fas*, aliaque id genus. At ubi pronum eſt ex verbis trahere conſecutionem malam, ac noxiam, vel ancipitem, tum vero connitendum pugnandumque

que eſt, ne etiam ſermonis conſuetæ rationes demutentur. *Liberis verbis*, juxta S. Auguſtinum, *loquuntur philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.* Lib. X. Civit. Cap. XXIII. Neque poſtrema fuit heterodoxis cauſa, cur in abſurdos tot errores & labyrinthos inciderent, quam quod relicto uſu diſputationum moralium cœpere novare ſermones, ex quibus propinquus fuit ad res quoque pervertendas tranſitus; accedente cumprimis quadam in novis defendendis pervicacia. Nunquam forte Hobbius nunquam alii tam abſurda ceciniſſent, niſi novis ſermonibus ſe voluiſſent facere inſignes: qui nemini in moralibus quidem ac divinis tolerantur, niſi ei, qui divinam in ſe virtutem oſtenderet; qualem nos in larvatis iſtis perſpectare adhuc non potuimus.

22. Ad ultimum occurrere neceſſe eſt gravi in ſpeciem interceſſioni, quam ſubodoro ſeu à Catholicis ſeu ab Acatholicis faciendam. Si hic, inquiunt, deſcripta à te (ſive tua ſint illa ſive ſcholarum) ſunt officia Juris naturæ; cur ſæpe tu à ſchola, ſæpe ſcholæ inter ſeſe diſſident de his ipſis officiis; cum Jus naturæ ſit æviternum inevitabile?

Reſpondeo primum Heterodoxis Juris naturæ Doctoribus. Si nos Cethegos exiſtimant, quid incuſant ipſi Catilinæ cum ſint? Videant id manticæ, quod in tergo eſt. Quam belle ipſis conveniat, ſaltem aliquousque in *Larva detracta* delineatum meminimus.

Reſpondeo demum etiam infirmis Catholicis: Jus naturæ in ſe ipſo immobile eſt & ineluctabile, quippe ipſum DEI dominium, ipſa hominum ſervitus. Solvi iſthæc, aut horum alterutrum non poſſunt. In his ergo qui diſſident, à Jure naturæ velut à toto cœlo aberrant, ut heterodoxis evenit. Deinde quædam decreta à fatali hac lege proxime promanantia, inconcuſſa manent etiam ipſa; tamque ſunt præterea manifeſta, ut nullius hominis fugere poſſint conſpectum, à quibus adeo diſſentire à Jure naturæ excidere eſt. At ſunt infinita decreta à primis remotiora, quæ per multos ſæpe anfractus ad peculiare aliquod officium denique deducuntur. In his qui evidentiam nobis imponerent, juberent nos deos non homines

eſſe, nec nebulis carnis circumfuſam habere mentem: juberent neminem quidquam vel minimum latere: juberent denique quamvis mulierculam aut puerum quovis Platone eſſe in negotiis omnibus perſpicaciorem. Non enim poſſunt remota ac proxima æque cerni. Qui pomum carpit, haud dubie radicem agnoſcit: quo vero ambitu è radice prorepant poma, vix pauci tenent.

Fieri igitur poteſt, ut in his remotis inter ſe diſſentientes doctores neutri tamen à Jure naturæ deſciſcant, quippe per varios ſurculos diducto. Atque ut rem alio ſimili exponam, idem hic quod in coloribus, quod in elementis, quod in cæteris mortalibus, evenire ſolet. Qui Combinationis admirabiles leges intelligit, inficiari nequit, quin ex rebus ſolummodo duabus innumeræ appareant ſpecies. Colores phyſici primigenios agnoſcunt duos, album ac nigrum, ſeu potius lumen ac umbram. Horum mixtione fit cærulum. Cœrulum eſt modi non unius ſed multiplicis ſane; nullum tamen non cærulum. Eadem mixtione fit viride, eadem flavum, eadem rubeum: quorum nullum non eſt color. Colorum porro inter ſe fines admodum ambigui. Nam & viride cæruleo, & viride flavo, & flavum rubro, & rubrum nigro ſæpe eſt ſimillimum.

Quodſi tanta eſt in elementis varietas, cum elementa ſint certiſſima, par eſt exiſtimare, multis modis majorem eſſe varietatem rerum à ſenſu hoc craſſo alienarum. Qua ratione adactus D. Thomas acutiſſimus non dubitavit adfirmare, ſpiritualium creaturarum longe eſſe majorem varietatem ac multitudinem, quam craſſiorum.

Cæterum hanc in rem oportunum erit conſulere ea, quæ nos in libro ipſo diſſerimus Cap. III. Them. II. & XXIII. Cap. VII. Them. VI. VII. IX. & in *Larva Detracta.*

Sanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ judicio omnia hic & ubicunque à me ſcripta pronus ſubjicio.

INVI-

INVITATIO.

Quoniam tanta contentione Auctoritas æque divina, atque humana excluditur à principiis agnoſcendi Juris naturæ: ego quidem, objectionibus coactus reſpondere, prolixum de hoc ſermonem feci, tam in Larva detracta, quam in hoc Juris naturæ tentamine. Sed, ut parcere liceat ulteriori labori meo, & lectorum otio, viſum eſt hic problema ſolvendum exponere iis, qui in adverſa ſunt ſententia.

Problema.

Demonſtrari peto ex SOLA RATIONE; *num detur obligatio moralis juris naturæ, ne Pater occidat proprium filium; ita ut hujus obligationis cognitionem* NEC DIVINA NEC HUMANA AUCTORITAS *juvet.*

Rationem autem voco connexionem metaphyſicam cauſarum intrinſecarum, in quarum agnitionem nulla auctoritate penetraveris.

Auctoritatem volo ex parte DEI duplicem: præcipientem & docentem: ex parte autem hominis, ſi non præcipientem, ſaltem docentem.

Quodſi hoc problema ſolverint, ſupererunt innumera alia multo difficilius ſolvenda. Si hoc tam facile problema non ſolverint ex *ſola*, ut diximus, ratione, ſpero ab illis mihi parſum iri, ne in multas diſputationes ea de re porro trahar. Valde enim optarem à diſceptationibus liberum calamum ad alia quædam adhibere, quæ mihi videntur paulo utiliora eſſe.

Hoc addo, Juris naturæ agnitio debet eſſe *hominibus omnibus* poſſibilis; niſi fingas, alios Jure hoc vivere poſſe ac debere, alios nec poſſe nec debere. Impoſſibile autem eſt, omnibus hominibus *ſola* ratione agnoſci Jus naturæ. Igitur *ſola* ratione non debet agnoſci Jus naturæ. Qui *minorem* probatam volet, legat librum J. Th. C. Profeſſoris de Philoſophiæ Wolfianæ conſenſu cum Theologia Franof. 1737. in 8. ubi in ingens chaos

chaos præcipitatum ſe lector etiam non indoctus ſentiet. Taceo quam fœde in ipſo limine impingat, cum rationem ſeu conſcientiam ſui pro principio ſtabilire volens adducit verba Strabonis hæc: *Cupidus cognitionis eſt homo: Ad QUAM REM FABULARUM STUDIUM EI ADITUM PARAT: Hinc namque incipiunt pueri audire, & magis magisque ſermonibus auſcultandis vacare.* Ubi non advertit, à Strabone auctoritatem pro aditu cognitionum omnium ſtatui. Pejus hallucinatur in §. 8. ubi principium Carteſianum: *Cogito: ergo ſum*, ſine ulla alia probatione applicat ad Lutheranum dogma ſtabiliendum: *Cogito, me fidem in Chriſto firmam habere: Ergo convictus ſum de ſalute mea æterna*; tam certo, quam quilibet eſt de ſua exiſtentia. Infinita prope ſunt hujus hominis adverſus rationem ipſam, quam propugnat, peccata, ut peſſime de ea meritus fuiſſe dici poſſit. Quam venuſtum enim hoc eſt: Cogito: ergo ſum: Igitur etiam Cogito me juſtum: ſum ergo juſtus. Quin, cogito me juſtum: ergò ſum phyſice certus de æterna beatitudine. Id ſi valet, dicemus: Cogito me eſſe regem: ergo ſum rex: cætera quoque quæ vel Catones rideant.

Infelix genus mortalium! Rudes debent ſequi Doctos Docti debent ſequi rationem *ſolam*. Ratio ſola infinitis doctorum tricis circumjactatur & talia monſtra parit. Quid ſupereſt, niſi ut totum genus humanum in re unice ac ſola neceſſaria (nempe in vita juſta) perpetuo fluctuet.

ELEN-

ELENCHUS

CAPUT I.

Qualis debeat eſſe juris naturæ doctor.

Thema I. PRimo debet declarare vim vocabulorum, quibus utetur. *fol.* 1

II. Ideas non debet confuſe ſumere, debet eſſe Philoſophus. 1

III. Sciens, quid ex quo inferri poſſit, ſecus eſt ſophiſta. 1

IV. Debet habere bonum ſibi propoſitum finem, non ſpiritum novandi &c. 1

V. Debet eligere vera media: id eſt non *valde* ſubtilem ſpeculationem: non lubrica principia, ut eſt abſtractio à DEO, amor commodorum præſentis vitæ. 1

VI. Debet ducere non ad quæcunque ſimpliciter bona, ſed ad optima in ſuo genere. 2

VII. Debet eſſe *cautus*, ne bonis admiſceat mala. 2

VIII. Debet amare diſcipulum ejusque ſtatum. 2

Admonitio S. Thomæ Aqu. 2

CAPUT II.

Explicationes. Quid Jus? quid natura? Principium Juris naturæ, Voluntas DEI.

1. 2. 3. JUs varie accipitur. *fol.* 3. 4. &c. Active eſt Juſſus ſuperioris: paſſive obſequium inferioris. 3

10. &c. Natura non eſt à rebus diſtincta. 3

12. Omnis natura ſenſu perceptibilis eſt mutabilis. 3

13. Ideo contendunt ſe invicem mutare. 3

14. Non poſſunt tamen invicem annihilare &c. 3

15. Productiones iſtarum, ſunt mutationes. 3

16. Minima pars productionis poteſt adſcribi producenti tali. 3

17. Nulla harum poteſt ſervare ſeſe. 3

18. Nec in quodlibet mutare. 3

19. Nec ſibi dare eſſe. 3

20. Nec plane de novo quidquam producere. 3

21. Hinc ſequitur eſſe aliquid iſtorum pugnantium limitativum, directivum, conſervativum, dominum &c. 3

22. Nec poteſt dici, ſpecies diverſas rerum initio deſcendiſſe ex una ſpecie illarum, cur enim nunc non fit idem. 3

23. Si ſingulæ hæ ſpecies initio fuerunt, ut ex iis tantum individua deſcenderent; habebant tamen aliam originem, cum non ſint limitativæ ſui ipſarum. 3

24. Caſul, qui nihil eſt, nihil poteſt adſcribi. 3

25. Si caſus ſunt ipſæ res, is qui dicit, res caſu eſſe, dicit eas ex ſe ipſis eſſe. 3

26. Si olim potuit res à ſe ipſa eſſe, cur jam non? 3

27. Etiam proceſſu infinito admiſſo ſpecies habet ſui cauſam: ut veſti-

gii ab æterno exiſtentis cauſa eſt pes. 4
28. In proceſſu etiam infinito omnia individua habent eſſe participatum & limitatum. Si enim unus illorum hominum habuiſſet eſſe imparticipatum per ſe, ſeu eſſentiale; cur alii non habent, æque homines ? 4
29. Si ille eſſe imparticipatum ac neceſſarium habuiſſet per accidens : ergo accidit ei *aliunde*? aut ipſum neceſſarium eſt per accidens ? 4
30. *Concluſio.* Exiſtit cauſa per ſe, cæterarum naturarum productiva, limitativa &c.
31. Hæc eſt eſſentialiter domina; adeoque creatura eſſentialiter ſerva.
☞ Et hoc eſt *Jus naturæ.* 4
32. Igitur Jus naturæ eſt divinum, æternum, immutabile quoad ſe. 4
33. Omnis ſuperioritas aut jus creaturæ, eſt participata ab origine hac Domina. Omnis ſubjectio creaturæ ultimo neceſſario refertur in illam. 4
34. Jus naturæ ſtringit omnes creaturas. quamlibet pro modo participationis. 4
35. Aliæ ſerviunt *Phyſicè* ſine reflexione, quam non participarunt. Aliæ *moraliter* cum reflexione, quia illam participarunt. 4
36. Servitus hominis utriusque eſt generis. & 37. Moralis quidem eſt major. 4
38. *Corollarium.* Infeliciter docent jus naturæ, qui de divinis abſtrahunt, aut parce tractant, aut ea poſtponunt. &c: 4

CAPUT III.

De Principiis cognoſcendi Juris Naturæ.

Præmonitio De duplici principio indicativo nempe *agnoſcendi ac dignoſcendi.* explicatur. *fol.* 5
Thema I. Dominus ſervo neceſſario ſignificat ſeu promulgat juſſum ſuum ſeu voluntatis decretum. 5
II. Hæc ſignificatio non neceſſario debet eſſe *evidens* ad omnia particularia. Dominus omniſcius poſſet talem facere, ſed ſervus non poſſet recipere, niſi pariter omniſcius. 5
III. Igitur ſervi eſt, *inquirere,* & ad aliquam certitudinem contendere. 5
IV. Veritates morales detegimus per *analogiam* ſeu proportionem aut ſimilitudinem ad alia certa. ſic ex viſibilibus viſibilia, ex creatis increata agnoſcuntur. 5
V. Analogiam conſtituimus in comparatione Dominii participati erga imparticipatum. 5
VI. Ex novem mediis vel ſignis ſervus poteſt intelligere voluntatem Domini. Ex loco; inſtrumentis: conſervis; conſervorum directoribus; ſcriptis; voce domini generatim; teſtibus de voce hac; retributione præmii & pœnæ; voce domini arcana. 6
VII. Homini omnia iſta adſunt, quia eſt in mundo non ſuo ſed alterius. 6
VIII. Quia habet inſtrumenta ad hoc potius quam aliud idonea. 6
IX. Videt conſervorum exempla. 6
X. Audit monita conſervorum, & qui inter hos meliores ſunt. 6
XI. Exſtant ei tabulæ ſcriptæ. 6
XII. Edita illi fuit Domini vox. 6
XIII. Teſtes illam vocem promulgarunt in omnem terram. 6
XIV. Caſtigationes & præmia apparent. 6
XV. Adeſt ſæpe vox arcana, ſeu ſpecialis inſpiratio. 7
XVI. Horum ſignorum quædam ſeorſim poſſunt eſſe *ambigua*: etiam ſimul non ſunt ſemper *evidentia*: ſunt tamen *certa* ſigna. 7
XVII. Omnes novem viæ reducuntur ad duas, *Rationem* & *Auctoritatem*, quas perpetua experientia probat. Sine auctoritate homo nihil diſcit. Ratio acutior perplexitatibus obnoxia eſt, & facilius corrigitur per auctoritatem, quam hæc per illam. Auctoritas latius patet & ultra rationem, non contra. Homines ratione inæqualiter præditi ſunt, auctoritate poſſunt æqualiter dirigi. 7
XVIII. Ex huc uſque dictis deteguntur perverſa principia larvatorum juris naturæ ſcriptorum, qui auctoritatem rejiciunt &c. 8
XIX. Non eſt *NECESSE*, jus naturæ diſcere ex *ſola* ratione. Quia re ipſa fere omnes diſcunt ex auctoritate. 8
XX. Nec eſt *UTILE*, cum diſcipuli obruantur &c. 10
XXI. Nec eſt *moraliter POSSIBILE.* Qui tota vita ſua nunquam utetur

au-

Google

auctoritate iuſtruentium, non niſi per miraculum poteſt aliquid addiſcere. *fol.* 12

XXII. Eſt *NOXIUM* pro ſtatu moderno, quia aperitur janua ſpiritui privato, libertiniſmo. 13

XXIII. Etiam admiſſa ſola ratione fruſtra laborant, qui omnia dogmata volunt reducere ad *unum principium primum morale ſpeculativum.* Quia moralia ſunt particularium & contingentium, nec deducuntur ex uno univerſali ſpeculativo, ſed referuntur ad unum finem practicum &c. 15

XXIV. Auctoritas & Ratio vera ſunt media indagandi Juris naturæ, experientia perpetua teſte. 16

XXV. Auctoritas DIVINA cognita prævalet omnibus. Eam obſcuram interpretatur auctoritas *ECCLESIÆ* in veritatibus etiam moralibus. Sequitur auctoritas *publica LEGUM HUMANARUM.* Inde *publica MAGISTRATUUM.* Tum *privata PARENTUM*, Doctorum &c. Ultimo *RATIO PROPRIA.* Rationum omnium moventium præcipua & unica eſt *FINIS HOMINIS.* 21

XXVI. Principium *Dignoſcendi*, ſeu practicum quale ſit. 25

CAPUT IV.

De Fine hominis; & Juris naturæ.

Thema. I. INtentio finis ultimi maxime diſtinguit hominem à brutis. *fol.* 26

II. Intentio finis ultimi eſt libera, non tamen *omnino* in poteſtate hominis: cum non poſſit velle malum, niſi ſpecie boni. 26

III. Finis alius proximus alius ultimus. 26

IV. Humanæ naturæ finis proximus per ſe intentus non eſt ipſe homo, nec aliquid ejus, nec totus mundus. Quia homo eſt mobilis, mobilia non terminantur in ſe ipſis. 27

V. Humanæ naturæ finis tam proximus, quam ultimus non eſt ulla creatura: quia in his non terminatur omnis appetitus hominis. Docet experientia perpetua. 28

VI. Finis ultimus hominis eſt verum ſummum bonum ut terminus omnium virium ejus. Alias fruſtra haberet appetitus ſummi, & media ad illud. Nec datur in finibus proceſſus in infinitum; alias nullus finis moveretur medius. 29

VII. Jus naturæ non habet alium finem proprium quam ipſa natura humana; cum hæc ſit regulatum, illa vero regula. 31

VIII. Naturæ autem humanæ proprius finis eſt ipſe DEUS. 31

IX. Igitur DEUS etiam finis proprius eſt Juris naturæ. 31

X. Objectio de Jure Civili. 32

XI. Neque objiciendum: DEUM eſſe finem Religionis aut Theologiæ; ergo non Juris naturæ. Quia Religio eſt pars Juris naturæ. Et Theologia practice ſumpta eſt ipſum jus naturæ. 32

XII. Lex naturæ participata, Seu quantum ineſt homini, eſt medium ordinarium, Generale, naturale, & per ſe proximum, quo natura humana ducitur ad ultimum finem DEUM ut naturaliter appetibilem: per accidens poteſt turbari, aut infirmari, & explicatur copioſe. 35

CAPUT V.

Quod ſit præceptum legis naturæ ex præmiſſis ſignis agnitum?

Thema I. TAle præceptum non eſt: *Conſerva te ſolum.* Nec: *Socialiter tantum vive cum hominibus propter commoda hujus vitæ.* Nec. *Patrem æternam cole*: & alia ejuſmodi. 36

II. Præceptum Juris naturæ omnium optime promulgavit Chriſtus: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto &c. Proximum autem ſicut te ipſum.* 36

CA-

CAPUT VI.

De requiſitis ad obſervationem legis naturæ, ejusque transgreſſione.

Thema I. Bonitas *naturalis* conſiſtit in applicatione facultatis naturalis ad finem ei proprium. *fol* 37

II. Actio *humana* eſt, quæ ex deliberata voluntate procedit, actio *hominis*, quæ ſine deliberatione. 37

III. Bonitas *moralis* conſiſtit in habitudine actionis *humanæ* ad ſuam perfectionem ſeu finem ultimum. 37

IV. *Deliberatio* exit à *voluntate*, dirigitur à *ratione*, verſatur circa *objectum*, tranſit per *circumſtantias*, & tendit *ad finem*. Et hæc quinque ſi à lege æterna non diſcordent, actio erit moraliter bona; non bona, ſi vel unum defecerit. 37

DE RATIONE.

V. Ratio hic ſumitur pro facultate & actu cognoſcente verum &c. Cui opponitur *ignorantia* primum invincibilis vel *antecedens*. 37

VI. Ignorantia *conſequens* ſeu voluntaria eſt culpabilis, craſſa, affectata. 37

VII. *ERROR* rationis ligat conſcientiam, quia per hunc aliquid proponitur *ut* præceptum. 38

VIII. Actio tamen ex hoc errore procedens non eſt bona, quia ignorantia eſt conſequens. 38

DE VOLUNTARIO.

IX. Voluntarium directe, procedit à voluntate movente ſe ad hoc. 38

X. Voluntarium indirecte, procedit à voluntate omittente quod debet. 38

XI. Voluntarium in cauſa eſt id, quod per ſe ſequitur ex alio volito. 38

XII. Actus *imperatus* per vim externam coactus eſt involuntarius. Actus autem *elicitus* non ſubjacet coactioni. 38

XIII. *Metus* facit involuntarium ex parte. 38

XIV. *Concupiſcentia* non facit involuntarium. 38

XV. *Paſſio* præveniens deliberationem facit involuntarium, & inculpabile. 39. De motu *primo-primo*.

XVI. Appetitus animæ recte dividitur in *Superiorem* & *inferiorem*. 39

XVII. Quid Delectatio moroſa? 39

XVIII. *Conſenſus* eſt actus rationis ſuperioris. 39

XIX. Violentia non habet locum in actibus internis. 40. Nec DEUS præmovens voluntatem, facit vim.

XX. Hactenus dicta pertinent ad *forum poli* ſive DEI quod eſt *forum Juris naturæ*. *Forum fori* ſeu externum de vi, metu &c. ſequitur regulas externas, præſumptiones &c. 40

DE OBJECTO.

XXI. Objectum materiale & formale quid? 40

XXII. Objectum materiale & formale actus humani. 40

XXIII. Objectum ex genere ſuo *malum* eſt, quod eſt indirigibile ad finem ultimum. 40. Item de *bono* & *indifferente*.

XXIV. Actus ex genere bonus dicitur, qui habet objectum ex genere bonum &c. 40

XXV. Actus ex genere bonus poteſt in individuo fieri malus ex circumſtantiis, fine &c. 40

XXVI. Actus ex genere malus non poteſt fieri bonus niſi per ſuperiorem legem. 41

XXVII. Actus ex genere indifferens Poteſt fieri bonus vel malus. 41

XXVIII. Actus ex genere indifferens, in individuo non poteſt manere indifferens. 41

DE CIRCUMSTANTIIS.

XXIX. Circumſtantiæ conſtituunt ſpeciem moralem, in quantum habent ſpecialem ordinem rationis ad legem. 41

DE FINE.

XXX. Actio nullo fine propoſito non eſt humana. 41

XXXI. Actio ex cæteris bona fit mala per finem malum, non referibilem ad ultimum. 41

XXXII. Finis bonus, ſi cætera inordinata, non facit actionem bonam. 41

CA-

CAPUT VII.

Alia Prolegomena de Lege naturæ.

Thema I. Lex naturæ *Originaria* eſt DEI æternus juſſus. *Participata* eſt ratio juſſum DEI dictans. *fol.* 42
II. Lex æterna omnibus ratione utentibus eſt aliquo modo nota. 42
III. Ei omnia creata neceſſaria & contingentia ſubſunt. 42
IV. Ei ſubſunt boni & mali, in hac & altera vita. 42
V. Omnes actus virtutum ſunt de lege naturæ quantum ad genericam rationem. 42
VI. Lex naturæ quantum ad prima principia eſt eadem apud omnes. 43
VII. In concluſionibus autem deducendis poteſt deficere tam quoad notionem, quam quoad rectitudinem. 43
VIII. Lex naturæ imparticipata eſt immutabilis *in ſe*, objecta ſunt mutabilia. 43
IX. Lex naturæ participata eſt immutabilis quoad prima ac generalia. 44
X. Eadem tamen eſt mutabilis quoad ſecunda ex primis deducenda. 44
XI. Lex *Poſitiva* differt à naturali ut Status adventicius à naturali: ſeu ſcripta, ſit ſeu conventionalis &c. 44
XII. Lex ſeu *jus Gentium* eſt lex humana. 44
XIII. Lex humana ut juſta ſit, debet eſſe conformis legi naturæ, ordinata ad bonum commune, lata ab habente poteſtatem. 44
XIV. Lex humana juſta obligat in foro poli, ſeu conſcientia. 45
XV. Lex mere pœnalis. 45
XVI. Præcepti & legis an quod diſcrimen? 45
XVII. Homo in ſtatu naturæ corruptæ moderno non poteſt ſervare totam legem naturæ *mediis* ordinariis; ſed indiget *remediis* ſanativis & confortativis. 45
XVIII. *Gratia* & *Auxilium* ut differant? 45. quæ ejus vis, quæ neceſſitas.
XIX. Honeſtum eſt idoneum ultimo fini. 46
XX. Utile eſt idoneum ſummo bono. 47
XXI. Decorum eſt ordinatum ad ſummam pulchritudinem. 47
XXII. Juſtum eſt ſubordinatum ſummo Domino. 47
XXIII. Juſtum, honeſtum, decorum, utile reipſa ſunt idem. 47
XXIV. Altercationes de hac diſtinctione ut componendæ? 48
XXV. Doctrina juſti & honeſti male diſtincta & applicata, perturbationes genuit in diſciplina Juris naturæ Origo probabilis *Liberorum Murariorum.* 48
XXVI. De Juſtitia Univerſali & partiali. 50

DE OFFICIO ERGA DEUM.

CAPUT VIII.

Specialia præcepta juris naturæ de DEI Notitia fol. 51

Thema I. Generale criterium totius legis naturæ eſt *Neceſſitas agnita major vel minor præſtandæ ſervitutis humani generis ad ſummum Dominum* 51
II. Obligatur homo tendere ad notitiam DEI. 51
III. Itaque eſt obligatus uti mediis ad hoc idoneis. 51
IV. Medium primum ordinarium eſt auctoritas humana oralis. 51
V. Alterum ſenſus communis hominum. 51
VI. Tertium ratio naturalis applicata. 51
VII. In uſu rationis circa divina evitandus *Pyrrhoniſmus* & *præſumptio.* 52. nec ſola ratio ſufficit.

VIII. Medium quartum *revelatio.* 52
XI. DEUM eſſe tam ratione demonſtrabile eſt, quam fide divina credendum. 52
X. Quamvis divina aliqua revelata ſint, manet tamen obligatio juris naturæ ad iis cognitis aſſentiendum. 53 late probatur.
XI. In Agnitionis DEI æque ac fidei negotio prima eſt Auctoritas, ſecunda ratio. 54. explicatur. *Lamindus Pritanius.*
XII. Vane objicitur: Revelata ſunt ſupra naturam: ergo non poſſumus aſſentiri. Nam non ſunt omni modo ſupra naturam &c. 60
XIII. Jure naturæ tenemur cavere ab his, quæ DEI agnitioni adverſantur, aut eam impediunt, ut ſunt diſputationes temerariæ, libri athei, Jus naturæ larvatum, DEUM abnegare &c. 60. oſtenditur ex Platone.

CAPUT IX.

De Officiis ſpei in DEUM.

Thema I. JUre naturæ illicitum eſt ſpem ſummam ponere in ſeſe, aut qualibet creatura, aut fortuna, fato. *fol.* 61
II. Jure naturæ qualecunque bonum principaliter à DEO ſperandum. 61
III. Jure naturæ tenemur à DEO ſperare non tantum hujus vitæ bona, ſed & alterius. 61. ex Platone.
IV. Deſperatio erga DEUM eſt contra naturam. Huc ſpectant Athei, animam immortalem negantes, Epicuræi ſemet occidentes, Dæmonem ſollicitantes &c. 62
V. Juris naturæ eſt poſt peccatum pœnitentiam agere ac veniam ſperare. 62. Ex Philoſophis & Gentium hiſtoria.
VI. Non tamen poteſt naturaliter obtinere veniam 64. Caute hic agendum, ſentiendum, ac dicendum.
VII. Jure naturæ tenemur in tentatione petere auxilium ſummi Domini. 65. ex Platone &c.

CAPUT X.

De Officiis Amoris ergá DEUM.

Thema I. AMor eſt *Concupiſcentiæ* aut *Benevolentiæ.* *fol.* 66
II. *Intenſivus* aut *Appretiativus.* 66
III. Juris naturæ eſt amare DEUM ſuper omnia amore concupiſcentiæ & Benevolentiæ. 66
IV. Homo in ſtatu naturæ integræ non indiguit gratia gratuita ad DEUM ſuper omnia diligendum ut auctorem naturæ: bene tamen auxilio ordinario debito. 67
V. DEI amor naturaliter debitus eſt ſummus appretiative. 67
VI. Diligendus DEUS in tota latitudine objecti & ſubjecti. 67
VII. Intenſio amoris DEI non poteſt eſſe abſolute ſumma, ſed reſpective. 67
VIII. De eodem, cum cautela. 67
IX. Præceptum amoris DEI actualis eſt affirmativum. 68
X. Tenetur homo ſæpius ad actualem amorem DEI. 68
XI. Terribiliſſimum contra naturam peccatum eſt odium formale DEI. 68
XII. Amor DEI fit ſupernaturalis ex puro gratuito dono DEI, per ordinariam providentiam indebito. 68 Gratia tamen acceptâ homo uti tenetur jure naturæ.

CA-

CAPUT XI.

De DEI timore, honore, cultu &c. ex jure naturæ.

Thema I. GRatitudo DEO naturaliter debita eſt. *fol.* 68

II. Naturale eſt, ſigna gratitudinis etiam exteriora edi: arbitrarium autem quæ & qualia, ante revelationem: non item poſt hanc. 69

III. DEO honor exhibendus interne & externe. 69

IV. Honori DEI repugnantia jure naturæ prohibita ſunt, ut Superſtitio, contemptus, Tentatio DEI, blaſphemia, Juramentum non veſtitum requiſitis, voti violatio &c. 69

V. Externa ratio religionis naturaliter eſt arbitraria: ſed non in ſtatu adventitio. 70

VI. Naturaliter DEO debetur Timor. 70

VII. Filialis timor debetur, & mixtus cum ſervili. 70

CAPUT XII.

Reflexiones ſupra officia hominis erga DEUM.

Thema I. NOn nimia præcepta hactenus indicata. *fol.* 71

II. Nota Juris naturæ perperam ſcripti eſt, error commiſſus aut defectus in his officiis. 71

III. Id peccarunt multi Heterodoxi Juris naturæ ſcriptores. 71

IV. Quorum conatus adverſus religionem per latus Auctoritatis tendit. 71

V. Maxime contra religionem Catholicam. 72

VI. Tutius eſt in his officiis addiſcendis ſequi SS. Patres, quam Puffendorffiom, Thomaſium &c. at in tali negotio tutior pars eſt eligenda. 73

VII. Athei, Naturaliſtæ &c. hæc officia male pro indifferentibus habent. 74

VIII. Hæc officia cognoſcuntur quidem naturaliter; ſed longe impari effectu, quam ſi ex S. Scriptura diſcantur. Igitur Scriptura non excludenda ex Jure naturæ etiam gentibus tradendo. 74

IX. Deplorandi, qui nos vetant officia erga DEUM diſcere ex verbo DEI agnito. 75

DE OFFICIIS ERGA SE IPSUM.

CAPUT XIII.

Fundamenta officiorum erga ſeſe.

Thema I. NUllum datur hominis officium *pure* erga ſe ipſum, ſeu non aliò relatum. Quia homo eſt ens reſpectivum non abſolutum. *fol.* 75

II. Jure naturæ tenetur homo omnes facultates ſuas ita impendere, ut aut directe aut indirecte reſpiciant finem à ſuo Domino propoſitum; etiam liberum arbitrium, quia etiam hoc non eſt niſi *participatum.* 75

III. Ille deeſt officio, per quem ſtat, ne habeat ea, quæ homini propria ſunt; aut ut habita perdat. 76

IV. Si talia ſunt neceſſaria moraliter, culpa erit gravis illa impedire aut perdere. 76

V. Uſus vel non uſus facultatum propriarum culpabilis eſt aut inculpatus ex relatione ad finem. 76. add. ſupra Cap. VI.

* Tabula ſeu Schema officiorum hominis erga ſe.

IV. Officium urga ſeſe duplex eſt, alterum *CONSERVATIONIS*, alterum *USUS* & exercitii 77

Digitized by Google

VIII. Nimium ſtudere rebus abſtruſis non neceſſariis & inutilibus, vanis, ludicris, eſt juri naturæ adverſum ex Cicerone. 84
IX. Hactenus dicta intelligenda ſunt etiam de non uſu vel abuſu aliarum facultatum. Quid juventuti attendendum, ut ab hoc vitio ſit libera? 84
X. Juri naturæ repugnat *Superbia*. Retunditur miſera ſapientia Stoicorum & Machiavelli. Ex Platone. Superbiæ remedium: ejusdem filiæ. 85
XI. *Avaritia* juri naturæ contraria, cum filiabus ſuis. 86
XII. *Luxuria* itidem. 87
XIII. *Gula* quoque. 87
XIV. *Acedia*. 88
XV. *Vanitas* ſeu Vana gloria & Vana lætitia: quæ hac ætate invaleſcens deperitur. 88
XVI. Juris naturæ officium eſt adlaborare, ut omnibus vitiis hactenus indicatis contraria fiant. 91 Nempe *Prudentia*, *Temperantia*, Fortitudo cum partibus ſuis, pertinent ad jus naturæ.

OFFICIA HOMINIS ERGA HOMINES.

CAPUT XVII.

Fundamenta omnium officiorum erga hominem.

Thema I. Nullum datur officium hominis pure erga hominem, quod non ulterius referatur. *fol.* 93
II. Officia hominis erga hominem non naſcuntur ex alio fundamento, quam ex quo naſcuntur officia erga DEUM & ſemet. 93
III. Omnia officia erga alium hominem rigoroſe ſunt officia Status adventitii, non primigenii. 93
IV. Sicut Societatis humanæ principium non eſt ipſa ſocietas, ſed ens dominum: ita ſocietatis finis non eſt ipſa ſocietas ſed ens ulterius. 94
V. Quidquid homo ſibi debet tanquam ſervo DEI, id *ſecundo loco* debet alteri homini tanquam conſervo. 94
VI. Diſtinctio inter officia *Abſoluta* & *Hypothetica* ſervanda eſt. 94
VII. Omnia officia ſocietatis proprie ſunt hypothetica: poſſunt tamen quaſi abſoluta haberi ea, quæ homini debentur ut ſervo DEI. 94
VIII. Officia ſocietatis ex conſenſu orta ſunt proprie hypothetica, nec debent tractari ab eo, qui profitetur jus naturæ purum abſtractumque à reliquis diſciplinis: ſed pertinent ad jus artificiale, civile, gentium &c. 95
IX. Officia tamen etiam hypothetica fundamentaliter ſunt officia Juris naturæ. 95
X. Scribens jus hypotheticum aliud quam quale uſu receptum eſt, poteſt pro oblectamento legi, non pro fundamento vitæ ſocialis inſtituendæ. 95
XI. Scribens jus hypotheticum non confictum ſed uſitatum non poteſt abſtrahere ab uſu & moribus omnium gentium. 95
XII. Officia juris naturæ erga alium poſſunt dividi in *Perfecta* & *Imperfecta*, ſi intelligitur major & minor urgentia: non vero ſi per imperfecta intelligitur tantum honeſtum ut contradiſtinctum juſto naturali. 95
XIII. Præceptivum ac permiſſivum jus ad idem ſpectat. 96

CAPUT XVIII.

Officia Generalia hominis in hominem.

Thema I. Generaliſſimum hoc eſt, ut per nos non ſtet, quo minus ſummus Dominus ſervo ſuo ejusque ſervitio fruatur. 96
II. Hinc fluit obligatio non auferendi de medio totum ſervum ſeu hominem. 96
III. Obligamur conſervo non adimere

ſed conſervare inſtrumenta ſervitutis ſuæ. 96
IV. Nec eum impedire ab his acquirendis. 96
V. Neo impedire in uſu facultatum bono ſeu ad finem ultimum idoneo. 96
VI. Impedire autem ab abuſu. 96
VII. Officia Conſervationis erga ſeſe, Capite XIII. ſtabilita, ſecundo loco exhibenda ſunt alteri. 96
VIII. Schema officiorum erga alium. *fol.* 96
IX. Officia *negativa* omnibus debentur. 97
X. Officia *poſitiva* variam habent limitationem ex ipſa natura. 97
XI. Juri naturæ non ſatisfacit, qui tantum externe facit officium. 97

CAPUT XIX.

De ordine Charitatis humanæ.

Thema I. Lege naturæ & poſitiva non omnes & omnia æqualiter diligenda ſunt. 98
II. Aliqua tamen ratione eſt æqualitas ſervanda. 98
III. Ordo charitatis non eſt vitioſa acceptio perſonarum. 98
IV. Ordo immutabilis hic eſt, ut primo DEUM, dein Te, demum diligas proximum. 98
V. Ad ordinem in particulari conſtituendum multum momenti habet neceſſitas, ex circumſtantiis metienda. 98
VI. In humanis cura ſpiritualium præponenda eſt curæ corporalium & temporalium. 98
VII. Poſt bona moralia ſequitur procuratio vitæ naturalis in proximo, cui poſtponere debeo mea, quæ inferiora ſunt; in caſu neceſſitatis. 99
VIII. Vitæ ſuccedunt quaſi partes vitæ, ut Intellectus, ars, &c. 99
IX. Poſtea ſequitur Fama. Quid ſit illa? 99
X. Poſt famam membra. 99
XI. Tum inſtrumenta & media ad vitam ducendam, ut alimenta &c. 99
XII. Inde inſtrumenta famæ. 99
XIII. Contra hunc ordinem tripliciter peccari poteſt; auferendo; non tribuendo, intervertendo. 99
XIV. Objectio contra hunc ordinem ex abſurdo petita. 100
XV. Dilectio proximi tam interne quam externe non debet eſſe æqualis circa omnes. 100
XVI. Ordo perſonarum diligendarum deinceps indicandus, eſt quidem in multis hypotheticus ſeu arbitrarius; hic tamen recte integer & non mutilus traditur. 101
XVII. Non eſt naturalis obligatio, intenſius diligendi meliores quam *conjunctiores*. 101
XVIII. Primus locus amoris hominum debetur Patri & Matri. 101
XIX. Alter gradus eſt prolium. 101
XX. Tertius gradus naturalis eſt uxoris. 101
XXI. Quartum gradum tenent ſanguine propinqui. 102
XXII. Quintum Benefactores. 102
XXIII. De Gratitudine, Pietate, Religione.
XXIV. Præceptores, Magiſtratus &c. ſummum inter benefactores locum habent. 102
XXV. Obſervantiæ, & Obedientiæ erga ſuperiores officium. 102
XXVI. Ultimus gradus hominum diligendorum aſſignatur Inimicis. 102.

CAPUT XX.

Officia Benevolentiæ, & peccata adverſus illam.

Thema I. Officium unicum eſt: omnia velle proximo ut conſervo, ad ſervitutem DEI neceſſaria & opportuna. 103
II. Miſericordia eſt juris naturæ. 103
III. Contra naturam ergo eſt cupere ut aliquod bonum neceſſarium vel opportunum deſit vel auferatur proximo. 103
IV. Item proximo malum velle, optare, aut imprecari. 103
V. Jure naturæ illicitum eſt, deliberate gaudere de malo proximi, aut triſtari de bono. 104
VI. Eodem jure illicita *Invidia.* 104
VII. Item *odium* proximi. 105
VIII. Et *Iracundia* cum odio conjuncta. 105
IX. Et *Suſpicio*, ac *Judicium* temerarium. 106
X. Et *Contemptus.* 106

a3

CAPUT XXI.

De Officiis Beneficentiæ.

Thema I. Beneficentia, ceu executio Benevolentiæ, nititur eiſdem fundamentis juris naturæ,quibus iſta. 107
II. Juris naturæ eſt ſubveniri indigentibus per non indigentes. 107
III. Opera hæc vocantur *Miſericordiæ*; ſunt tamen in genere officia *Juſtitiæ* naturalis. 107
IV. Objectio: transgreſſio horum officiorum non parit reſtitutionem: ergo non eſt ſtrictæ juſtitiæ. 107 Reſpondetur late.
V. Officium miſericordiæ ſeu *Eleemoſynæ* debetur neceſſitatem patienti de *ſuperfluo*. 109
VI. De ſimpliciter neceſſario non debet dari eleemoſyna: eſt tamen laudabile &c. 109
VII. Ex injuſte acquiſitis an & quando poſſit vel debeat fieri eleemoſyna? 110
VIII. ſub alterius poteſtate conſtituti quando poſſint facere eleemoſynam? 110
IX. Eleemoſynæ ſeu beneficentiæ duplex genus, primo erga corpora. 111
X. Deinde erga ſpiritum ſeu animam. 111
XI. *Fraternæ ccrreptionis* obligatio naturalis. 111
XII. Superiores ad eam obligantur jure naturali, & ex juſtitia particulari. 111
XIII. A correctione fraterna non excuſatur is, qui ipſe in peccato eſt. 112
XIV. Secreta admonitio debet præcedere publicam denuntiationem. 112
XV. *Docere ignorantes* ea, quæ ſunabſolute neceſſaria &c. eſt juris nat turæ, ſi potes. 112
XVI. Idque jure naturæ incumbit parentibus &c. 113
XVII. *Conſilium* quando debeamus petentibus? 113
XVIII. Conſiliarii ex officio tales obligantur ex juſtitia commutativa. 113
XIX. *Orare* pro ſalute proximi in genere eſt obligatio juris naturæ. 113
XX. Conſolari mœſtos itidem. 113
XXI. Injurias *patienter* ferre. 113
XXII. Offenſas remittere. 114

CAPUT XXII.

De Maleficentia, Injuria, & Reſtitutione generatim.

Thema I. Omnia officiis præcedentis Capitis contraria ſunt maleficentiæ juri naturæ repugnantes. *fol.* 115
II. *Injuria* eſt læſio alieni juris. 115
III. Jure civili dicitur Jus denotare *debitum* in altero, aut rigoroſum,aut minus ſtrictum. Rigoroſo annectunt reſtitutionem; alteri non, ſed dicunt fundatum in *æquitate naturali*. 115
IV. In Jure naturæ *debitum* paulo aliter definiendum; quia alius judex, aliud forum, alius actor, reus, probatio, ac confeſſio alia. 115
V. Objectio: Leges juſtas in foro externo, eſſe tales etiam in interno, ſolvitur. 116
VI. Jure naturæ rigoroſe *debitum* eſt id, ſine quo non poteſt conſtare ſervitus à DEO imperata. Minus ſtricte *debitum* eſt, ſine quo ægre conſtat ſervitus, aut quod minus eſt in poteſtate ſervi. 116
VII. Rejicitur opinio,docens, Juſtitiam Naturalem non eſſe proprie juſtitiam; aut debitum juris naturalis non eſſe rigoroſum. 117
VIII. Injuria poteſt ſpectari materialiter & formaliter. 117
IX. Formale interdum eſt abſque materiali, & viciſſim: i. e. Actio injurioſa eſt interdum abſque effectu, & viciſſim. 117
X. Poteſt aliquis pati injuſta,quin is,qui egit,Injurioſe egerit;& viciſſim. 117
XI. Injuria & damnum non ſunt idem 117
XII. Poteſt ab altero injuria, ab altero damnum proficiſci. 117
XIII. Tam damnum,quam injuria poteſt à pluribus cauſari, diverſo gradu cooperandi, ut juſſione, conſilio, conſenſu, participatione &c. 118
XIV. Injuria formaliter nunquam eſt ſine culpa: at materialiter, ſicut & damnum. 118
XV. Poteſt dari culpa aliqua ſine Injuria juris naturæ: nempe culpa civilis mere. 118. Ea *lata* eſt, aut *levis*, aut *leviſſima*.
XVI. Injuria committitur erga DEUM, ſeſe, & proximum. 118
XVII. *Reſtitutio* vi nominis eſt ſtatus mutati reductio in priſtinum. 118
XVIII. Per omnem malam mutationem læditur æqualitas, proportio, ordo; ſive tollitur medium rei, rationis, aut naturæ. Quid ſint illa media? 118

XIX.

XIX. Omnis injuria formalis aliquid in aliquo ſtatu male mutat. 118

XX. Igitur ex omni injuria formali ſequitur obligatio reſtitutionis pro modo ac menſura mutatæ æqualitatis ſeu medii. 119

XXI. Reſtitutio igitur eſt actus juſtitiæ, pro modo medii ſeu æqualitatis. Reſtituere ordinem naturæ tantum, eſt actus juſtitiæ naturalis tantum. 119

XXII. Reſtituere æqualitatem hypotheticam civilem ſecundum medium rationis, eſt actus juſtitiæ diſtributivæ. 119

XXIII. Reſtituere medium rei eſt actus juſtitiæ commutativæ. 119

XXIV. Sicut juſtitia particularis tunc ſolum ligat, cum fundatur in juſtitia univerſali ſeu naturali, ita & reſtitutio eodem modo tantum obligat. 119

XXV. Reſtitutio per leges poſitivas injuncta obligat regulariter etiam in conſcientia. 119

XXVI. Radices reſtitutionis ex juſtitia commutativa debitæ duæ ſunt: injuria formalis & materialis. Sive ex re accepta, & ex injuſta acceptione. Sive ex damno & damnificatione. 119

XXVII. Menſura reſtitutionis faciendæ triplex eſt. Poſſibilitas; Quantitas poſſeſſionis; Quantitas damni vel læſionis. 120

XXVIII. Ordo reſtituentium qualis ſit, cum plures ad injuriam & damnum concurrunt? 120

XXIX. In materia reſtitutionis ex jure naturæ ſeu in foro conſcientiæ, nemo Princeps aut privatus tuto ſequitur pleroſque Heterodoxos juris naturæ Doctores. 121

XXX. Catholici Doctores tutiores, ſalutis ſtudioſiores, peritiores, clariores &c. 12

CAPUT XXIII.

De Reſtitutione bonorum ſpiritualium &c.

Thema I. Quæ ſint bona ſpiritualia, Moralia &c. *fol.* 122

II. Spiritualia bona lædens tenetur reſtituere. Exempla. 122

III. Fama læſa reſtituenda, etſi verum dixiſſes. 122

IV. Temerarie judicans de altero quomodo reſtituat? 123

V. Quid ſit ſcandalum? 123

VI. Quid activum & paſſivum? 123

VII. Omne ſcandalum eſt contra Jus naturæ. 123

VIII. Scandalum parit obligationem reſtituendi. 123

IX. Lædentes in bonis ſupernaturalibus non ſunt abſolvendi à reſtitutione. 123

X. Nec obſtat, quod volenti non fiat injuria. Nec quod talis læſio violet tantum legem charitatis. Quia charitas ipſa eſt lex naturæ. 123

XI. Homicidium generatim repugnat Juri naturæ. 124

XII. Non item injuſti aggreſſoris. 124

XIII. Nec ſi publica auctoritate fiat in maleficos. 124

XIV. Homicidium aut mutilatio injuſta parit reſtitutionem. 124

XV. Ad defendenda ſua quando liceat occidere aggreſſorem. 125

XVI. Pro fama tuenda non licet occidere. 125

XVII. Quid ſit furtum? 125

XVIII. In ſtatu naturæ puro non daretur proprium. 125

XIX. In moderno ſtatu violans proprietatem alterius lædit Jus naturæ. 125

XX. Furtum ex genere ſuo eſt peccatum grave. 125

XXI. Quæ ſit gravis quantitas in furto? 125

XXII. In extrema neceſſitate uti alienis licet. 125

XXIII. Etiam ex parvis furtis ſucceſſive oritur reſtitutio. 126

CAPUT XXIV.

De Fraude, Mendacio, æquivocatione.

Thema I. Fraus ſeu intenta, ſeu quæ vergit in detrimentum, eſt contra Jus naturæ, & parit reſtitutionem. *fol.* 126

II. Quid & quotuplex mendacium. 127

III. Mendacium omne eſt peccatum, ſeu contra jus naturæ. 127

IV. Mendacium quando grave? 127

V. Quædam ſignificationes videntur eſſe mendacia, cum non ſint. 127

VI. Amphibologia quid? 127

VII. Quid Reſtrictio pure mentalis? 127

VIII. Quid ſemi externa. 127

IX. Æquivocationes ad ingenium exercendum quæ licitæ? 127

X. Non eſt præceptum, omne verum dicere. 128

XI. Sæpe eſt præceptum, verum occultare. 128

XII. Scientia communicabilis quæ, & quæ incommunicabilis? 128

XIII. Reſtrictio pure mentalis eſt mendacium. Propoſitiones duæ damnatæ. 128

XIV. Ut ſit licita reſtrictio ſemi externa? 128

CAPUT I.

QUALIS DEBEAT ESSE JURIS NATURÆ DOCTOR.

Doctor Juris naturæ explicet vim vocabulorum.

Thema I. DE Jure Naturæ docturus aliquid, primo omnium debet explicare vim vocabulorum, quibus utetur. Id eſt, debet declarare, quales ideas animo velit exhibere per ſua vocabula.

Magna pars errorum, quibus jus naturæ conſpurcatum eſt ab annis circiter octoginta, nata eſt ex hoc defectu. Factum eſt enim, quod proverbio fertur: *Ego quæro de allio; tu reſpondes mihi de cæpis.* Quærebatur de *Jure*, & reſpondebatur de facultate ſeu *vi*; Quærebatur de Principio, & tractabantur media.

Ideas non confundat.

Thema II. ideæ quoque non ſunt confuſe ſumendæ, ſed diſcretè non aliæ pro aliis, ſed determinate. Philoſophus ſit oportet, qui volet de Jure naturæ docere.

Expertes autem accuratæ Philoſophiæ fuere non ſolum Puffendorffius, id quod ex ejus omnibus ſcriptis apparet, ex Rhetorica fere fluentibus; ſed & alii plerique. Unde confinxerunt aliqua ſyſtemata, mox eadem ipſi rurſus deſtruxerunt, ut Thomaſius.

Sciat bene inferre, non ſophiſtice.

Thema III. Præterea in comparatione idearum inter ſe, atque in eruenda ex iis involuta veritate debet eſſe doctus, aliàs Sophiſta eſt, & in nebulis graditur, & quidlibet infert.

Sophiſticæ artes, aut deflectus hujus ſanæ logicæ, occupant magnam partem librorum hac ætàte de Jure naturæ ſcriptorum. Specimen aliquod dedimus in Puffendorffio ac D. Wolffio. Vid. *Larva detracta* Cap. XIV.

Habeat finem bonum.

Thema IV. Præter illa tria, fere ad ſpeculationem pertinentia, debet habere alia practica. *Primo* debet propoſitum habere *bonum finem.*

Non debet ſcribere ex pruritu innovandi, aut contemptibiles faciendi veteres: non ex ſtudio ſua inventa, qualiacunque in ſe ſint, tuendi: non ſtudio juventutem curioſam ad ſuam ſolam ſcholam pelliciendi: non ſtudio placendi principibus, non juvenibus, non novatoribus, non vanorum amatoribus: Non aucupio famæ: non odio alicujus hominum generis aut ordinis. Qui, aliique fines pleriſque juris naturæ heſterni ſcriptoribus aut omnes aut ſeorſim propoſiti fuiſſe videntur. Quod de Puffendorffio & aliis commonſtravimus in *Larva detracta*. Et videatur hic infra Caput. XII.

Finis autem verus eſt, Humanam naturam inſtruere ad veram obligationem primam atque ultimam, per quam vere felix effici & perfecta poſſit.

Eligat vera media

Thema V. Alterum practicum Doctoris requiſitum eſt, *electio verorum mediorum.*

1. Vera autem media ad docendum talia non ſunt, ſubtilis valde ſpeculatio & tantum abſtracta: ſed oportet adeſſe experimentalem notitiam actionum divinarum & humanarum. Unde Gentiles Philoſophi, tametſi humanorum experti, nihil tradiderunt perfectum in Jure naturæ, quia deſtituti erant experientia divinorum. Et hodierni nihil tradunt perfecte, qui nolunt ea experientia uti, ſed eam à Jure naturæ excludendam clamant.

2. Nec ſunt vera media illa, quæ aut per ſe apta ſunt ad aberrandum à fine, aut ſaltem facile à pleriſque etiam non ſocordibus poſſunt ad aberrationem à ſcopo adhiberi. Sicut arcus malum eſt jaculandi inſtrumentum, ſi aut per ſe abducit à meta, aut ita ambigue eſt fa-

ctus, ut applicari non poſſit tuto, niſi per aliud corrigatur.

3. Prioris generis ſunt omnia illa, quæ ſic traduntur in animos, ut excludatur DEus, id eſt, ut jubeantur abſtrahere à DEO; his enim ſi tangatur aliquando ſcopus, per accidens tangitur. Nam jaculandi magiſter jubens abſtrahere ab ultima meta, docet per ſe ab ea aberrare; etſi per accidens poſſit tangi.

4. Alterius generis ſunt illæ doctrinæ juris naturæ, quæ perpetuo quaſi loquuntur de amore, cura, & acquiſitione rerum corpori potiſſime ſervientium, raro aut vix de altioribus ac divinis: Hi namque utut reflexe non doceant, abſtrahendum eſſe à DEO, docent tamen id reapſe ſive exercite, ut ſchola loquitur. Cum reipſa tradere promittunt jus totum naturæ, in quo tamen toto nihil divinum eſt, exceptis paucis plerumque inanibus verbis: Picea ſunt iſta, facileque intentionem humanam, quæ deberet ad diviniora ferri, detorquent ad prava per ſe ruentem: & conſiſtere non poſſunt ſine correctione, *aliunde* ſumenda.

5. In utroque genere peccarunt tam gentiles Philoſophi, quam moderni Acatholici: Sed pejus iſti. Illi enim profeſſi ſunt, ſe diviniorem doctrinam libenter amplexuros ac tradituros, ſi ea ipſi potiri poſſent: leguntur ergo cum commiſeratione, tanquam iſthac felicitate deſtituti. At moderni multi, cum divinior doctrina in propatulo ſit, nec eam ipſi palam ſaltem negare audeant, à Jure tamen naturæ eam repellunt. Poſſunt adeo diſcipulis, ſiquando apud hos auctoritatem nacti ſunt, noxæ eſſe; quia hi ad exemplum magiſtrorum horum poſſunt exiſtimare, ſe Juri naturæ ſimul ſatis facere ac ſimul diviniores ſententias inſuper habere poſſe, *tametſi cognitas.*

Docet & hortetur ad Optimam.

Thema VI. Officium Magiſtri eſt *docere & inſtigare ad optima.*

1. Omnes qui indigent inſtructione, quoad hoc ſunt pueri: & qui inſtructionem afferunt, ſunt quoad hoc magiſtri. Sicut ergo in homine ipſo pars animalis tanquam puer debet inſtructionem accipere à ratione tanquam magiſtra; eaque ratio non eſſet vere magiſtra, niſi duceret ad optima, id eſt ad meliora ceteris: Ita Magiſter male ſuſtinet ſpartam ſuam, qui ad quæcunque ſolum bona ducit; ſed debet ducere ad ea, quæ ceteris ſunt meliora. Et magiſter docens regulam totius naturæ humanæ, debet ducere ad ea, quæ toti naturæ ſunt optima. „ Quare ſicut ratio „ ſemper deprecatur ad optima (ut in „ III. Ethcor. dicitur) ſic & magi„ ſter puerorum ſemper debet eos ad „ optima inſtigare. Ut inter alia ſcribitur in libro II. part. II. cap. IX. de Regimine Principum.

2. Qui ergo poſſet facile invenire principia meliora, finem meliorem, media etiam meliora in Jure naturæ, & tamen iis omiſſis aut etiam rejectis prodit deteriora, inſufficientia, falſa &c. ſicut plerique larvati fecerunt: is non erit oportunus magiſter puerorum, ſeu pueri illi ſint reges, ſeu nobiles, ſeu homines omnes.

Sit cautus, ne mala bonis admiſceat.

Them. VII. Doctorem juris naturæ ſeu moralem oportet eſſe *cautum.*

1. „ Quia ſicut in cognoſcendo & „ ſpeculando eſt adhibenda cautela, ne „ falſa admiſceantur veris, ſic in agen„ dis convenit hominem eſſe cautum, „ ne mala admiſceantur bonis. Quæ„ dam enim ſecundum ſe mala ſuper„ ficietenus conſiderata, apparent bo„ na; ſicut quædam falſa apparent ve„ ra. De Regimine Princ. Part. II. lib. II. c. IX.

2. Ita Socialitas Puffendorffiana obiter ſpectata non eſt mala, & multum in jure naturæ valet. At cum Puffendorffius de ſuo admiſcet, eam eſſe *ſolum & unicum principium*, ex quo omnia officia Juris naturæ tantum petantur; jam virus eſt immane noxium; quia aperitur janua ad ejicienda omnia officia naturæ circa DEum, æterna, futura, quæ ex ſocialitate non fiunt.

Amet, quos erudit.

Thema VIII. Non poſtremum inter boni doctoris requiſita eſt, ut amet diſcipulum.

Non ego hoc decernam, pluſne ſinceræ dilectionis exſpectare poſſit Catholica juventus à Sanctis Patribus, Doctoribusque Catholicis, an à Puffendorffianis, Heineccianis, aliisque magiſtris. Sed hoc aliorum judicio relinquo.

Ad ultimum nobilibus Parentibus loquitur S. Thomas de Regimine Principum loco citato hæc verba: *Si ergo Reges & Principes & univerſaliter omnes cives valde ſollicitantur, qualem præponant ſuis numiſmatibus, poſſeſſionibus & rebus inanimatis; quia ſecundum Philoſophum I. Polit. ſemper de animatis amplior cura habenda quam de inanimatis, & de filiis quam de aliis; valde deberent eſſe ſolliciti, & cum magna diligentia attendere, qualem magiſtrum præponerent in regimine filiorum*: S. Thomam an Heineccium? S. Ambroſium an Puffendorffium! Cardinales Bonaventuram, de Lugo, Aguirrium, an Thomaſium, Kemmerichium, Pagenſtecherum?

CAPUT

CAPUT II.

Explicatio: Quid Jus? Natura? Principium Conſtitutionum Juris naturæ eſt Dei voluntas.

Quid ſit Jus

Thema 1. JUS interdum ſignificat *Scientiam* juſti: ut ſi dicas: hic vel ille doctus eſt auctor Juris naturæ.

Thema 2. Interdum *JUS* ſignificat complexum omnium legum: ut cum dicimus: in jure definitum eſt.

3. Alias *JUS* dicitur facultas aliquid agendi vel exigendi. Sed hoc anceps eſt; cum detur jus ſine facultate ſaltem propinqua.

Jus active & paſſive.

4. Nobis *JUS* ſignificat active *Juſſum*, ſive *Imperium rationale Superioris.* Paſſive autem eſt *obſequium rationale inferioris.* Vid. Larva Juris Nat. detracta Cap. II. & *Suarez* Lib. II. de Legibus cap. II. n. 9.

5. *Imperium* eſt voluntas manifeſtata.

6. *Rationale* hoc loco eſt, quod à principio ad finem cum proprria deliberatione tendit.

Quis ſuperior.

7. *Superior* non dicitur hic is, qui quocumque modo major eſt altero, ſed is qui *ordinat* alios.

8. *Inferior* is, qui *ordinatur.*

9. *Obſequium, ſervitus,* hic dicuntur effectio eorum quæ imperata ſunt.

Natura eſt ipſa res

10. *NATURA* non eſt aliqua res à rebus diſtincta, ſed res ipſæ ſunt *Natura.*

Tamque diverſæ quam ipſæ res.

11. Quam diverſæ ergo ſunt res, tam *diverſæ ſunt Naturæ*: ùt aliæ quæ ſenſu percipiuntur; aliæ quæ ſola cogitatione, poſtquam earum effectus etiam ſenſu percepti fuerint: ſic animam adeſſe in aliquo corpore, mente intelligimus, poſtquam per ſenſus percepti ſunt motus convenientes.

Nulla ſenſibilis immutabilis.

12. Nulla natura iſtarum, quæ ſenſui patent, eſt, quæ non ſit *mutabilis.*

Naturæ conantes ſe invicem mutare.

13. Naturæ iſtæ inter ſe *pugnant*, ſeu contendunt invicem mutare.

Non poſſunt mutare in quodlibet.

14. Nulla tamen harum rerum poteſt alteram ſive pro lubitu *mutare in omnia*, ſive *mutare in totum*; ſed ſemper plura & potiora ſunt extra poteſtatem, quam in poteſtate.

Productio eſt mutatio,

15. *Productiones* rerum per iſtas alias res non ſunt niſi mutationes aliquæ, aut præcontentorum excitationes, ut cum ex ſilice ignis excutitur.

Cujus minima pars adſcribitur producenti.

16. *Productionis* talis minima pars poteſt adſcribi rei producenti ſive ejus actioni: quæ omnem vim ſuam adhibendo, ſæpe tamen producit contrarium, ſæpe ignorat productum: adeoque effectus nec *quoad ſpeciem* nec *quoad individuum* eſt in omni poteſtate agentis. Ita mater neſcit conceptum: nec habet in poteſtate prolem maſculam aut fæmellam: & ſæpe edit prolem diſſimilem aut monſtroſam.

Conſervatio ſuimet non eſt in poteſtate naturæ,

17. In nullius harum narurarum poteſtate eſt *conſervatio ſui ipſius* à mutatione: Sic homo in momenta ſingula eſt obnoxius morti.

neque mutatio ſuimet,

18. In nullius etiam poteſtate eſt *mutatio* quælibet *ſui ipſius*: nemo poteſt ad ſtaturam ſuam adjicere cubitum unum. Circulatio ſanguinis, nutritio, motus viſcerum periſtalticus fit nobis ignorantibus, etiam prohibentibus.

nec productio ſui.

19. Nulla iſtarum natura poteſt *ſibi ipſi dare eſſe* etiam per mutationem alterius.

20. Nulla poteſt ſe ipſam *de novo* vel aliam *producere* ex nihilo ſeu non præexiſtente.

Ergo eſt aliquid iſtarum mutationum omnium principium, directivum, limitativum.

21. Ex hactenus expoſitis manifeſtum eſt, eſſe aliquid *omnium* iſtorum pugnantium & mutabilium limitativum, directivum, productivum, & conſervativum *omnium.*

Omnes rerum ſpecies non potuerunt oriri ex una ſpecie.

22. Si ponatur, ſpecies iſtas rerum diverſas ortas eſſe ab initio ex *una ſpecie*; non poteſt reddi ulla ratio, cur etiam nunc id non fiat, ut v. g. ex una humana ſpecie oriantur omnes ſpecies animalium, plantarum, elementorum.

Ut ab una ſpecie nequeant aliæ ſpecies oriri, admittendum eſt aliquid limitans:

23. Si ponantur ſingulæ ſpecies ab initio ita extitiſſe, ut in ſingulis ſpeciebus tantum individua identidem nova producerentur, nempe ut omnes homines à primo homine, omnes leones à primo leone orti ſint; rurſus ſequitur, admittendum eſſe aliquid omnium iſtorum productivum conſervativum limitativum, ut poſſint aliquas mutationes facere, alias non facere &c.

Quod non poteſt eſſe Caſus

24. Si dicatur, *CASU* eas exiſtere, limitari: nihil præter inanem vocem dicitur. Vel *Caſus* eſt aliquid à rebus diſtinctum? Et quid eſt? nihil præter imaginarium hic dici poteſt.

25. Vel *Caſus* nihil eſt quam ipſæ res? & ſic diceretur, res ſunt ex ſe ipſis.

Nec res ipſæ

26. Quod ſi aliquando res à ſeipſis potue-

potuerunt eſſe, cur nunc nulla à ſe ipſa eſt, aut de novo exiſtit? an res mutarunt hactenus eſſentiam?

Etiam per proceſſum in infinitum.

27. *Proceſſus in infinitum* in eadem ſpecie v. g. humana poteſt admitti. Vide rationes apud S. Thomam I. Parte. Quæſt. XLVI. artic. II. ad 7. Sed, hoc etiam admiſſo, neceſſe tamen eſt dicere: Ipſam ſpeciem humanam non eſſe à ſe ipſa, ſed habere aliquam ſui cauſam à ſe diſtinctam. Sicut, ſi admittatur, pedem ab æterno ſtare in pulvere, veſtigium pedis eſt quidem æternum, non tamen à ſeipſo, ſed à cauſa diſtincta, pede.

Cum in proceſſu ſingula habeant eſſe participatum.

28. Nam quantumcumque procedatur in infinitum in generatione humana, omnia tamen individua habent *eſſe* participatum. Si enim ille homo primus haberet eſſe *imparticipatum per ſe* ſive ex ipſa eſſentia & natura humana, tale eſſe imparticipatum debent omnes homines, qui ſunt vere homines ſeu ejuſdem ſpeciei, habere; quod eſt contra experentiam.

29. Si vero illi homini primo eſſet *per accidens*, habere tale eſſe *imparticipatum*, ſequitur, illud accidere ei aliunde; & hoc ipſo ſequitur, tale *eſſe acquiſitum aliunde* non eſſe *imparticipatum*. Vid S. Thom. I. Part. Q. XLIII. art. VIII. in Corp. & Art. II. Et Qu. III. Artic. IV. in Corp. Et Quæſt. XI. art. III. & IV. Quibus locis hæc accurate diſputata inveniuntur. Quibus autem ea non ſufficiunt, illi conſulant ampliſſimos Theologorum in Summam D. Thomæ commentarios, ut Cajetani, *Suareſii*.

Ergo exiſtit cauſa per ſe omnium naturarum,

30. *Concluſio* omnium hactenus dictorum hæc eſt. Exiſtere cauſam per ſe omnium ceterarum naturarum: ab hac omnes ceteras naturas eſſentialiter pendere, i. e. ab hac accepiſſe omne eſſe, ab hac conſervari, ab hac regi, & ordinari ad finem.

Cujus vis dominæ, & naturæ ſervitus ſunt ipſum *JUS NATURÆ*.

31. Hoc autem ipſum eſt *JUS NATURÆ* ſeu *Imperium Entis primi* ac ſummi *rationale in omnes à ſe productas & conſervatas naturas.* Nam illud ens primum, à quo eſt *omnis* noſtra natura, eſt eſſentialiter & indiſpenſabiliter Dominus creatæ omnis naturæ: Et natura omnis creata eſt eſſentialiter ſerva illius.

quod adeo eſt divinum æternum &c.

32. Ex quo etiam patet, *Jus Naturæ* eſſe jus divinum, æternum, immutabile *quoad ſe*. Et cetera omnia, quæ à Theologis diffuſius diſputantur. Quæ tamen callere accuratius non eſt ad communem uſum neceſſe.

à quo cetera omnia jura ſunt participata.

33. Rurſus ex his liquido patet, quidquid ſuperioritatis & imperii, & juris eſt in ulla creatura, illud omne eſſentialiter eſſe primo participatum à DEo. Contra quidquid eſt ſervitutis, obſequii & obligationis, illud omne neceſſario referri in DEum ſummum dominum. Videatur accurate diſputans *Suarez* Lib. II. de Legibus cap. IV.

Jus naturæ ſtringit omnes creaturas varie.

34. Denique ex his conſequitur *Jus naturæ* ſeu Imperium DEi ſtringere omnes quidem naturas; ſed alias aliter: quamlibet pro modo participationis: ita denique ut nihil participatum ſit ulli creaturæ, quod non huc ordinetur.

Phyſice tantum,

35. Aliæ naturæ ſerviunt tantummodo, *phyſice* ſeu naturaliter, ſine reflexione, ac electione, quia nihil tale participant à primo ente. Ut lapis, ignis, aſtra, animantes.

aut etiam moraliter

Aliæ ſerviunt etiam *moraliter*, cum reflexione ad principium, & intentione finis, ut homo: quia hanc vim reflectendi, & intentionis participavit à DEO. Vid. *Suarez* in I. II. D. Thomæ Tract. III. Diſput XI. & Lib. II. de Legibus cap. II. n. 10.

Quæ utraque in homine concurrunt.

36. Itaque ſervitus hominis ſeu Jus Naturæ duo exigit, *1mo*, ut imperio divino obſequatur *Phyſice* quemadmodum aliæ creaturæ, quæ leges motuum & alias naturæ leges ſervant. *2do* multo magis exigit, ut ſerviat *moraliter*.

Moraliter tamen præcipua eſt.

37. Magis, inquam, multò; *Primo* quia hæc ratio ſerviendi multo eſt nobilior, & ad ſimilitudinem ac conjunctionem DEI ducit. *Secundo* quia per hanc maxime rationem homo differt à ceteris humilibus naturis. Differentialis autem ratio in omni re potior eſt rationibus genericis: cum illa ſuo modo formam rei, hæ materiam conſtituant.

Dei oblivio aut neglectus in juris naturæ diſciplina infelix

38. *Corollarium.* Infeliciter docent diſcuntque Jus naturæ, qui ea quæ ad Deum Deique conjunctionem pertinent aut obliviſcuntur; aut ſtudio omittunt; aut jubent ab iis abſtrahi, tanquam impertinentibus; aut parciſſime de iis tractant, cum ſint toti in officiis vilioribus explicandis; aut denique docent divina poſtponenda profanis; aut divina habent pro mediis ad conſequenda profana. Quæ aut ſingula aut univerſa in novorum multis libris, quibus nomen juris naturæ ſine cauſa inſcribunt, invenire eſt.

CAPUT III.

De Principiis cognoſcendi Juris Naturæ.
Quomodo homo agnoſcat Jus naturæ?

Præmonitio.

Quid principium Conſtitutivum & Indicativum.

ESſe aliquod imperium DEI, eſſeque hominem ejus ſervum, priore capite paucis docuimus. Reſtat indagare ex quibus *ſignis* deprehendi poſſit, quæ ſit voluntas DEI. Hæc enim ſigna ſunt totidem *Promulgationes* legis naturæ, & vocantur *Principia Iudicativa* juris naturæ; cum ipſe DEI juſſus ſit *Principium conſtitutivum* ejus juris.

Dominus ſervo debet ſignificare juſſum ſuum.

Thema I. Dominus ſervo neceſſario ſignificat aut *promulgat*, quid velit fieri: Vid. Cap. II. 35. &c.

Quia plane ignoti nec eſt cupido, nec executio, niſi forte & caſu.

Non tamen evidenter:

Them. II. Dominus hanc ſignificationem non neceſſario facit *evidentem* adeo, ut in nullis particularibus poſſint eſſe hæſitationes.

niſi tam Dominus

1. Dominus aliquis, qui non eſt omniſcius & omnipotens, *non poteſt, ob ſuam conditionem,* talem evidentem ſignificationem facere; quia ipſius vis & claritas eſt limitata, neque extendit ſe ad omnia particularia.

Quam ſervus eſſet omniſcius.

2. Dominus omniſcius & omnipotens *non poteſt, ob ſervi conditionem,* facere talem evidentem ſignificationem; quia ſervus, niſi & ipſe omniſcius eſſet, vel ſaltem ſumme & eminenter ſciens, non eſt capax evidentiæ ad omnia particularia ſe extendentis. Fieret enim ex limitato non limitatus, ex ſervo Dominus, ex ſubdito ſupremus &c.

Hominis igitur ſervi DEI eſt, inquirere in juſſa.

Them. III. Servus ergo, id eſt, homo debet *inquirere* in voluntatem & imperium Domini DEI.

Cum enim hæc imperii ſignificatio non poſſit eſſe plane evidens (The. II.) Ipſe tamen ſine imperii agnitione ſervus eſſe, ſive ſervitium rationale præſtare, non poſſit; Neceſſe eſt ipſum contendere ad *certitudinem* ſaltem, quia ad plenam evidentiam non poteſt.

Quod bene fit per analogiam.

Them. IV. Legitima via ad veritates, præſertim morales, indagandas eſt *ANALOGIA.* Eſt autem Analogia comparatio duorum aut plurium, in quibus eadem ratio viget, quamvis inæqualiter.

1. Hanc viam in moralibus, quæ ad finem ordinantur, eſſe legitimam, tum Plato in Phædro, tum perpetua experientia optima morum magiſtra probat. Sic propter analogiam inter corpus hominis naturale & corpus politicum Menenius Agrippa Populo Romano efficaciſſime perſuaſit quietem & obedientiam. Cum enim populus ſeceſſiſſet, nolletque amplius parere ſenatui, tanquam qui ex populi medullis inertes ſaginarentur; ille populo recitavit hunc apologum. Caput, manus, pedes ceteraque corporis humani membra olim decreverant, nihil amplius cibi miniſtrare inerti ac nihil laboris externi peragenti ſtomacho. Aliquamdiu id obſervabatur: ſed cœpere mox omnia membra languere & inutilia fieri. Tandem experimento edocta cœperunt rurſus ſtomachum paſcere. Permovit id ſeu induxit populum in agnitionem veritatis. Liv. Lib. II. cap. XXXII.

2. Salvator noſter altiſſimas veritates non niſi per analogiam docuit, & ſine parabolis locutus eſt nihil.

3. Idem fecerunt Pythagoras, Socrates, Plato, ac ceteri ſapientes, quibus ſempiterna DEI virtus inviſibilis per viſibilia manifeſtata fuit, ut ait Apoſtolus: ac tam *certo* manifeſtata, ut ſint *inexcuſabiles.* Ad Romanos. Cap. I. v. 20. Vid. Loke de Intellectu Lib. IV. cap. XVI. §. 12. &c.

Quia nempe comparantur bonitas veritas &c. creaturarum, quam à ſe non habent ſed participatam, cum bonitate ac veritate divina.

4. Faciunt idem hodieque omnes qui juventutem ac rudiores docere & ad officium manuducere volunt. Quorum doctrina ex abſtractis tantum ſumpta inefficacior eſt, quam quæ ſumitur ex analogia. Neque in ipſius DEI notitiam aliter nos venire quam ἀναλόγως, agnoſcit S. Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſi IX. Initio:

Analogia eſt inter Dominium participatum & imparticipatum.

Them. V. Analogiam autem conſtituimus in comparatione Dominii participati cum Dominio imparticipato, originali ac eſſentiali.

Quæ analogia recte conſtituitur. Nam Particeps alterius hic ille eſt, qui ab alio accepit in ſe: qui autem accepit ab alio aliquid in ſeſe, is ſecundum illud acceptum eſt ſimilis & aliquo modo ejuſdem rationis ei, à quo accepit: Igitur recte conſtituitur analogia inter participatum & originarium. At vero

Dominium humanum omne eſt participatum, DEI autem originarium (Them. 30. Cap. II.) Ergo inter utrumque hoc Dominium vera eſt analogia. Sicut inter judicem ordinarium & delegatum eſt vera analogia.

Novem ex mediis ſervus agnoſcit juſſum domini.

Them. VI. Novem fere ſunt modi, aut media, per quæ generatim voluntas Domini innoteſcit ſervo.

(1. Locus, & aliæ circumſtantiæ. (2. Inſtrumenta & ſubſidia. (3. Conſervorum, ſi quos habet, facta & exempla. (4. Monita eorum, qui ceterorum conſervorum directionem habent, ſi ſunt tales aliqui directores. (5. ſcriptæ tabulæ, aliaque ſenſibilia ſigna. (Ipſius Domini ſermo aut nutus in genere omnibus ſervis propoſitus. (7. Teſtes, qui Dei vocem intellexerunt. (8. Caſtigatio aut præmium eveniens male aut bene ſervientibus. (9. Voces Domini alicui ſeorſim & arcane factæ.

Oſtenditur Exemplo.

Nam ſi quis ſervus conſtituatur in horto; inſtruatur ligone; videat alios ſervos terram ruentes; moneatur idem facere à ſervorum directore; videat idem in tabulis ſcriptum; audiat ipſum ex ore Domini omnes alloquentis; aut ſi non ipſe audierit teſtes, tamen ei ſufficientem de domini voce fidem faciant; intelligat deinde caſtigari eos, qui non foderint, cibari & laudari, qui ſoderint; denique ex arcana interdum Domini voce ac nutu percipiat, eſſe ſodiendum. Quomodo fieri moraliter poteſt, ut is ſervus non intelligat, mandatum domini ſui eſſe, *colere hortum*? aut quæ excuſatio ei ſupereſt, ſi non fodiat?

Primum medium cognoſcendi homini eſt *Locus*.

Thema VII. Homini omnia hæc media adſunt, quod paucis per ſingula oſtendendum. Ac *primo* poſitus eſt in *LOCO* ſic conſtituto, ut vel mediocri attentione habita, advertat tum alia infinita, tum maxime *Sapientiam*, ac *bonitatem* Dominatoris ex omnibus elucentem, ſuper omnia eminentem, ac homini præ omnibus aliis communicatam. Etenim paratus eſt omnibus cibus: accenſa eſt in cælo lampas diurna ſol, & nocturna luna cum ſtellis: miniſtrant homini elementa, beſtiæ, ſocii: vellera ovium eum veſtiunt; ei mellificant apes, nent bombyces, pluunt nubes; horas & annos indicat perpetuum mobile cælorum: terrent tamen interdum grandines, tonitrua, fulmina, portenta. Hic ſervus in hac domo poſitus non agnoſcat ametque Dominum tam magnum, providum, bonum?

2dum Inſtrumenta

Them. VIII. Homo pro *ſecundo* habet *INSTRUMENTA*, maxime hæc: Alia quidem eadem cum ceteris rebus, maxime animantibus; ut ſunt corpus, ſenſus, cibus, vita. Alia autem plane differentia & excellentiora, ut ſunt (1. Facultas inquirendi veri ſummi. (2. Facultas appetendi boni ſine fine, ita ut nullo finito quantocunque ſatietur. (3. Libertas in volendo, non ſine limite. (4. Conſcientia vellicans ad agendum ſeu abſtinendum. (5. Conſcientia negans ſibi adeſſe abſolutum dominium in ulla re &c. Quæ omnia inſtrumenta ad nihil ordinantur, quod ſit tantum finitum.

Et ſervus tot tantisque ac talibus inſtrumentis non à ſemet ſed ab inviſibili ſuperiore potentia inſtructus, eandem potentiam non colat, amet? Inſtrumenta hæc non magni faciat, & conſervare integra ſtudeat?

3tium Exempla

Them. IX. Videt homo *Tertio* omnium conſervorum *EXEMPLO*, quærere ipſos ſummum bonum, ſummum verum, libertatemque omnem & cetera inſtrumenta in hoc impendere; quamvis aliqui falſum ſibimet fingant. In hoc puncto conſiſtit *SENSUS COMMUNIS.*

4tum *Monita* conſervorum

Them. X. Audit *quarto MONITA* veterum & expertorum ſervorum, qui aliorum ſervorum directores fuerunt aut ſunt. Parentum, magiſtratuum, doctorum, Philoſophorum veterum: Et ſenſum communem agnoſcit huc tendere.

Et quomodo non amet homines eodem ſenſu præditos ad eundem finem ſecum euntes, & qui ſibi ad finem hunc utiles eſſe poſſunt?

5tum *Scriptæ tabulæ*

Them. XI. Exſtant etiam quinto *SCRIPTÆ, TABULÆ*, varii generis leges, quæ jubent à DEO principium omne ſumi, in DEO finem reponi: ſocietatem vitæ non turbari, ne à patria aberretur.

6tum *Vox* Domini *publica*

Them. XII. Adeſt *ſexto* ipſius *DOMINI VOX*, edita miro modo, & qui majeſtati Domini conveniret. Ea eſt in ſacra ſcriptura contenta adeo plana quoad officia agendorum, ac DEI proximique amorem, ut nullibi aliquid ſimile ſcriptum ſit. Ex quo ſane elucet, DEUM eſſe iſtorum verborum auctorem.

7mum *Teſtes*

Them. XIII. Ea vox *ſeptimo* per *TESTES* promulgata eſt in omnem terram, iterum miris modis: qui teſtes teſtimonio huic inter diros cruciatus immortui ſunt. Teſtes etiam ſuperſunt Judæi omnes, quoad vetus teſtamentum; Teſtes Philoſophi veteres ac novi &c.

8vum *Caſtigationes* & *præmia*

Them. XIV. *Octavo CASTIGA-*

TIO-

TIONES ET PRÆMIA tum quisquo in ſe experitur, tum in aliis. Et quoniam unius male facti non eſt alia ratio quam alterius, per ſe patet, *omnibus* malis deberi caſtigationem, & ſiquod malum aliquo tempore aut modo impunitum fuit, punitum iri alio tempore vel modo.

nonum *Vox ſecreta*, inſpiratio.

Them. XV. Aliquando adeſt homini *Nono SPECIALIS INSPIRATIO*, motusque vehemens ad bonum conſtans optimum; quæ eſt quaſi arcana vox Domini. *Quomodo loquitur DEUS?* quærit S. Ambroſius: & reſpondet: *Nunquid voce corporea? Non utique ſed virtute quadam præſtantiore, quam vox corporis poteſt eſſe; fundit oracula.* Cap. XIV. de Paradiſo num. 69.

Seorſim ſumpta aliquando ſunt ambigua. Simul autem ſunt certa.

Them. XVI. Horum aliqua (1. ſeorſim ſumpta poſſunt quidem eſſe ambigua: Item (2. omnia ſimul ſumpta aliquando poſſunt carere *evidentia*: At (3. ſimul ſumpta & combinata *certa* ſunt media agnoſcendi imperii Dominici ſeu Juris naturæ.

Primum patet v. g. Exempla conſervorum, ſi ſola ſpectentur, æque ad malum ac bonum poſſunt trahere.

Alterum ſupra Them. II. jam oſtendimus non eſſe neceſſarium, imo impoſſibile naturaliter.

Tertium æque verum eſt, ac illud, quod Themate V. oſtendimus, nempe ſervum poſſe ex his novem ſignis agnoſcere certo voluntatem Domini, ac ſine excuſatione.

Reducuntur ad duo, *RATIONEM & AUCTORITATEM.*

Them. XVII. Omnes hæ novem viæ, & ſiquæ ſunt præterea, reducuntur ad duas, *RATIONEM*, & *AUCTORITATEM*: quarum prima eſt auctoritas.

Nequid ſit ambiguum, Rationem dupliciter poſſe conſiderari, aio. 1. Ratio dicitur facultas animæ unum ex alio inferens. 2. dicitur Connexio rerum, cauſarum & effectuum inter ſe.

Nos hic non loquimur de prima, ſed eam ſupponimus, & quærimus media, quæ hanc facultatem moveant ad actualem agnitionem.

Loquimur autem de ſecunda, ſeu de hiſce mediis; quæ media ſunt ipſæ rerum cauſarumque inter ſe connexiones intellectui rite propoſitæ. e. g. Colere DEUM aio eſſe Juris naturæ. *Ratio* eſt, quia naturaliter juſtum eſt, ut Cauſa dans eſſe ſerviatur & colatur ab effecto. At facultas colendi & actus colendi ſunt effecta DEI. Igitur hæc facultas & actus debent Jure naturæ ſervire DEO & ab eo *tota* pendere.

Nam in Primo ſenſu accepta *Ratio*, prout illa in actum exit, ſeu actu imperat facienda, eſt hæc ipſa lex Naturæ participata. Cap. VII. Them. I.

Hoc autem loco nos non inquirimus, quid aut quæ ſit lex naturæ? ſed quæ ſint media quæ nos ducant in agnitionem legis naturæ ac præceptorum ejus?

Imperite ergo diceremus: medium cognoſcendi Jus naturæ eſt *ratio*: idem enim eſſet, ac dicere: medium cognoſcendi rationem eſt ratio eadem. Vid. *Suarez* Lib. I. da Legibus cap. III. num. 9. ex S. Thoma, Cicerone, & Auguſtino.

Paucis rem ſic depingo: Lex æterna, quæ eſt ipſa Ratio DEI agnoſcitur mediante ratione participata creata. Ratio hæc participata non immediate attingit rationem divinam, ſed mediantibus ſignis, connexionibus, circumſtantiis: & hæc poſteriora vocantur à nobis, ac ut videtur, à ceteris etiam *Principia indicativa Juris naturæ.*

Auctoritas primo adhibenda

1. Eam duplicem viam inſiſtendam eſſe prædicto ordine perpetua experientia docet, ac invicte probat. Si enim homo primo deberet adhibere rationem, poſtea demum auctoritatem, vix quidquam aut potius nihil diſceret, adeoque nec ſciret: & infantes vel à conſortio hominum remotos, vel deſtitutos organo auditus, per quod maxime auctoritas influit, experimur bruteſcere. Talis puer fuit in Lithuania inter feras captus per venationem ab Epiſcopo Villnenſi: quod refert Ludolphus in Schaubühne der Welt-Geſchichte. Talis in Gallia, qui cum, ſurdus à nativitate, adoleſcens auditum recuperaret, nullis ſciendi aut religionis aut moralitatis principiis fuit imbutus; tametſi moribus externis obtemperaret & imitaretur alios homines, ut referunt Commentaria Academiæ Regiæ ſcientiarum Pariſinæ. an. 1703. pag. 18.

Quæ plerumque valet, etiam ubi deficit ratio;

2. *Secundo* Auctoritas in homines vim magnam habet, etiam ubi deficit ratio, præſertim ſubtilis ratio quod in mere naturalibus docet experientia: cum pauci ſint homines, qui multarum rerum moralium reddere rationem queant; ſed longe maxima pars auctoritate, cum aliqua ſaltem ratione prævia aut adjuncta, vivat. Unde Philoſophorum, & gentium perſuaſio fuit, primos homines ab ipſo DEO edoctos fuiſſe, agnoverunt enim, rationem nudam ſine doctore ſeu auctore homini nequaquam ſufficere. Et recte Ariſtoteles edixit: *Diſcentem oportet credere.*

Perque eam ratio corrigi debet.

3. *Tertio.* Ratio acutior pluribus perplexitatibus obnoxia eſt. Experientia id probat. Advertit enim Carteſius in Tractatu de Paſſionibus, homi-

nes

nes acutiores, qui valde parum auctoritati tribuunt, ſi ſemel ad pravam partem inclinarint, longe maximæ eſſe malitiæ: cum ii qui plus tribuunt auctoritati, ſint quidem mali ſed minus. Deinde qui ratione abutitur plerumque auctoritate vix corrigi poteſt, quippe quam *contemnit*: contra qui auctoritate ſeducitur, plerumque poteſt adhuc ratione corrigi; quia plerumque æſtimatio auctoritatis non parit contemptum rationis, ſed neglectum forte. Ad ultimum ſumatur obvia quæſtio moralis, eaque jubeatur decidi ex ſola ratione; apparebit, rationes pro & contra in infinitum multiplicari, ut ſylvæ totæ videantur naſci, è quibus vix ſit exitus. Si eadem quæſtio reſolvenda eſt ex auctoritate, facilior patebit exitus; quia poteſt apparere, auctoritatem veterum, mediorum ac recentiorum conſpirantem, majorem eſſe auctoritate ſolorum veterum, & ſic porro.

Et patet latius quam ratio.

4. *Quarto.* Auctoritas latius patet quam ratio propria naturalis in omni noſtra vita. Nam 1. Vita noſtra eſt ſervitus, quod probavimus Capite II. 30. &c. ſervus autem magis dirigitur auctoritate Domini ac ſubſtitutorum ejus, quam ſua ratione. 2. In aquirendo rerum dominio, in earum uſu, in amiſſione, in litigiis, judiciis, omnique vita civili homines tandem parent auctoritati judicum, etiam ubi ipſis ratio contraria evidens videtur: contra non parent rationi, ubi auctoritas ipſis certa eſt. 3. Ratio tantum ad naturalia extenditur; auctoritas etiam ad ea quæ rationem ſuperant, eſtque poſt omnem rationem fruſtra adhibitam ſaluberrimus partus animæ fluctuanti. Plato in divinis explicandis aſſidue recurrit ad auctoritatem vetertimorum hominum, qui origini ſuæ propiores plus de ea intelligere potuerint quam nos remoti. Agnoſcitque demum, maximam de divinis certitudinem nos tum demum habituros, cum aliquis de divinis ad nos venerit, eaque nos docuerit. Quæ à Platone optata felicitas nobis contigit in filio DEI Jeſu Chriſto.

5. *Quinto.* Homines inæqualiter participant de Ratione, alius magis alius minus: at non inæqualiter obligantur jure naturæ, ita ut alius eſſet minus alius plus obligatus. DEUS itaque homine magis illuminato utitur tanquam organo ac medio, cujus auctoritate & ductu poſſint illi etiam,, qui minus illuminati ſunt, credendo melioribus pervenire ad obligationum ſuarum impletionem, & per hoc ad finem ultimum.

Ita inter Gentiles ſuſcitavit DEUS Socratem, Platonem aliosque Philoſophos, multam lucem ſpargentes in populum.

Auctoritate poſſunt etiam ſimpliciſſimi ſalvari: ſola ratione aut acutiſſima ratione utentes vix.

Unde & S. Thomas præcepta moralia, quibus prohibentur inordinationes hominis ad ſe ipſum, per hoc dicit pertinere ad Decalogum divinum, *quia perveniunt ad populum mediante instructione ſapientum.* 1. II. Qu. c. art. V. ad 1mum Nam in Decalogo nullum eſt præceptum de amore ſui ordinato, ſed omnia ad DEUM & proximum ibi referuntur: amorem autem ſui partim ex ſe ipſo diſcit homo, partim ex inſtructione ſapientum. Quæ inſtructio ad quartum præceptum pertinet, ſicut enim pater eſt qui carnem generat & educat, ita melior pater eſt, qui animum informat.

Them. XVIII. Ex hactenus ſtabilitis manifeſta fieri poſſunt perverſa principia plerorumque heterodoxorum Juris naturæ ita dicti ſcriptorum. Dum alii ex ſola nudaque ratione *agnoſcendum* Jus naturæ dixerunt; rejecta omni auctoritate, potiſſimum autem divina; alii jus naturæ *conſiſtere* poſſe ſine relatione ad DEUM neque ut principium neque ut finem; alii ex defectibus & vitiis eruendum illud miſere putaverunt, nempe ex appetitu & libidine nocendi: alii alia conſtituerunt adeo non ad jus naturæ ducentia, ut potius inde abducant, & nata ſint omno jus fasque, divinaque & humana omnia pervertere; niſi potentior aliunde medicina adhibeatur. Videantur hæc uberius in *Larva detracta.*

Ex prædictis argumentis falſa principia juris naturæ

Them. XIX. Jus naturæ *ex ſola ratione, remota auctoritate*, diſcere aus docere, non eſt *NECESSARIUM.*

Jus naturæ ex ſola ratione n. eſt Neceſſarium.

1. Quia, ut Gundlingius advertit ipſe, in legibus civilibus omnium populorum jam eſt *ipſa ratio.* Igitur, us quis diſcat ea, quæ ex ratione ſunt facienda, non eſt neceſſarium rationem ſolam abſtractam ſcrutari, ſepoſitis legibus humanis vel alia auctoritate. Sicut ut quis diſcat cantare, non eſt neceſſarium hoc diſcere ex ſola ſua cantandi facultate, rejecta inſtructione præcentoris: quia in inſtructione præcentoris etiam ipſa jam eſt facultas & ratio canendi.

Probatur à pari

2. Illud non eſt neceſſarium in diſcendo jure naturæ, ſine quo illud diſcunt ex mille hominum partibus fal-

Ab experientia

ſam.

tem nongentæ nonaginta novem partes, cum tribus quadrantibus. At nongentæ nonagenta novem partes hominum diſcunt jus non adhibita *ſola ratione*, auctoritate vero excluſa. Igitur tali modo diſcete jus naturæ, ut ſola ratio adhibeatur, remota auctoritate, non eſt neceſſarium.

Confeſſione D. Wolffii

3. Aſſumptum vero noſtrum non ego comprobabo, ſed perpetua experientia probat. Ipſeque D. Wolffius id nobis debet probare, Ipſe enim cum omni Ontologia ſua & demonſtrationibus mathematicis nihil aliud potuit evincere, quam ut denique in Præfatione Philoſophiæ practicæ fateretur: Jus ſuum naturæ demonſtrativum, ſive rationem ſolam remota auctoritate, non eſſe pro rudibus, ſed tantum pro *jamjam ſcientibus*. Atqui inter partes mille hominum ſunt partes nongentæ nonaginta novem rudes. Igitur ex mille partibus hominum vix una poteſt diſcere jus naturæ ex ſola demonſtratione ſeu ratione abſtracta ab auctoritate. Jamjam ſcientibus autem hoc nihil ſervit: quæ jam ſcimus, non diſcimus.

Nullus homo vel parum diſcit *ſola* ratione

4. Quid quod omnes homines ſemel in vita ſunt rudes, niſi ſint θεοδίδακτοι, & à DEO immediate inſpirati. Igitur *omnes homines* initio debent diſcere ab auctoritate, non à ſola ratione. Vel oſtendatur ex toto genere humano vel *unicus*, qui jus naturæ didicerit ex ſola ratione. Si quis vero à DEO doctus fuit, hoc ipſo fuit doctus auctoritate.

Etiam D. Wolfius.

5. Adde, quod etiam ſapientibus, Ontologis, mathematicis ac Logicorum ceterorum omnium reformatoribus ac præceptoribus, quam infeliciter ceſſerit, Jura naturæ ex ſola ſua ratione aut didiciſſe aut docuiſſe. Exemplum ejus eſt D. Wolfius, rationem ſolam profeſſus, & tamen à principio æque ac fine longe aberrans, quid de medio ſperes? Certe quidquid in medio ſeu in decretis ex principio deducendis ac ordinandis ad finem, boni docet D. Wolfius, id omne omnino edidicit ex doctoribus ipſum præcedentibus, maximeque ex S. Scriptura & Jure Romano. Vid. infra.

Non eſt neceſſarium Jus naturæ imperfecte diſcere.

6. Quod eſt neceſſarium ad legem naturæ diſcendam, ſine hoc non poteſt diſci illud jus. Poteſt autem jus naturæ diſci ſine ratione *ſola*: ſeu poteſt diſci ex auctoritate rationi conjuncta. Igitur non eſt neceſſarium ex ſola ratione diſcere. Eſt idem argumentum quod num. 2. ſed hic converſum.

Objiciuntur primi homines, qui ſine auctoritate didicerint.

7. Objicies: Jus naturæ ex ſola ratione debuerunt diſcere ac docere primi Legislatores, Juris conſulti, Ethicæ doctores. Igitur iſti didicerunt jus naturæ prævie ad auctoritatem humanam, qualis ante hos primos nulla eſſe potuit. Uſque non dicetur, primis Legislatoribus, doctoribus &c. debuiſſe jus naturæ divinitus revelari?

R. 1. Negatur.

8. Reſpondeo 1. Peto mihi oſtendi unum aliquem legislatorem, qui jus naturæ ſine prævia auctoritate didicerit, ita ut docere ceteros poſſet. Solon ad hoc diſcendum magnam moratarum regionum partem perſcrutatus eſt. Anacharſis ex Scythia ad hoc diſcendum profectus eſt ad Solonem & in ejus domo eodem tempore hoſpitium habuit, quo Solon in condendis legibus occupabatur. Moyſes his omnibus valde antiquior neutiquam ſine prævia auctoritate didicit: quippe inſtructus omni ſapientia Ægyptiorum, & poſtea à DEO ipſo doctus. Idem plane dicendum de Ariſtotele, Platone, de Socrate, de Heſiodo, Homero, Orpheo, Lino, & quidquid Græcia doctorum ſecuta eſt.

Exemplo Solonis, Platonis &c.

R. 2. Probatur reſponſio prima.

9. Reſpondeo 2. Si ratio quoque hujus rei exigitur, dabimus eam, quæ nobis apparet. Ponatur enim quilibet primus legislator, etiam ignoti nominis. Quæro; fuit is ejusdem ſortis cum ceteris hominibus, an diverſæ? Si diverſæ ponitur ſortis fuiſſe, nihil ad noſtram quæſtionem pertinet. Non enim quærimus nos, quomodo poſſit aut debeat diſci jus naturæ ab homine qui à noſtra conditione eſt alienus, nec tot juris naturæ, partim larvata compendia in Germania prodierunt ad oſtendendum Germanos à ceteris mortalibus differre, quia Germani Jus naturæ ex ſola ratione diſcant, cum ceteris prævia auctoritas debeat facem accendere. Quodſi is primus legislator fuit ejusdem ac nos conditionis, erit editus à matre ſicut nos, primas notiones hauſerit à matre ac patre & ſociis ceteris ſicut nos: ſive illæ notiones & ideæ fuerint illi nobisque innatæ, ſive acquiſitæ, nam ſi innatæ ſunt, nunquam tamen actu intelligentem hominem faciunt, niſi auctoritate admonente excitentur; quod in infantibus patet, qui ideas innatas (in hac hypotheſi) habent, nihil tamen actu intelligunt, donec multa inſtructione id eſt auctoritate excitentur. Vid. *Larva Detracta* Cap. XVI. quæ contra D. Wolfium diſputavimus.

R. 3. Primi homines aut alterius conditionis fuerunt, aut à DEO docti.

10. Reſpondeo ergo 3tio Videri, neceſſe fuiſſe, ut vere primi legislatores, id eſt primi homines fuerint aut à DEO edocti immediate, aut fuerint alterius conditionis quam nos v. g. ut ſive è terra editi fuerint, ſive ex qua-

cunque alia materia agentibus elementis prognati, ſive à DEO ex nihilo creari. Nam ſi editi è terra ſponte fuerunt, ut Lucretius atheus nugatur: quæritur, an *ratio* ſimul edita fuerit è terra, aut unde ea venerit? nihil in ejusmodi hypotheſi afferri poteſt, niſi miſerabiliter frivolum, ut de impietate interea taceam. Si à DEO conditi ſunt aut ex nihilo immediate, aut ex materia à DEO facta; quæro, iſte homo factus eſt talis, quales ſunt noſtri infantes recens nati? & ſic debuit ab aliis diſcere: non ab hominibus aliis; quia alii non fuerunt: non à ſemet; ſicut noſtri non diſcunt: igitur à DEO, vel aliquo per DEUM miſſo. Si homines primi à DEO facti ſunt tales quales ſunt noſtri viri, nec qualescunque, ſed tales, qualis eſt D. Wolffius in hac ſenectute ſua ontologus & mathematicus & Logicus ſummus; fateor, ſiquis homo tam vaſta ſcientia præditus ſit, illi non opus fuiſſe nec fore auctoritate prævia ad *aliquas inferiores* leges naturæ agnoſcendas aliqua *imperfectiore agnitione*: contendo tamen, etiam huic homini ad præcipuas leges naturæ *perfectius* agnoſcendas, opus fuiſſe ac eſſe auctoritate perfectiorem hanc cognitionem præcedente. Exemplo eſt Puffendorffius & D. Wolffius, viri à ſuis & paſſim habiti doctiſſimi, quorum profanam doctrinam & ego plurimum ſuſpicio. Sed cum omni hac ſua demonſtrativa ſcientia D. Wolffius officia erga DEUM, tametſi ea ipſe aliunde didicerit, per rationem ſuam non potuit ita connectere juri naturæ, ut non ab eo poſſent ſeparari. Quod ego valde imperfectum exiſtimo. Is ſi auctoritati locum in jure naturæ feciſſet, atheis id eſt naturaliter injuſtiſſimis non dediſſet ita liberum campum. Igitur ad præcipua juris naturæ officia certius diſcenda opus eſt auctoritate aliqua à DEO proficiſcente, opus eſt inquam etiam iis hominibus, qui omnium profanarum ſcientiarum pleni naſcerentur ex utero matris, aut è terra educerentur.

Probatur exemplo Wolffii &c.

R. 4. Exemplo Germanorum noſtrorum probatur.

11. Reſpondeo 4. Tametſi omnes prædictæ hypotheſes poſſent ſine difficultate admitti, nulla tamen eſt ac evincitur *neceſſitas*, in moderna hypotheſi ſeu potius ſyſtemate ac ſtatu noſtro jus naturæ hac methodo abſtracta diſcere; ſeu eliminare auctoritatem. In noſtro ſtatu apud noſtros Germanos nulli inveniuntur tales diſcipuli, qui jus naturæ diſcere poſſent ex ſola ratione. Nam omnes in omnibus Univerſitatibus diſcipuli ad collegium juris naturæ accedentes, illud jus jam aliunde ex auctoritate didicerunt. Ergo impoſſibile eſt ipſis, ut diſcant jam ex ratione ſola, quam auctoritas non præceſſerit: factum enim infectum fieri nequit. Et iidem diſcipuli ſi hoc momento obliviſcerentur omnium juris naturæ principiorum, quæ antea ab auctoritate didicerant, nihil nunc in ſcholis poſſent diſcere, niſi *iterum præmiſſa auctoritate*: Ipſique doctores ſi hodie omnium obliviſcerentur eorum, quæ per auctoritatem didicerunt, cras deberent incipere ſicentiam ſuam ab auctoritate. Ita mihi videtur. Siquis mihi contrarium experientia quadam certa probaverit, lubens videbo. Vid. Thema XXI.

J N. *ex ſola* ratione diſcere non eſt *utile*

Thema XX. Jus naturæ remota auctoritate ex ſola ratione tam diſcere quam docere non eſt *UTILE* nec ſingulis, nec omnibus, præſertim juvenibus.

Probatur.

1. Quia ſola ratione, remota auctoritate nihil magis diſcunt, quam ſi etiam auctoritas conjungitur: imo hoc ipſo diſcunt minus.

Quia ratio *qua ratio* non adeſt *uni* tantum homini. Ratio aliorum prodeſt aliis.

2. Si ratio *quâ ratio* conſideratur, talis adeſt non huic uni homini diſcenti aut docenti, ſed etiam aliis: igitur ratio etiam aliorum, quæ non poteſt niſi auctoritate tradi, eſt medium quoddam & adjumentum ad rationem perficiendam & cognitiones obtinendas. Non eſt autem utile diſcentem exuere adjumentis ad diſcendum opportunis imo neceſſariis: igitur non eſt utile à diſcipulis Juris naturæ removere auctoritatem.

Homo deponens rationes ab aliis hauſtas, *nihil* ſcit.

3. Si ratio conſideratur *quâ ſola*, plane non eſt utile ex hac diſci jus naturæ, remota auctoritate. Nam ſolam rationem ſic intelligo, ut eſt in hoc ſolo homine, abſtrahendo à ratione aliorum hominum. Prodeat enim in medium aliquis homo, vel ipſe D. Wolffius, & exuat à ſe omnes illas rationes, omnia principia, quæ ex aliorum hominum præceptione didicit, & ſervet ſolam ſuam rationem, ſive ſervet intellectum ſuum inſtructum ſolis illis ideis ac principiis, quæ ipſe in ſuo fundo invenit: hoc facto credo inprimis appariturum corniculam Horatianam miſere implumem; deinde nec D. Wolffio talem ſtatum utilem futurum ad ſuſtinendum munus Doctoris naturæ, nec utilem illum futurum diſcipulis ab ejus ore pendere volentibus. Mihi ſic videtur: ſiquis mihi afferat talem doctorem aut diſcipulum utilem, aut qui jam fuerit, aut qui nunc ſit, aut qui impoſterum eſſe poſſit, lubens videbo, & me etiam diſcipulum profitebor, tametſi alterum pedem in tumulo habuero.

4. Hoc

Nulla utilitas provênit Germaniæ ex Jure naturæ *ſola* ratione tradito.

4. Hoc quoque volo, ut mihi oſtendatur, quæ ſit illa utilitas, quæ in Germaniam noſtram promanarit ex illis libris, qui profeſſi ſunt Jus naturæ ex ſola ratione docere? Ubi, in qua civitate, in qua aula, in quo negotio utilitatem attulit didiciſſe jus naturæ ex ſola *ratione, remota auctoritate?* Quod bellum ex hac ſola geſtum eſt aut inchoatum? quæ pax compoſita? quod fœdus ictum? quæ lex lata? quæ ſententia in judicio propoſita? quis innocens liberatus? quis reus damnatus? Quis in conſcientia ſua vere ſecurior redditus? quis ad veram ſtabilemque felicitatem adipiſcendam promptior aptiorque factus ex hac diſciplina, quæ ſola ratione, auctoritate remota eſt Germaniæ noſtræ tradita? Proferatur is in medium. Mihi ſpondeo, eum, ſi examinabitur, aut proditurum eſſe auctoritatem, ex qua didicerit; aut plura inutilia in eo deprehenſum iri quam utilia.

Exemplum ſunt Veteres:

5. De hoc, quo minus dubitem, facit experientia duplex eaque longa. *Prima* eſt veterum, altera modernorum. Vetus experientia eſt in Philoſophis ethnicis tam Græcorum quam ceterarum gentium. Illi non pauca quidem intelligebant de Jure naturæ; ſed tum ex illis, quæ intelligebant, nihil fuit, quod non *prius* ex auctoritate fere majorum didiciſſent; tum ex illis ipſis philoſophis, qui maxime ab auctoritate ſeſe abſtinentes maxime in ſolam rationem erant intenti, ii maxime ignorabant principium boni atque finem. Qua de re legi vel Cicero de Finibus poteſt. Fine autem bonorum ignorato neceſſe eſt ignorari juſtitiam, ut idem gentilis agnovit, & nos late loco non uno differimus.

Et moderni, ut D. Wolffius.

Altera eſt experientia nova, ex qua ſolum adduco D. Wolffium, omiſſis ceteris. Is auctoritate (tametſi ipſe ex hac omnia didicerit meliora) ultro ſepoſita non potuit ratione ſola pervenire ad agnitionem principii *morum*; ut qui non niſi phyſicum ſemper aut metaphyſicum docet. Neque venit in agnitionem Finis vere boni, ſed finem bonorum talem ſtatuit, qui ſit magnum malum: nempe miſerabilem hunc & continuum progreſſum in perfectionibus phyſicis humanæ naturæ in hac tantum vita. Quem tamen ipſum progreſſum videtur ex Confutio tandem didiciſſe, quemadmodum Heineccius DEI voluntatem tanquam principium juris denique ex Coccejo didicit. Nam revera iſti auctoritatem, unde diſcant, non abjiciunt, ſolam autem ſpernunt auctoritatem Chriſti,

& Heineccius.

Heineccius quotidie, ita exiſtimo, orans DEUM, ut fieret ejus voluntas, non potuit tamen venire in notitiam principii juris naturalis; cum autem ſemel forte legeret Coccejum, repente illud didicit. Wolffius autem ne in Coccejo quidem hoc legens intelligere potuit, ſed decrevit, omnem ſuam ontologiam, Matheſin ac Logicam armare in Heineccium & Coccejum, contendens meliora docuiſſe Confutium, quia à DEI voluntate Deoque ipſo abſtraxerit. Miſeram ſane rem!

Inutile eſt iterum nova methodo diſcere quæ aliàs cauſes.

6. Ideo quoque hoc in ſcholis inutile eſt, quia modo quidem jus naturæ diſcitur una cum ordinariis ſcientiis, ita quidem, ut vera ejus principia, verus finis cognoſcantur, & ut intelligatur, quomodo concluſiones mediæ ex utroque procedant. Secundum conſilium autem iſtorum poſt hæc iterum nova diſciplina eſſet exordienda de jure naturæ aliter diſcendo iterum. Nam diſcipuli Germani, qui nunc ad Jus omne diſcendum accedunt ſcholas, juris naturæ verum principium & ultimum finem didicerunt jam ex doctrina Chriſtiana, quæ omnium optima eſt juris naturæ doctrina. In ſcholis diſcunt concluſiones medias Juris civilis ex jure naturæ deductas: & diſcunt, oſtendentibus magiſtris, qua ratione illæ concluſiones ex jure naturæ deductæ ſint, ſeu quare ad principium & finem connectantur: omnes enim boni ſcholarum doctores ſolent rationes legum diligenter pandere auditoribus. Hoc utroque diligenter præſtito, quæro, utrum diſcipulus didicerit Jus naturæ? utrum ignoret? Si tales diſcipuli ignorant jus naturæ, ſequitur Jus naturæ ante D. Wolffium fuiſſe omnibus Germanis ignoratum; quia ipſe ſe primum profitetur, qui ex *ſola* ratione demonſtraverit Jus naturæ: nec Heineccio idem fere jactanti ullas in hoc partes permittit, quia is jus naturæ à voluntate DEI pendere putaverit. Si vero hac ratione diſcipuli didicerunt Jus naturæ, ſequitur eos cogi ad bis eadem diſcendum, ſi poſt hæc omnia debebunt iterum totum jus naturæ ex ratione diſcere non conjuncta cum doctrina morum aut legum, ſed ex ratione ab utroque ſecreta ac ſeparata. Videatur de hoe *Larva detracta* Cap. IV. Them. XXII. & Cap. IX.

Inutilitas hæc jam alibi oſtenſa.

7. Hæc ita habere, atque talem methodum nihil utilitatis afferre, docuimus etiam in *Larva detracta* Cap. XV. ubi oſtendimus Themate III. & ſeqq. illos conatus nec eſſe utiles ad diſciplinam morum, nec ad conſcientiæ quietem ſive gentilibus ſive Chriſtianis comparan-

parandam, nec ad forum civile, nec nobilitati rure agenti, nec ad politicam aut publica negotia.

Objectio Ordinatius diſcitur Jus N. ſi prius ſola ratione.

8. *Objicies*: Jus naturæ *ordinatius* diſcitur, ſi prius evolvantur, quæ in natura latent æqui & juſti principia, in ſubſidium utique vocando etiam quæ ab aliis (cum omnibus detegendis unus homo non ſufficiat) detecta fuere. Deinde conformitatem eorum, quæ ab auctoritate conſtituta ſunt cum iisdem principiis oſtendendo.

℟. Negatur, quia ne poteſt quidem ita diſci. Experientia.

9. *Reſpondeo*, ac nego ordinatius ſic diſci; quia ne poteſt quidem ſic diſci. Si enim D. Wolfius, Heineccius, Puffendorffius, Grotius non *prius* ex auctoritate didiciſſent de rerum dominio, de bello, pace, contractibus, de ſanctitate vitæ tuendæ & infinitis aliis; ſi non ex nutricibus intellexiſſent tum res quotidianas tum plurima de DEO, de ſumma felicitate &c. ne illi poſtea ſola ſua ratione adhibita ex his omnibus nihil propemodum didiciſſent, ne dum docere alios potuiſſent. Populus Romanus ratione utique præditus multis tamen ſeculis indigebat, donec ea condiſceret, quæ nunc Heineccius & Wolfius ex *ſola* ratione intra aliquot menſes docturos ſe profitentur. Quin populus Romanus ne hæc quidem ex ſola ratione didicit, ſed eorum ſcientiam miſſis publice legatis ex Græcia repetiit.

Quid ſit ordinate diſcere?

Itaque ego quidem ſic exiſtimo, *ordinate* jura naturæ ita ſolum diſci, ſi rudis primum ſe committat auctoritati cuidam ſalubri inſtituendum; hac inſtitutione, & accedente per ipſam hanc inſtitutionem paulatim majore rerum omnium cognitione per plures diſciplinas acquiſita, illuminatur mens, diſponitur voluntas, ratio expurgatur ac roboratur; ac tunc demum cum ſatis experientiæ adeſt, illa lumina cum iis conferre poteſt, quæ ex auctoritate antea didicerat, atque conformitatem inter utraque examinare. Qui vero contrarium evincere voluerit, ab eo peto, ut producat in medium eum hominem, qui ratione præcedente, auctoritate demum ſequente jus naturæ utiliter didicerit. Ego vero in contrariam aciem producam omnes quotquot ſunt & fuerunt in terra homines cogniti, ipſumque Heineccium, ipſumque adeo D. Wolfium, qui niſi in ipſis erudiendis præceſſiſſet auctoritas, non tantum non ordinatius ſcirent iſta, ſed plane de his *nihil*.

Ex ſola ratione diſcere non eſt *poſſibile*.

Thema XXI. Jus naturæ ex ſola ratione, remota auctoritate, diſcere, non eſt moraliter *POSSIBILE*.

1. Probavimus id jam ſupra Them. XVII. n. 1. & Them. XIX. n. 7. &c.

Probatur Experientia.

2. Puffendorffius, Heineccius, Wolfius nunquam poſſunt probare ſe ea quæ docent, ex ſola ſua ratione didiciſſe: noti ſunt enim illorum omnium parentes, magiſtrique, notum eſt quanto ſtudio in verſandis doctorum libris verſati fuerint: niſi forte dicerent, libros ſe quidem, magiſtroſque habuiſſe, ex illis tamen nihil de jure naturæ, omnia autem ex ſemet didiciſſe: id quod multam ingratitudinem, multam arrogantiam, adeoque parum juris naturæ ſaperet, parumque ſpei præberet ex ejusmodi doctoribus proficiendi. Quodſi jam ipſi doctores omnia didicerunt ab auctoritate cum ratione, quomodo poſtulant à diſcipulis, aut quomodo iisdem promittunt, omnia diſcenda ſine auctoritate ſola ratione? Qui hoc promittunt, qua ratione cathedras erigant, aut libros conſcribant, comprehendere ego quidem non valeo. Quid enim eſt doctor ſine auctoritate?

Objectio. Auctoritas docens eſt neceſſaria.

3. *Objicies*; Diſtinguendum eſſe inter auctoritatem *præcipientem* & *docentem*. Præcipiens vocatur, cui obſequi oportet cæco modo, non examinata ratione aut juſtitia præcepti. Docens appellatur, quæ legem proponit, ſimulque illius rationem & juſtitiam ſeu convenientiam cum ſtatu naturæ humanæ oſtendit. *Docentem* eſſe neceſſariam probat præſens thema, non vero præcipientem. Sed hoc ipſo ſequitur, rationem *in ſe* eſſe auctoritate docente priorem illiusque baſin.

℟. 1. Ego verum eſt thema.

4. *Reſpond.* Imo diſtinctionem illam non reſpuo. Dico autem, totum meum ſermonem hic quidem inſtitui de principiis non *conſtituentibus* legem naturæ, atque adeo non de auctoritate præcipiente, ſed tantum de *indicativis*, id eſt de auctoritate docente, quæ ſit neceſſaria homini volenti non facere præcepta, ſed *diſcere*, cognoſcere, intelligere. Cum igitur meum thema probet, docentem auctoritatem eſſe non tantum neceſſariam, ſed priorem & antecedentem, ſequitur falſam eſſe propoſitionem contradictoriam, nempe *ſolam* rationem ſine auctoritate ſufficere ad *diſcendum* vel *docendum* jus naturæ.

℟. 2 Ratio non eſt prior in diſcendo Auctoritate docente

5. ℟. 2. Auctoritate docente non eſſe priorem ſeu anteriorem rationem in diſcendo, ſed poſteriorem, etiam hoc experientiâ ipſa probatum dedimus; niſi quis rationem ſumeret pro ipſa nuda facultate diſcendi remota, qualis etiam infantibus & mente motis adeſt: hanc enim adeſſe debere, ante quam auctori-

tati-

tati te erudiendum des, omnis iterum experientia docet.

Rɛ. Sufficit auctoritatem non poſſe ſeparari à ratione.

6. Rɛ. 3. Rationem eſſe priorem dignitate, ac vi in diſcendo jure naturæ, atque eſſe baſin auctoritatis docentis, equidem hoc loco nolim nimium pugnare; hoc enim loco mihi ſufficit oſtendiſſe, inutiler ſeparari auctoritatem à ratione, imo ne poſſe quidem ſeparari. Quemadmodum enim ædificium nullum ipſamque adeo baſin ejus nemo vel incipit ſine auctore; ita etiam juris naturæ diſciplinam ipſamque adeo rationem nemo ne obtinet quidem ſine auctore & magiſtro.

Et tamen etiam prior eſt auctoritas docens

Ceterum in diſcendi initio auctoritas docens non tantum prior tempore eſt, ſed etiam potior vi, dignitate & poteſtate, ita ut ea etiam *cæco modo* ſit ſequenda. Nam, ut Ariſtoteles advertit, diſcentem oportet credere, & niſi ante credat, non ſciet poſtea, & S. Auguſtinus probe notavit, eum, qui prius non velut cæcum ſe præbeat auctoritati docenti, non eſſe diſcipulum. Quippe qui ejusmodi eſt, aut jam ſcit ea, quæ doceri petit, & ſic nugator eſt: aut neſcit; & ſic in eo eſt cæcus, nec rationem eorum tenet, ſed auctoritas ei cæco applicata tam eſt potens, ut rationem in eo aut proliciat aut generet: prolicit, ſi ideæ jam ſunt innatæ; generat, ſi ſunt acquirendæ.

Rɛ. 4. Auctoritas præcipiens, & quidem divina, neceſſario præcedit J. Naturæ.

7. Reſpond. 4. De auctoritate autem præcipiente quin ea debeat præcedere rationem omnem jure naturæ ligandam, res eſt indubitata; quia auctoritas, præcipiens eſt principium conſtitutivum & cauſa efficiens tam ipſius rationis quam juris naturæ abſoluti. Contraque ſentientem D. Wolffium excuſſimus Cap. XVI. *Larvæ detractæ*.

In ſcientia juſti auctoritas divina neceſſaria agnita gentibus.

8. Ceterum in ſcientia juſti adeo non tantum Plato aliique philoſophi doctiſſimi deſudarunt, ſed etiam plerique omnes popului, ut, cum vellent ad ejus ſcientiæ originem pervenire, nihil ſupereſſe agnoverint, quam ut majores ſui ac primi homines eam à DEO acceperint. Sic nuper detecti Peruvienſes, ſic Indi, ſic Græci, ſic Romulus & Numa Pompilius, ſic Mahometes, ſic omnes veri ac falſi juris doctores affectarunt divinam auctoritatem ſibi revelatam; quippe *ſenſus communis* totius generis humani eſt & fuit, de *juſtitia* fundamentaliter doceri homines, niſi à DEO non poſſe. Vid. Cap. XVI. *Larvæ detractæ* contra D. Wolffium.

***Objectio.* Auctoritas poteſt eſſe falſa.**

9. *Objicies* rurſus: Auctoritatem divinam in docendo juſto affectarunt tam falſi quam genuini doctores: Ergo auctoritas non eſt principium indicativum juſti, ſed indiget ulteriore,

Rɛ. 1. Etiam ratio poteſt eſſe falſa.

10. *Reſpond.* 1. Retorqueo argumentum: Rationem affectarunt tam falſi quam veri juris naturæ doctores: Ergo ratio non eſt principium indicativum &c.

Rɛ. 2. Ex affectatione auctoritatis infertur. eam eſſe verum indicativum J. N.

11. *Reſpond.* 2. Imo ex hoc quod tam falſi quam veri doctores juſti affectaverint auctoritatem & rationem, ſequitur plane utrumque eſſe verum indicativum principium juſti. Nam ille eſſet inſanus, qui volens doctorem ſe vendere, affectaret ſigna doctrinæ ſuæ, quæ nec ſunt ſigna veri nec ſenſu communi pro talibus habentur. Sicut qui vendere volens mercem quamcunque proponeret talia ſigna, quæ aut à nemine pro ſignis earum mercium agnoſcerentur, aut non niſi à ſtultis, inſanis, & mente motis.

Rɛ. 3. Auctoritas *ſola* non eſt principium indicativum juſti, niſi interdum in divinis.

12. *Reſpond.* 3. Diſtinguendam eſſe illationem argumenti, Auctoritas ſola non eſt indicium juſti; Auctoritas tamen juncta rationi. Quantum tamen attinet ad divina agnoſcenda in his quandoque auctoritas ſola indicat: non ita quidem ſola, ut rationem *omnem excludat*, ſed ut etiam nulla *intrinſeca* naturæ ratione data inventaque, auctoritas divioa intellectum humanum ipſum ſic illuſtret, determinet adeo, ut ſine alio requiſito poſſit adſentiri, ſi voluntas ſe determinet. Quemadmodum Saulo evenit in ſua converſione, & infinitis aliis. Nam ſi lumen illud veritatis, quod intellectus piſcatur ex rebus ſenſibilibus, poteſt ejus aſſenſum mereri, quomodo non ipſum lumen veritatis ſubſtantialis divinæ quocunque alio diviniore modo communicatum cum anima poterit eundem aſſenſum mereri? Cum igitur dixi, in tali eventu auctoritate ſola rem geri, non excluſi rationem omnem; ſed auctoritas illa ſecum fert rationem multo optimam.

Sola ratione docere J. N. nunc eſt noxium.

Thema XXII. *Sola* ratione, excluſa auctoritate docere jus naturæ, *ut nunc obſervandum*, eſt etiam *NOXIUM* ac ſonticum. Docere autem tali modo jus naturæ ut neque nunc obſervandum neque in ullo alio ſtatu reali ſed imaginario, eſt *DELIRUM.*

Quæro, an etiam ex *ſola* ratione vivendum?

1. Ad hoc planius faciendum *Quæro*, an illi, qui jus naturæ tradunt ſola ratione, excluſa auctoritate, velint ac jubeant, ut homines nunc exiſtentes ac diſcipuli ſui etiam ita vivant, ſola nempe ratione, excluſa auctoritate ex principiis actionum? Si hoc volunt, nemo non videt, omnia ſuſque deque verſum iri, ceſſaturam omnem obedientiam, omnem religionem, & paulo poſt uſum quoque rationis ex genere humano penitus ceſſaturum; quippe qui uſus fere

totus ex auctoritate & magiſterio primum acquiritur.

Quær. an ex ratione ſola diſcendum, aliter autem vivendum?

2. *Quæro*: an iis, qui jus naturæ ſola ratione, excluſa auctoritate docendum contendunt, velint *diſcendum* quidem illud jus ex *ſola* ratione, *exercendum* autem & practicandum eſſe etiam *auctoritate* valente, imo ut plurimum prævalente? Si hoc propoſitum ſibi habent, neſcio, quæ ſit cauſa cur tantum clamoris de utilitate ac præſtantia iſtius ſtudii paſſim increbreſcat? Studium morale omne, nec Ariſtotele nec ullo homine hactenus refragante, ad actionem tendit: Iſtorum autem ſtudium tali modo ad actionem non tenderet: Non igitur eſt ſtudium morale: & quomodo erit ſtudium juris naturæ? Siquis doceret hominem circa muſicam ex *ſolis* regulis Geometriæ & arithmeticæ, remoto uſu & conſuetudine & auditu, juberetque diſcipulum muſicam quidem ita diſcere; poſtea tamen cum exercenda eſt muſica, conſuetudinem ſequi & auditui obtemperare: quid hic præceptor diſcipulum juvat? Dices: hoc juvat, 1mo ut diſcipulus auditui obtemperet, etiam cum regulæ videntur aliter præcipere: vel 2do hoc, ut ſciat, quid regulæ præciperent, etiam cum in praxi aliud agendum eſt ob auctoritatem. Vel 3tio hoc ut ſciat, cur auctoritati obtemperandum ſit etiam contra regulam. Vel 4to hoc, ut etiamſi contra regulam ſit obtemperandum conſuetudini, tamen ipſe ſciat, talem obſecutionem in fundamento non pugnare contra regulas; eo quod ex regulis hæc quoque ſit una, obtemperandum eſſe auditui & conſuetudini. Hæc ſiquis novorum doctorum contendat etiam valere in doctrina Juris naturæ ſeu morum, ad ſingula nobis erit reſpondendum; id quod jam faciam.

Non. quia morale ſtudium nonniſi propter actionem ſuſcipiendum.

Urgetur 1ma hypotheſis.

3. Si ſtudium ſeparatum juris naturæ ad hunc finem traditur, ut diſcipuli diſcant ex ſola ratione intelligere jus naturæ, in praxi autem ſequantur auctoritatem etiam contra rationem quam didicerant à magiſtro vel ſibimet fabrefecerant: non tantum inutilis eſt hæc diſciplina, ſed & noxia. 1mo quia tempus perditur à juventute. 2do quia hoc ipſo ſtudium Juris naturæ ſuſpectum redditur tanquam irrationabile. 3tio Quia cuilibet non tantum conſuetudini ſed etiam corruptelæ janua aperitur. Ita Spartani recte mentientur, jurabunt &c. quia conſuetudini ſerviendum eſt etiam contra rationem, in hac hypotheſi.

Urgetur 2da hypotheſis

4. Si Jus naturæ ex ſola ratione ideo tradendum eſt, ut diſcipuli ſpeculative ſciant, quid eſſet ex ratione agendum ibi, ubi auctoritas aliud exigit? Talis ſcientia eſt inutilis ob puram ſpeculationem ſine fructu vitæ. Sed inſuper eſt noxia 1mo ob contrarietatem principiorum, immenſum enim nocet, maxime in moralibus, regulis & principiis adverſari in praxi. 2do nocet hoc ideo; quia ſpeculativa ſcientia habetur pro veritate. Si ergo in praxi neceſſe erit ab ea recedere, diſcipulus debet judicare, ſe recedere à veritate, & tali modo agit cum conſcientia practice mala.

Urgetur 3tia hypotheſis

5. Si Jus naturæ ex ſola ratione ideo docendum eſt, ut diſcat rationem & cauſam: *cur* ſæpe ſit obtemperandum auctoritati, propria ſuaque privata ratione non obſtante; talis ratio, *cur* id faciendum ſit, nullo modo indiget ulla cathedra, ulla diſciplina nova, ullo in academiis profeſſore, ullove libro ſeorſim à quoquam ſcribendo: & quilibet infans hoc diſcit à teneris; quilibet barbarus aut truncus poteſt hoc diſcere ex quolibet nauta vel colono. Quodſi dicas, equidem pueros & alios rudes poſſe ſcire aliquam cauſam generalem, cur parendum ſit auctoritati; ſed doctis opus eſſe, ut in quolibet caſu aut lege ſciant, quomodo hæc obedientia particularis ſequatur ex illa regula generali. Ad hoc reſpondeo, iſtud eſſe falſiſſimum, nempe hoc opus eſſe ad vitam, mores, & juſtitiam; cum ne ipſi quidem docti in hoc conveniant; & per iſtam diſquiſitionem nonniſi dubitationibus, excuſationibus, & inobedientiæ ſternatur via; Ex hoc enim quod aliquis non poterit deprehendere connexionem particularis hujus obedientiæ cum illa univerſali ratione obediendi, pronus fit ad ſemet ab obedientia abſolvendum, ſi conſuevit tunc ſolum obedire, cum particularem rationem perſpicit.

Non eſt neceſſe in particulari ſcire, quomodo preceptum deducatur ex univerſali principio.

6. Quæro jam iterum, an omnium legum humanarum ſaltem Germaniæ rationes particulares in tali Juris naturæ diſciplina ſint ſeorſim à legibus tradendæ in unum corpus collectæ? Hoc autem eſt impoſſibile, ſive in multis ſive in paucis legibus. Impoſſibile eſt enim aſſignare rationem, cur depoſitus enſis non ſit reddendus furioſo, niſi ſimul afferatur lex & obligatio non reddendi. Impoſſibile eſt aſſignare rationem, cur miles teneatur manere in ſtatione, niſi ſimul dicatur, quod teneatur &c. Igitur qui omnium legum rationes particulares pro juris naturæ diſciplina habet, eaſque tradere diſcipulis vult; is ſimul omnes leges humanas tradere debet. Hoc ipſo autem non

Incaſſum traduntur ſeorſim rationes obligationum, & ſeorſim ipſæ leges obligantes.

tradiſ

tradit *ſeparatam diſciplinam juris naturæ*, ſed tradit *diſciplinam juris civilis conjunctam cum jure noturæ*. Hoc Ipſo etiam nihil aliud facit, quam quod omnes Juris doctores hactenus fecerant. Hoc ipſo ceteros ante hac doctores calumniatur tanquam Ignorantes ſeu Ipſius juris naturæ ſeu modi tradendi. Hoc ipſo inaniſſimos & Inutiles clamores in Germania noſtra excitavit.

Qvid mali ſequatur ex Jure naturæ *Sola* ratione tradito.

7. Nocumentum, quod ex tali Juris naturæ diſciplina fluxit jamjam, triſtibus exemplis ſenſere provinciæ. Ex hac enim rationis *ſolius* deprædicatione conſurrexit libertas, indifferentia, naturaliſmus & ejusmodi monſtra ſemper magis invaleſcentia. Secum enim, quamquam falſo, ratiocinantur: ratio mihi hoc dictat: Rationis dictamen ſolum eſt ſeouendum, quia ex ſola ratione eſt demonſtrandum jus naturæ: à jure naturæ me nemo poteſt impedire; & quomodo iſtud imperium cum ratione ſola connectatur, ego non intelligo. Igitur mihi ſequenda eſt mea ratio: alia jubenti reſiſto &c.

Abuſus per ſe ſequitur ex hoc.

8. Equidem excipit nonnemo, talia tantum ſequi ex abuſu rationis, non ex uſu. Reſpondeo, imo hoc Ipſum eſt abuſus, quod *ſola* ratio pro indicio legis naturæ ſtatuitur: ex quo non per accidens ſed per ſe ſequitur, quod debeam reſiſtere legi humanæ vel divinæ per rationem ſolam mihi non demonſtratæ. Illi enim legi non poſſum parere, quæ non ratione ſola demonſtretur fundari in lege naturæ: at fundari in lege naturæ hanc legem in dato caſu, non poſſum mihi demonſtrare ratione *ſola*: Ergo huic legi in dato caſu non poſſum parere.

Clerus Gallicanus damnavit *ſola ratione* utentem J. N. doctrinam.

9. Recte igitur Clerus Gallicanus videtur cum Academia Pariſina ac Lovanienſi confixiſſe hanc propoſitiooem: *Liceat ex SOLO RATIONIS LUMINE dijudicare, quando quis privatus poſſit pro tuenda vita, vel bonis, vel honore oliquem occidere.* Apud Alexandrum Natalem Theolog. Dogmat. Lib. III. Cap. IV. Reg. XVI. Sed de hac juris naturæ talis inutilitate &c. complura jam produximus in *Larva detracta* Cap. III. præcipue. Them. XV. & ſeqq. & Cap. IV. Item Cap. VII. & Cap. IX. Them. VI. ſeqq. &c.

Admiſſa etiam ſola ratione fruſtra ſperatur principium unum primum, ſpeculativum.

Thema. XXIII. Etiamſi admittenda eſſet *ſola* ratio ad diſcendum jus naturæ, incaſſum tamen laborant, qui omnia reducere conantur ad *unum univerſale principium primum indicativum SPECULATIVUM morale.*

1. De hoc in *Larva detracta* diſputavimus Cap. V. Them. VI. & ſequentibus.

Videtur implicare in terminis.

2. Videtur res implicare in terminis, in *practica* diſciplina neceſſe eſſe perveniri ad principium primum *ſpeculativum*. Neque inſignis Theologus *TOURNELIUS* Tom. VI. Tract. de Legib. Cap. III. Artic. II. Sect. I. Not. I. huc pertinet, cum dicit: „ Docent „ porro Theologi, ſicut unum eſt in „ ſpeculativis principium, à quo cetera „ fluunt - - - ſic & in practicis „ unum eſſe generale principium, ad „ quod omnia alia reducuntur, & à „ quo dimanant. Hoc autem principium „ illud eſſe volunt: declina à „ malo & fac bonum - - - - omnia „ hominis officia inde facile colligi „ poſſunt, quod bonum expetendum „ ſit, malum vero reſpuendum. Etenim Tournelius affert principium non ſpeculativum ſed practicum. Noſtrum autem Thema ſonat de ſpeculativo. Deinde principium à Tournelio allatum non eſt indicativum juris naturæ, ſed eſt præceptum ipſum juris naturæ, non indicium præcepti. Noſtrum autem thema loquitur de principio uno indicativo: & nos contendimus, plures eſſe *indicationes* juris naturæ, quæ non neceſſario ſubordinentur *uni* primæ *indicationi*. Denique hoc ipſum à Tournelio allatum principium ſi *pro ſolo indicativo* admittendum eſt, non poteſt eſſe primum indicium, cum ipſum illud bonum, quod faciendum eſt, ſit in quæſtione, quod aut quale ſit?

Nec contrarius eſt Tournelius.

Datur tamen principium unum practicum, finis ultimus.

3. *Practicum* autem principium unum ad quod omnia ordinentur, omnino admitti debet: nempe *bonum ſummum*, tanquam finis ultimus; quia hoc non admiſſo nullus poteſt fieri motus moralis; ut de Fine ultimo diſputantes diximus in *Larva detracta*, & iterum dicemus poſtea. Sed hoc principium non eſt principium indicans legem naturæ, ſed movens voluntatem ad obſervandam legem naturæ: adeoque non eſt ſpeculativum ſed vere practicum.

Ariſtoteles ſumme ſpeculativus non potuit invenire principium primum ſpeculativum morale

4. Ariſtoteles adeo amavit metaphyſica, & prima principia, ut multorum reprehenſionem Incurrerit: ſimul adeo fuit acutus ad univerſalia invenienda, ut omnes veteres ac moderni fateantur, in hoc neminem ipſo fuiſſe ſuperiorem. Is tamen fatetur I. Ethicor. cap. III. & II. Ethicor. cap. II. hoc in moralibus locum non habere, ſed ob rerum mutabilitatem ſufficere doctrinam non evidentem & non mathematicam.

S. Thomas idem.

5. Latius id probat S. Thomas vel Ægidius Romanus in opere de Regimine Principum Libri I. parte I. Cap. I.

idque

Id probans ratione. 1ma

idque tribus è momentis. *Primo*, quia materia moralis eſt de negotiis ſingularibus; ſingularium autem ſcientia non eſt demonſtrativa per cauſam; cum mutentur perpetuo & fluant, & in hoc opponantur Mathematicis. v. g. ablatio rei alienæ in particulari jam eſt injuſta; jam, ſcum nova circumſtantia novumque indicium acceſſerit, fit juſta; jam vero iterum injuſta deprehenditer ex alio accidente.

ratione 2da

6. Altera Ratio D. Thomæ eſt; Quia ſcientiæ moralis finis non eſt demonſtratio. „ Ariſtoteles II. Ethicor. cap II. ſic habet: „ Opus morale ſuſcipimus non contemplationis gratiâ, ſed ut boni fiamus. Finis ergo „ intentus in hac ſcientia non eſt ſui „ negotii cognitio, ſed opus: nec eſt „ veritas, ſed bonum. Cum ergo rationes ſubtiles magis illuminent intellectum, ſuperficiales vero & groſſæ magis moveant & inflamment affectum; in ſcientiis ſpeculativis, ubi ſpecialiter quæritur illuminatio intellectus, procedendum eſt demonſtrative & ſubtiliter; in negotio morali, ubi quæritur rectitudo voluntatis, & ut boni fiamus, procedendum eſt perſuaſive & figuraliter. Ita Liber de Regimine Principum.

ratione 3tia

7. Tertia ratio ejusdem libri eſt ex parte diſcipulorum. „ Totus populus „ auditor eſt quodammodo hujus artis. „ Sed pauci ſunt vigentes lumine intellectus &c. Cum igitur totus populus „ ſubtilia comprehendere non poſſit, „ procedendum eſt in morali negotio figuraliter & groſſe „ Ubi non ſic intelligendum eſt, ut quid pro quo afferatur per rationes ſophiſticas, quemadmodum Puffendorffius & D. Wolffius faciunt, & alii quos exagitavit C. P. Schwarzius. Sed veræ debent eſſe raitones, ex quibus concluſio moralis ſequatur, non tamen generaliſſimæ aut primæ, ut fit in demonſtrationibus metaphyſicis & mathematicis. Vid. *Larva detracta* Cap. V. Them VI. &c.

Lokius Anglus idipſum probat.

8. *Lokium* etiam his addo de Intellectu humano Lib. IV. Cap. IX. §. 10. ubi ait: „ Stultitia eſt, hominem, animal tam limitatum, exigere demonſtrationes & ultimam certitudinem „ in rebus indemonſtrabilibus. Stultitia, negare aſſenſum propoſitionibus valde rationabilibus, quia non „ poſſint demonſtrari. Qui in negotiis ordinariis vitæ nihil admittet, niſi evidenter ac directe demonſtratum, huic nulla res erit certior quam „ propinquus interitus: nullum enim „ inveniet cibum, nullum potum ita „ demonſtrabilem, ut non de ejus uſu „ aliquod dubium manere poſſit. Quod Lokius magis urget eodem libro IV. Cap. XIV. ubi oſtendit inevitabile eſſe in permultis ſtare auctoritati, & veracitati docentium &c.

Nemo poteſt oſtendere illud principium unum primum.

9. Demum veritatem Thematis mei probo argumento jam in Larva detracta audito. Si poſſibile eſt, moralia reduci ad *unum principium indicativum primum*, oſtendat aliquis illud. In hunc usque diem diſſentiunt docti, ii etiam qui ceteros omnes corrigere ſe velle profeſſi ſunt, ut Velthuſius & D. Wolffius. Eodem modo diſſenſerunt Philoſophi veteres. Cum igitur per tot annorum millia à tot millibus auctorum Ingeniorum hoc *primum* inventum fuiſſe decernere nemo poſſit, iterum dico. *impoſſibile moraliter* eſſe, ut ad hoc deveniatur. Si hoc eſt impoſſibile, neceſſe eſt admitti *plura*, ſi dantur. Dari autem plura eſt communis ſenſus, ego tueor.

Si quis illud oſtenderit, amplectar.

10. Aliàs ego in hac diſputatione nullam conſtituo vim meæ doctrinæ. Diſputent, indagent mea pace metaphyſici, quomodo *plura* indicativa reducant ad *unum primum* ex quo cetera tanquam ex illo; *Quodlibet eſt vel non eſt*; deducantur &c. ego, ſi ipſi hoc invenerint, libentiſſime illud amplectar. Hoc autem contendo, plura revera eſſe, ac inter ea *auctoritatem*, quam adverſus heterodoxos tuendam ſuſcepi, tanquam ſalubrem Juris naturæ anchoram, qua erepta naufragii ſit periculum.

Auctoritas & Ratio ſunt vera principia indicativa juris naturæ

Thema XXIV. AUCTORITAS ET RATIO ſunt vera principia Juris naturæ non tantum in generali lege naturæ indaganda, ſed etiam in ea applicanda ad omnem caſum particularem: ita ut ſere ſemper concurrant. *Quandoque* tamen ratio ſola prævalet in applicatione actuali, quin tunc auctoritas particulariter videatur concurrere, cum tantum generaliter ſuppoſita ſit. *Quandoque* autem prævalet ſola auctoritas, quin videatur ratio peculiaris concurrere, cum ratio tantum generaliter ſuppoſita ſit.

Nos coacti illud multis probare contendimus; quod ſenſu communi valente non erat neceſſe.

1. Hæc duo eſſe principia generalia agnoſcendi quid ſit juſtum ac bonum, probavimus hactenus pluribus, quam forte erat opus, adacti contradictionibus. Nam absque his ſi fuiſſet, ſufficiebat ſimpliciter dicere: Juſtum ex his duobus mediis poſſe diſci: nemo hominum ſive qui nunc ſunt, ſive qui fuerunt ſuper terram, præter pauculos iſtos heſternos negaſſet. Quodſi enim hæc non ſunt illa media, producantur mihi alia, quæ in his jam non comprehendantur.

2. Quan-

Sola ratio *videtur* interdum prævalere.

2. Quandoque autem ſolam rationem particulariter prævalere, ſuppoſita tantum generatim auctoritate, oſtendo. Sit homo aliquis doctiſſimus in caſu aliquo vehementer dubio. Adſunt illi rationes pro & contra, ex quibus initio ſe neſcit determinare. Conſulit ergo alios ſeu vivos ſeu mortuos: nec in illis invenit hunc caſum. Attamen ab eorum conſilio vel lectione redux atque iterum recoquens ſuas tationes pro & contra, invenit rationes negativas prævalere, & ſententiam fert negativam. Hæc ſeotentia videtur ex ſola ratione manare, nulla auctoritate. Ego tamen adſevero, etiam hic Auctoritatem oon uno modo concurriſſe. 1mo concurrit generatim præſuppoſita ſeu præcedens; quia hic homo tametſi nunc ſit ſcientiſſimus, olim tamen fuit rudiſſimus, & omnia prima lumina auctoritate docente obtinuit. Igitur auctoritas generatim præcedens influit in omnes deinde ejus actiones. Deinde 2do influit in hanc ſenteotiam etiam auctoritas docens eorum librorum, quos hic doctus conſuluerat: quippe, etiam non advertenti fortaſſe, ſuggeſta ſunt ex libris his lumina, quæ elleceerunt, ut rationes antea amphibologicæ viſæ jam viderentur firmæ. Neque dixeris: non auctoritas nuda librorum eum movit ad decernendum, ſed ratio nuda, quam in libris invenit. Ego enim non volo, nudam & ratione omni deſtitutam auctoritatem ullam movere nos debere aut poſſe. Sed auctoritatem nobis eſſe viam ad inveniendum juſtum una cum ratione: imo rudibus, & incipientibus diſcere, dico auctoritatem eſſe viam ad Ipſam ratioois uſuram acquirendam, per quam deinde uſuram demum capaces ſumus juſti inquirendi, utique non ſpreta prima magiſtra ac duce noſtra, nempe auctoritate. Neſcio an in toto orbe ſit aliquis homo, qui alia via ad ſenſum juſti pervenit, quam hac. Et ſiquis eſt, illum agnoſcendi ingenti cupidine tenentur multi, noſtri præcipue Germani, quorum eſt adagium nemine contradicente: Es fallet kein Gelehrter vom Himmel: *nemo doctus de cœlo venit*.

Quandoque ſola authoritas ratio videtur prævalere.

3. Quandoque autem ſolam auctoritatem prævalere, ratione tamen non penitus excluſa ipſe fatetur D. Wolfſius, hoc rudibus neceſſarium eſſe in jure naturæ, & ad illud *obligari*, Et nos jam longe ultra neceſſitatem in hoc probando proceſſimus.

Ejus rei inductio poſſet fieri.

4. Ne vero longam inductionem facere, eamque alios legere cogamus, duos afferam caſus factos, in quorum altero videatur ſola auctoritas ſine ratione, in altero ſola ratio ſine auctoritate regnare: cum tamen utrique in utroque revera ſit ſuus locus.

Abraham videtur ſola auctoritate ad filii victimam proceſſiſſe.

5. Abraham à DEO promiſſum accipit, Iſaacum filium evaſurum in gentem magnam, promiſſumque jure jurando firmatum eſt. Deinde accipit mandatum, Iſaacum ſacrificandi. Videtur hic Abrahamus ſola auctoritate jubentis DEI decreviſſe ſacrificium filii ſine ratione, imo ea contradicente dupliciter 1mo quia ratio per ſe non admittit mactare filium. 2do quia ratio dictabat promiſſorem DEUM ac juratorem verum eſſe, itaque Iſaacum vivere debere. His rationibus non obſtantibus proficiſcitur ad ſacrificium, ſola, ut videtur, auctoritate urgente; &, ut Paulus de hoc viro loquitur, *In ſpem contra ſpem credidit*. Rom. IV. v. 18.

Nec poterat rationes inter ſe pugnantes niſi auctoritate componere.

Objectio. Abraham potuiſſet obediendam hâc ſola ratione agnoſcere.

6. *Objicitur* mihi; Abraham obligationem naturalem DEO præcipienti obedieodi non debuit diſcere per revelationem ſeu auctoritatem; ſed potuit addiſcere per rationem. Non dixit DEUS Abrahamo: ad meum præceptum obligaris ipſa lege naturali; quod utique neceſſe fuiſſet, ſi auctoritas eidem fuiſſet vel eſſe debuiſſet principium *cognoſcendi* jus naturæ.

R. 1. Negatur.

7. Ad hæc Reſpondeo. 1. Nego ſive Abrahamum ſive quemcumque hominem ex ratione *ſola* non prius per auctoritatem ducta & adjuta potuiſſe diſcere obligationem obediendi DEO, vel quodcunque aliud præceptum juris naturæ ſervandi. Non nego, debere *etiam* adeſſe rationem.

R. 2. Abrahamo revelatum eſt, DEO eſſe obediendum.

R. 2. DEUS Abrahamo non revelavit, obediendum eſſe DEO? Si hoc pariter negem, videbor cum ſancto Paulo iſtorum myſteriorum expertiſſimo ſentire. ipſe enim de hac obedientia Abrahami loquens vocat eam *fidem*; fides autem non ratione ſed auctoritate loquentis (qui hic DEUS erat) nititur. *Credidit* Abraham DEO in ſpem contra ſpem. Certum enim apud nos eſt etiam naturalia præcepta divinitus formaliter revelari poſſe. Iſraëlitæ utique ex ratione etiam ſciverant non occidendum, non furandum &c. & tamen rurſus divinitus magno apparatu hæc ipſis revelata ſunt. Itaque exiſtimo, Abrahamo divinitus illapſum lumen tam forte cui etiam contra rationem & ſpem & promiſſa DEI crediderit.

R. 3. ſicut ei revelatum

Reſp. 3. Neque etiam Abrahamo revelans DEUS dixit: ego revelo tibi,

eſt, DEI promiſſioni confidendum eſſe

debere te credere DEO *promittenti* filio tuo magnam poſteritatem; ſed hanc fidem DEO habendam eſſe, Abraham potuit ex ratione etiam ſcire: & nihilominus non dubito, quin Abraham ex ipſa eadem tam clara revelatione jureque jurando multo clarius cognoverit ſpem habendam, quam antea ex ſola ratione obſcure tantum & imbecilliter ſciebat.

Sic vita futura ſperetur ex ratione, & tamen revelatur.

Socrates & meliores quique gentiles ratione agnoſcebant, ſpem in DEUM habendam etiam poſt hanc vitam. Idem & nos Chriſtiani ſcimus ex ratione: verum quia DEUS per Chriſtum id nobis tam efficaciter revelavit, ideo hæc ſcientia in nobis multo eſt clarior, certior, facilior & univerſalior, ut etiam pueri hoc agnoſcant, quod antea ex ſola ratione aut humana auctoritate vix acuti multum agnoſcebant; ita ut Areopagitæ Paulo dicerent: Audiemus te de hoc iterum.

R. 4. Rationes Abrahamo occurrebant pugnantes,

Reſp. 4. Ratio itaque in hoc caſu pugnans erat utrobique par: idem DEUS verax promiſit, qui contra promiſſa præcepit. Ratio eadem erat, juxta promiſſa ſervandum filium, & juxta præcepta filium perdendum. Pugnabant etiam auctoritates: DEUS promiſit, DEUS contra promiſſa præcepit. Si rationem conſulebat Abraham, ut de auctoritatibus decideret, illa debuiſſet potius ſuggerere alteram revelationem præcipientem eſſe falſam & ſpuriam, quia contrariam jurijurando ac veracitati divinæ; ſicut Apoſtolus præcepit ſuis, ut ſi vel ipſe vel angelus de cælo aliter ipſos doceret deinceps, quam primitus docti fuerant, non crederent. Mihi ergo videtur in hoc

auctoritate conciliandæ

caſu revelatio poſterior à DEO facta eſſe cum tanta claritate & efficacia, ut Abrahami animus in ea ſic quieſcere poſſet, ne tamen priori ipſe contradiceret, Rationi nudæ adſcribendam eſſe hujus pugnæ compoſitionem, nos equidem pulpito aſſidentes ac calamum manu moderantes facile ominamur nobisque blandimur, hoe præſertim tempore, ubi aliqui jactant, nunquam magis viguiſſe *regnum rationis* quam nunc poſt tot naturæ jura ſcientifica methodo (ſi ſuperis placet), tradita.

Si nos rationis prædicatores in eo caſu eſſemus, quo Abraham, aliter loqueremur.

Verum ſi coram nobis procumbat non dicam filius unigenitus in ſumma ſenectute ex divino promiſſo ſuſceptus, ſed quilibet carus amicus, noſque enſem manu ægre tenentes jubeamur levare brachium, ad ingerendum fatalem ictum: credo equidem rationem noſtram per omnes animæ noſtræ receſſus inquirentes & inveſtigantes vix reperiremus tantum, quantum neceſſe eſſet ad hoc, ne deliquio corrueremus, nedum ad reſolvendum tam grave dubium ex ſola ratione, ſine magna auctoritate. Non tantos quidem, ſed alios caſus videmus quotidie, cum homines cupiditatibus toti occupati cæce irruunt in aliquod ſcelus, & acclamationibus ſaltem circumſtantium retinentur, ne perpetrent. Rurſus cum alii ad feriendum, ad agendum ſunt adeo ancipites ut ſine motu hæreant, niſi pariter aliorum hortatibus, quos aliàs ſciunt bonos conſiles eſſe, determinentur. Itaque puto me ſatis expoſuiſſe, in Abrahamo videri prævaluiſſe auctoritatem, quamquam revera ratio non defuerit.

Socrates ſola ratione videtur inductus ad moriendum pro DEO vero

7. Affero alterum exemplum, in quo videatur ratio ſola prævaluiſſe. SOCRATES Senatûs auctoritate nequaquam induci potuit, ut ceſſaret prædicare Athenienſibus verum DEUM, ſed ſuæ rationi confiſus etiam mortem ſubiit. Attamen & Socrates auctoritate non una agnovit, ſibi eſſe in ea ſententia perſiſtendum.

Et tamen auctoritas potiſſimo argumento fuit

Ponderabat enim auctoritates, ut tum ex ceteris Platonis libris, tum ex *Apologia* Socratis conſtat: & majorem inveniebat auctoritatem, quam ſequebatur ipſe. Quippe Athenienſibus monſtraverat, ipſorum opiniones de Diis eſſe novas; veteri autem antiquorum ac DEO propropinquiorum hominum ſermone alia fuiſſe tradita, quorum auctoritas major & melior. Adhæc videbat, optimos Athenienſium Socratis doctrinam meliorem agnoſcere. Videbat etiam, cum in ſuffragia de ipſius nece itum eſſet, majorem populi partem uſque ad tres calculos pro ipſo feciſſe, ita ut vix quinta parte ſuffragiorum damnaretur; & adhuc pro ipſo etiam reliquos omnes facturos fuiſſe, ſi ad preces converti voluiſſet. Hæc veterum ac præſentium ſententia rationi invicta, conſentiens plus apud ipſum valebat, quam ſententia Aniti accuſatoris juvenis, quem ſciebat errare, invidia corruptum eſſe, ac corrupiſſe ceteros. Timere ſe profitetur, ne *auctoritas* toti civitati decedat; maxime vero ne ſapientiæ, quæ Socrati adeſſe paſſim credita fuit, *auctoritas* patiatur. Denique à DEO ſe vaticiniis, ſomniis, & omnibus aliis modis, quibus ſortes edi ſolent, fuiſſe juſſum ita facere. Spiritum quoque ſibi aliàs in omnibus aſſiſtentem ac prohibentem, ſiquid male acturus dicturuſve eſſet, ſibi in hoc articulo nihil prohibuiſſe: unde ex hujus etiam *auctoritate* ſpiritus mori ſe profitetur. Hæc omnia oſtendunt, Socratem ipſum publice voce ac ſcripto pro-

profeſſum eſſe, ſe non *ſola ratione* mortem obire pro DEO, ſed *etiam præcipua auctoritate* ad hoc faciendum illuminatum ſe eſſe & permotum, ac prope compulſum.

Objectio 1. Socratis exemplo tantum utilis eſt auctoritas, non neceſſaria &c.

8. *Objicitur*: 1. Socratis exemplum non probat, niſi quod ratio auctoritate firmari poſſit: & quod 2. quis eâ ſe adverſus illos, quos ratio non convincit, poſſit defendere. 3. Nunquid ſola ratione DEI veri exiſtentia probari poteſt? 4. Nunquid etiam ſola ratione quis convinci poteſt, mortem potius eſſe ſubeundam, quam DEUM negandum? 5. Imo exemplum hoc ſolùm probat, auctoritatem apud Socratem aliquid valuiſſe, non, eam fuiſſe neceſſariam ad hoc, ut moreretur pro confeſſione veri DEI.

Ad 1mam. ℞. 1. Et hoc ſolum ſufficeret.

9. Ad 1mam objectionis partem *Reſpondeo* 1. Etſi hoc exemplum *id ſolum* probaret, nempe rationem auctoritate *firmari* poſſe: ſatis pro themate meo probaret. Mea enim ſententia eſt, Authoritatem eſſe verum principium agnoſcendi debiti ac juſti, nec in indagando eo excludendam. Quodſi jam objectio fatetur, rationem *firmari* auctoritate, haud dubie fatetur, auctoritati ineſſe vim ad patefaciendum debitum, vel ad debitum, vel ad debito per rationem aliquantum patefacto *majorem certitudinem* conciliandam. Quidquid autem certitudinem poteſt parere majorem, illud haud dubie eſt principium cognoſcendi. *Reſpondeo* 2. Exemplum Socratis non hoc *ſolum* probat, ſed probat, quod Socrates *præcipuè* ex auctoritate didicerit DEUM, ratione tamen non remota; quod ex omnibus Platonis operibus, quæ de re divina tractant, patet, ad quæ provoco. Deinde probat, auctoritate *præcipue* permotum fuiſſe Socratem ad mortem etiam ſubeundam. Ratio enim jubebat quidem DEUM non negare: at non jubebat eum mori: ſuggerebantur enim ab amicis multæ rationes, & vir tam acutus facile plures inveniſſet rationes ac vias ſeſe à morte liberandi etiam non negato DEO. Imo Athenienſes vitæ veniam ſponte offerebant, ſi ad *preces* converti voluiſſet etiam non negans DEUM. Potuiſſet etiam è carcere nullo negotio abire, & doctrinam ſuam in alieno ſolo defendere; id quod etiam amici ſuadebant, ſuamque opem certatim offerebant. Nihil autem horum fecit, quia metuebat ne quid *auctoritati* hujus doctrinæ à veteribus acceptæ & à ſeſe auctæ decederet. Nam certe mors Socratis non utique habebitur pro *ratione* exiſtentiæ DEI: ſed auctoritatem ſeu probabilitatem extrinſecam facit: ſicut martyrum noſtrorum cruciatus non ſunt ratio divinitatis Chriſti, ſed auctoritatem nobis præbent.

℞. 2. Sed ejus exemplum probat, auctoritatem præcipuam fuiſſe indicationem.

℞. 3. Idque ipſe Socrates fatetur.

℞. 3. Cauſam, quæ ſe ad moriendum (cum potuiſſet effugere) permoverit, ipſe Socrates prodit: nempe aſſiſtentis ſibi DEI monitum; abſque quo ſi fuiſſet, fugiſſet. Cur ergo nos putemus rem melius ipſo Socrate ſcire? & cur negemque eum *auctoritate permotum* eſſe, cum ipſe fateatur ſe permotum eadem.

Ad 2dam

℞. 1 auctoritate me poſſum tueri ubi ratio deficit: ergo auctoritas quandoque prævalet.

10. Ad 2dam partem objectionis, exemplum Socratis probare tantum, quod quis auctoritate ſe tueri poſſit adverſus illos, quos ratio non convincit. *Reſpondeo* 1. Imo ſi hoc probat, ſatis & id ipſum probat, quod ego ſtatui. Probat enim, aliquando *auctoritatem prævalere*: ratio enim poteſt aliquos non convincere, etiam à ſapientiſſimis allata, quos convincit auctoritas, quam ſeu idem ſapiens affert ſeu alius etiam rudis. Ejus rei exemplum eſt totus mundus Chriſtianus. Eat aliquis & convincat Chriſtianos, ex decem millibus unum, convincat inquam *ratione* de futuræ vitæ pœnis ac præmiis, deque DEI exiſtentia, quæ utraque ſunt juris naturæ. Verear ne ille operam ludat inanem, & agnitionis loco quamplures excitet dubitationes & ignorationes. Contrà proponantur ipſis Apoſtolorum prædicatio, Martyrum paſſio, Evangelii textus, Doctorum & ſanctorum ſenſus: ex decem millibus Chriſtianorum vix pauci erunt, qui non auctoritate hac penitus convicti ſint; non tamen excluſa ratione. *Reſp.* 2. Hac ratione ubi duo adverſis rationibus agunt, ad victoriam obtinendam magnum momentum habet auctoritas: adeoque auctoritas habet vim decernendi. *Reſp.* 3. In hoc Socratis agone non agebatur de demonſtranda exiſtentia DEI, ejuſque cultu, ſeu Socrates non tunc volebat convincere Athenienſes, Idola eſſe ſpernenda, DEUM unum colendum: hoc enim jam prius egerat, & in illo ſuo certamine velut factum à ſe ac præſtitum ſupponebat. Verum hoc *intra ipſius Socratis animum* tunc quærebatur: An eſſet *obligatus* pro hac doctrina damnationem ac mortem ſubire? Nec petebatur à Socrate ut abnegaret DEUM, ſed ut eum juventuti *non annuntiaret*. Rationes autem quas memorabat cur id facere non poſſet, & quas adeo tunc in mente ſua habebat, non ſunt rationes intrinſecæ, ſed fere non-

℞. 2. Rationes contrariæ auctoritate vincuntur.

℞. 3 Socrates non tunc agebat de exiſtentia DEI demonſtranda.

Sed an moriendum eſſet?

nonniſi *auctoritatem* produnt, utique non ſine ratione. legatur ejus apologia: & Phædo ſeu dialogus, quem in ipſo aditu æternitatis cum amicis habuit, quoque finito poculum letale ex decreto ſumpſit. Probe autem hic moneo, idque alibi notavi, me Socratis doctrinam & geſta non per omnia probare. Admiror (quis enim non admiretur) hominem in mediis tenebris tantum habuiſſe animi; ut neci hoc maxime modo ſe ſubjiceret. Admiror hoc, inquam, & vel hinc conjicio, non tam ratione naturali, quam præpotente aliqua auctoritate ad hoc fuiſſe permotum. Nam rationis naturalis ſublimitas atque ſubtilitas æque adfuit Ariſtoteli & aliis philoſophis, quorum tamen nemo moriendum ſibi pro ſua ratione putavit. Cetera autem, quæ in Socratis doctrina & in ipſo mortis articulo contigerunt, primum quidem abhorreo, deinde vero doleo atque miſeror. Miſeror autem, quia agnoſco, hanc illi felicitatem defuiſſe, quæ nobis abundat. Quid feciſſet Socrates, ſi tanta illi, quanta nobis, auctoritas præluxiſſet? ſi potuiſſet numerare tot ſanguineorum teſtium millia, tot myriadas pro eadem, quam profitebatur, doctrinâ ante ſe non utcumque mortuos ſed aſſos, frixos, elixos, & membratim conciſos. Miſer videri Socrates poteſt ob illa pauca quæ reprehendimus, & ob penuriam majoris gratiæ & auctoritatis divinæ. Sed infinitis paſſibus miſeriores novi juris naturæ doctores, qui tanta auctoritate ultro oblata abundantes eam contemnunt, exeſſe jubent à regula vitæ mortisque ſuæ.

ad quod auctoritate magis quam ratione eſt ductus.

Qui diſſe feciſſet, ſi tot martyres ante ſe habuiſſet?

Ad 3tium ℞. ſola ratione non poteſt demonſtrari Deus.

11. Ad 3tiam partem objectionis, Nunquid *ſola* ratione DEI veri exiſtentia probari nequeat? *Reſpondeo* Nequaquam poſſe *ſola* ratione probari, abjecta ac ſeparata omni auctoritate. Abjecta enim omni auctoritate nullus homo modernæ conditionis exiſtentiam ſuæ matris probare poteſt, quanto minus exiſtentiam rei tantæ? Sine auctoritate homo modernæ conditionis ne uſum quidem rationis habet aut acquirit; quanto minus ſine auctoritate adipiſcetur ea, quæ uſu rationis ſunt adipiſcenda, ut cognitio DEI? Sed nos mirabiles ſolemus eſſe, iidemque ingrati, & quoad hoc turpes. Poſtquam enim rationis uſum didicimus ex præceptoribus, ex libris ſacris & profanis, multo aliorum ſudore ac labore, tum paululum adepti hunc uſum & veritatem aliquatenus à longe conſiderantes, jactamus, hæc nos ex ratione noſtra ſola inveniſſe, hæc in noſtro ſolo fundo excreviſſe.

Nos, cum uſum rationis auctoritate didicimus, jactamus omnia ſola ratione ſcire.

Ad 4tum. ℞. 1.

12. Ad 4tam partem objectionis: Nunquid etiam ſola ratione quis convinci poſſit, mortem potius eſſe ſubeundam, quam DEUM negandum? Reſpondeo 1. Hanc quæſtionem ad Exemplum Socratis non pertinere: apud quem non deliberabatur, ſitne abnegandus DEUS verus? ut jam ſupra expoſui. Reſp. 2. De poſſibilitate hac nolim equidem diſceptare: nec enim ad me pertinet, an *poſſibile* ſit *aliqua* præcepta juris naturæ ex *ſola* ratione intelligi? ſed hoc ego ajo: universum jus naturæ non diſcitur *modo* ex ſola ratione, remota auctoritate. Quia *modo* nullus poteſt oſtendi, qui id ex ſola ratione didicerit. Et ideo *Reſpondeo* 3tio. Si iſta objectio ſine diſcrimine admittitur, occaſionem fieri poſſe Naturaliſmo. Humanum enim ingenium, illud præſertim, quod conſuevit rationi omnia, auctoritati nihil aut perparum tribuere, proniſſimum eſt ad inferenda *actualia ex poſſibilibus*, quamquam falſo. Vidimus homines miſeros non ita pridem ex eo, quod aliqua in ſacris literis narrata viſa ipſis ſint naturaliter poſſibilia, inferre: ergo facta ſunt naturaliter. Sic alii ex eo, quod poſſibile ſit hominem ex ratione ſola naturali occumbere morti potius quam negare DEUM, inferent, Apoſtolos & martyres ex rationa ſola naturali vitam profudiſſe, non pro Fide. Imo miſerabilis ille & inſcitiſſimus (quod in *Larva detracta* probavimus) homo Puffendorfius non intra hoc conſtitit, ſed impudentia ultra progreſſus non cohorruit dicere ac ſcriptis vulgare, id ex *deſperatione* factum à primis Chriſtianis fuiſſe. Hoc enim non aliud videntur ſignificare illius verba in Bullam Clementis noni PP. *Reſpondeo* 4. Poſſibile eſſe, ut *auctoritate* prævalente, non tamen ſine ratione aliquis reipſa mortem ſubeat, ne neget DEUM; id vero acta & facta innumera probatum dederunt, & extra omnem controverſiam poſuerunt. Peto autem, ut quis idem ſaltem in uno exemplo tentet, audeat, & efficiat per *ſolam* rationem, auctoritate remota?

℞. 2. Etſi poſſibile eſſet mortem pro Deo perſuaderi ſola ratione; nunc tamen illud non fit.

℞. 3. Objectio poteſt viam ſternere Naturaliſmo.

℞. 4. Poteſt auctoritate prævalente mors perſuaderi pro DEO.

Ad 5.

13. Ad 5tam partem objectionis, auctoritatem valuiſſe quidem apud Socratem aliquid, non tamen fuiſſe neceſſariam ad hoc, ut moreretur pro DEO; cum forte potuiſſet ſine auctoritate ex *ſola* ratione mori. *Reſpondeo* 1. Id de poſſibilitate ex ſola ratione moriendi jam ſuperiore numero de-

℞. 1. Quomodoc unque potuerit

Socrati mors perſuaderi ſ aliu prævaluit auctoritas.

declinavimus. Meum exemplum non docet, quomodo *potuerit* mori Socrates, ſed quomodo mortuus ſit. Mortuum autem eſſe non *ſola* ratione ſed *magis auctoritate* urgente, ipſe prodidit, & ejus clariſſimus diſcipulus Plato ſcriptum ad ſeram hanc ætatem reliquit.

§. 2. Ipſe enim auctoritatem potius quam rationes allegat.

§. 2. Ex hoc quod Socrates auctoritatem *potius* quam rationes intrinſecas alleget, vehemens eſt & graviſſima præſumptio, *ſolam* ipſi rationem ad libenter moriendum *non ſuffeciſſe*, ſed omnino fuiſſe *neceſſariam* auctoritatem. Conferantur cum hoc paſſiones ſanctorum Martyrum. Exiſtimo etiam, religioſos illos viros, qui his ultimis temporibus ad Indos & Barbaros commearunt, duraque & ipſam mortem paſſi pro DEO ſunt, parum ſeſe felices exiſtimaturos, ſi ea omnia *ſola* ratione Duce aggreſſi fuiſſent atque perpeſſi.

Auctoritas in diſcendo prior tempore.

Thema XXV. Dignitas ac vis iſtorum duorum principiorum ita fere conſtitui debet, ut mox dicam: hoc ſemper ſuppoſito, quod tempore & ordine diſcendi ſemper præcedat auctoritas rationem, quæ auctoritas à diſcendo nunquam poteſt abeſſe. Ordine autem obſequendi fieri poteſt ut nulla auctoritas ſufficiens in particulari adſit pro actione particulari, aut adſit tantum privata; & tunc ratio privata prævalet auctoritati. Aliàs autem ubi plura ejusmodi concurrunt, ordo prævalendi eſt, qualem jam deſcribo.

In obſequendo qui ſit ordo auctoritatis & rationis.

I. Primo loco Auctoritas divina certo cognita prævalere debet omnibus ceteris.

II. Secundo loco ſi ea obſcura eſt, felices ſunt illi homines, quibus DEUS dedit interpretem: infelices qui non habent: infeliciores, qui, cum haberent, tantum ideo non agnoſcunt, quia nolunt, & ob hoc neceſſario incerti pugnantesque ſunt tam in credendo, quam in ſentiendo & agendo, ut veteres philoſophi, & omnes hæretici.

III. Tertio loco *Auctoritas publica* humana: quæ etiam ſi non reddat ubique rationem, præſumptio tanquam ratio reflexa eſt pro ipſa, jubetque authoritatem publicam prævalere rationi privatæ.

IV. Quarto loco *Auctoritas privata*, ut parentum, doctorum ac bonorum virorum &c.

V. Quinto loco *Ratio privata*: quæ petitur fere ex iis, quæ ſupra Themate VII. & ſequ. indicavimus.

VI. Rationum omnium ſumma in ordine ad *agendum* eſt Finis, qui eſt principium omnium motuum moralium, & ſicut ſe habet principium (metaphyſicum) in ſpeculabilibus, ſic finis in practicis. *Ariſtot.* VII. Ethicor. Cap. XII. Vid. & *Aguirre* Philoſophiæ moralis Introductione cap. X.

Probatur hic ordo ab Experientia.

1. Hunc autem ordinem non eſſe commentum meum, ſed ita in *moderno mundo* reipſa valere paucis oſtendam. Quid autem valeret ratio ſola, & an eſſet admittenda auctoritas humana (nam divina in nullo ſtatu etiam fictitio excludi poteſt) in alio ſtatu naturæ puræ aut quomodocunque alio? nolo vel verbo pugnare. Nobis jus naturæ modernum tantis diſceptationibus obnoxium fecerunt larvati doctores, ut otium minime ſit in fictitiis circumvagari.

Philoſophorum.

2. De Platone, Socrate, non ſemel jam retuli, quantum ii optaverint ipſam divinam auctoritatem ſibi reveſantem audire, quamque doluerint eam ſibi deeſſe, ad verum juſti fundamentum deprehendendum neceſſariam. At Plato & Socrates & alii vixerunt aut vivere quæſiverunt Jure naturæ. Igitur ab iſtis conſtitutus eſt hic ordo principiorum, quem nos retulimus. Ut nempe auctoritas divina omnes præcedat ſeu prævaleat tum in agnoſcendo quam in movendo.

Gentium.

3. Examinentur omnium gentium tam veterum, quam modernarum Hiſtoriæ ac ritus; apud omnes fixum eſt hoc, cum de juſtitia quæritur, in ſummis rebus & perplexitatibus ſemper ab iis recurri ad autoritatem divinam, qualemcunque ſibi videntur poſſe nanciſci, eamque omnibus ceteris potiorem ducunt. Et ſi qua ſit gens, quæ hoc vel ignoret, vel ſponte negligat, ea à ceteris barbara, male regulata, nec naturalis juſtitiæ recte tenax habetur. Siquis ex me petat, hoc exemplis ut probem, eum rogo, ne tantum mihi prolixitatis imponat, aliàs jam nimis prolixo quamvis non ſponte mea. Vid. infra Cap. IX.

Chriſtianorum.

4. De Chriſtianis nobis nemini dubium eſt, quin omnibus aliis principiis tam agnoſcendi Jus naturæ quam exſequendi præferamus auctoritatem divinam. Equidem inquirimus etiam, quæ potuerit eſſe ratio auctoritatis divinæ, ſeu illius connexionem cum iis, quæ intra & circa nos ſunt, indagamus: hac tamen etiam non inventa, aut obſcure tantum deprenſa, aut aliquali ratione privata contraria in-

inſtructi, nihilominus captivamus intellectum.

non tantum ut Chriſtianorum, ſed etiam, ut hominum.

5. Neque dicas, id à nobis fieri ut Chriſtianis, non ut hominibus, adeoque per hoc nobis non indicari *naturaliter* juſtum ſed *poſitive* juſtum. Reſpondeo, nos iſtud facere tam ut Chriſtianos, quam ut homines; quemadmodum enim ſtatus Chriſtianus non evertit ſtatum humanum, ſed perficit, ut in *Larva detracta* Cap. I. Themate XI. XIX. &c. docuimus: Ita principia ſeu indicativa ſeu moventia divina & Chriſtiana non evertunt principia humana, ſed ea per hoc perficiunt, quod illa ſibi ſubjiciant ſeu ſubordinent. Atque in hoc eſt differentia inter principia divina & mere humana, itemque inter ſtatum divinum & mere humanum: quod principia naturalia non ſubordinentur auctoritati mere humanæ, quia naturalia ſunt divina: Contra principia naturalia ſubordinantur auctoritati divinæ. Adhæc infra Cap. VIII. Them. VIII. & aliis deinceps locis docebimus, hominem qua hominem obligari ad ſuſcipiendam revelationem ſeu auctoritatem divinam, ſiqua ei ſufficiens offeratur: quia talis revelatio eſt medium manifeſtativum ſeu principium perveniendi in cognitionem perfectiorem legis naturæ. Unde *SUAREZ* de Legib. Lib. II. in prooemio: *S. Scriptura, ſeu lex illa ſcripta in tabulis reipſa non eſt alia, quoad ſubſtantialem obligationem, à lege naturali, cujus SOLAM MAJOREM NOTITIAM contulit illa ſcripta.* Et academiæ Pariſina ac Lovanienſis, item Conventus Cleri Gallicani an. 1700. examinavit hanc propoſitionem: *Puto omnia eſſe hodie melius examinata: & hanc ob rem in omni materia, & præcipue morali, juniores quam antiquiores lego & ſequor.* Omnes autem hanc in illam cenſuram tulerunt: *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, ſanctis Patribus & antiquis doctoribus contumelioſa; ſpreta in moribus Chriſtianorum componendis neceſſaria ſcripturarum ac traditionis auctoritate & interpretatione moralem doctrinam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones & doctrinas, Chriſto prohibente, ſtabiliendas.* Apud Alexandrum Natalem Theolog. Dogmat. Tom. II. Lib. III. Cap. IV. Regula de peccatis XVI. pag. 232. ubi plura perutilia tradit. Hæc cenſura plane cadit in heterodoxos juris naturæ doctores, qui à ſe primis ac ſolis non tantum omnia melius examinata, ſed mathematice etiam demonſtrata jactant, quamquam falſiſſime. Et his doctrinis tali ſtygmate notatis imbuitur juventus Catholica!

Diſcrimen inter principia humana & divina.

Objectio 1. Leges naturales Scripturæ debent internoſci per principium connatum.

6. *Objicitur* 1mo. Equidem in S. Scriptura continetur lex naturalis: ſed unde hoc ſcitur? an per aliam revelationem? & ſic ibitur in circulum: an potius per collationem Scripturæ cum principio juris naturæ omnibus connato? Et ſic auctoritas non erit principium cognoſcendi juris naturæ, ſed illud connatum ſeu ratio ſola erit principium cognoſcendi.

℞. 1. Negando.

7. *Reſpondeo* 1. Si per principium *connatum* intelligitur mera *potentia* ratiocinandi: nego per hanc & per collationem cum ea quidquam deprehendi ac cognoſci poſſe: alias Jus naturæ cognoſcerent etiam infantes, & conſequenter peccarent. ℞. 2. Si per *connatum* illud intelliguntur ideæ innatæ; imprimis indeciſa quæſtio eſt, an dentur. Et ſi dentur ex iis ſolis nihil cognoſcitur: habent enim illas ideas etiam infantes: Igitur & hi cognoſcunt jus naturæ & peccare poſſunt. ℞. 3. Si per illud *connatum* intelligitur, exercitium rationis & cognitio rerum actualis, imprimis nego hoc eſſe nobis connatum, ſed eſt acquiſitum multo labore: & maxime ac unice fere per auctoritatem in nobis formatur. ℞. 4. Uſus rationis ſeu actuales cognitiones noſtræ formantur in nobis pædagoga auctoritate humana: Ergo etiam formantur pædagoga auctoritate divina; quia, niſi à divina manaret, ne poſſet quidem auctoritas humana quidquam in nobis formare. Quapropter pervidere nullatenus ego poſſum, cur ex hominibus non tantum poſſimus, ſed omnes omnino debeamus jus naturæ diſcere, ex ſolo autem DEO adeo non debeamus, ut ne poſſimus quidem. ℞. 5. Ad quæſtionem in objectione formatam, duobus modis ea fieri poteſt. 1mo modo ſic: unde ſcitur, S. Scripturam eſſe auctoritatem divnam? Altero modo ſic: unde ſcitur (ſuppoſito, Scripturam eſſe divinam) ea, quæ in Scriptura continentur, eſſe leges naturæ? *Reſpondeo ergo* 6to ad priorem quæſtionem. Divinitas Scripturæ cognoſcitur ex *auctoritate* & ex *ratione*: id eſt ex teſtibus, miraculis &c. & ex conſenſu cum illis ſignis, ex quibus diximus petendam eſſe notitiam juris & obligationis Cap. III. Them. VI. VII. &c. Si enim ex his ſignis & mediis adhibitis non poteſt deprehendi auctoritas divina hujus libri, deſperatum eſt de omni doctrina divina. Reipſa autem ex his deprehendi illam non ego hoc loco demonſtrandum ſu-

℞. 2. Negando.

℞. 4. Uſus rationis obtinetur auctoritate

℞. 5.

℞. 6 Unde cognoſcatur divinitas Scripturæ?

ſci-

ſcipſam: probarunt illud multi, qui de S. Scriptura ex inſtituto tractarunt.

Rc. 7. Scripturæ leges eſſe naturales, diſcitur ex effectione ipſius ſcripturæ.

Reſpondeo 7mo Si jam ſupponimus, conſtare de auctoritate divina Scripturæ, uti nemo Germanorum non ſupponit, in promtu eſt ſolutio quæſtionis ſecundæ: *unde nimirum ſciatur, ea, quæ in S. Scriptura continentur, eſſe leges naturæ?* Nimirum duplici hoc iterum via ſcitur. 1mo ex ipſa Scriptura hoc aſſerente: 2do ex aliis iterum ſignis, quibus combinatis omnis ratio hominum dirigi ſolet Cap. III. Them. VI. &c. Sicut enim ſervus audiens præceptum domini, ſi quærit, unde ſciam, hoc eſſe præceptum domini? quæſtionem hanc duobus modis ſolvere debet: primo aut ipſe per experientiam aut per teſtimonia aliorum intelligere debet, hanc eſſe vocem domini & non aliam. 2do hac voce ſuppoſita ſi rurſus quæret, unde ciam hac voce mihi ſignificari voluntatem domini? reſpondebitur ei: hoc ibi dicit ipſa domini vox, quam agnoſcis. Si quid etiam in hac ambiguum ſupereſt, redire debet ad cetera ſigna ſupradicta.

Negatur conſequentia. Scriptura debet conferri cum ratione: ergo auctoritas non eſt principium cognoſcendi J. N.

8. Ceterum quod in objectione infertur: Scriptura debet conferri cum principio rationis connato: ergo auctoritas non eſt principium cognoſcendi, ſed ſola ratio. Nego conſequentiam. Sicut adverſarii mihi negarent hanc: Rationis dictamen, ut juſtum deprehendatur, debet conferri cum S. Scriptura & auctoritate legum &c. Ergo non ratio ſed ſola auctoritas eſt principium agnoſcendi &c.

Objectio: Ergo omnia præcepta Scripturæ ſunt naturalia!

9. Inſtabit aliquis: Ex hoc conſecuturum eſſe, ut omnia quæ in S. Scriptura præcepta ſunt, ſint præcepta Juris naturæ, quod eſt abſurdiſſimum, cum hoc modo auferatur diſtinctio inter præcepta poſitiva & naturalia.

Rc. 1. Conceditur conſecutio.

10. *Reſpond.* 1. Conſecutionem eſſe plane veriſſimam. Omnia S. Scripturæ præcepta, ſeu omnia quæ S. Scriptura docet eſſe neceſſaria ad liberam ſervitutem DEI & ſummum verum bonum obtinendum, ſunt revera leges naturæ. Si Gundlingius aliique, acuti quamquam homines, minime dubitarunt, Leges omnium gentium eſſe *ipſam* rationem, hoc eſt præcepta *naturalia*, neque in hoc deceptus eſt: cur ego hæream, cur decipi metuam, ſi eadem ſaltem, ne dicam majora, de S. Scriptura dixero, quæ lex eſt una omnium gentium? Cur dubitem, omnes eſſe leges naturæ, quas confitear anctorem naturæ tuliſſe? Sicut non dubito omnes eſſe leges Imperii, quas Imperator tulit, ſi Imperatorem agnoſco auctorem & dominum imperii.

Rc. 2. Neque hoc eſt abſurdum; quia Lex naturæ habet varias hypotheſes.

11. *Reſpondeo* 2. Abſurditas in hoc plane nulla eſt, ſicut nulla eſt in allatis paritatibus, idque mox clarius exponam. *Primo* enim Lex naturæ vera, realis, & exiſtens, non eſt unius tantum modi, ſed recipit varias hypotheſes, ut jam ſit primæva, jam hypothetica, ſemper tamen lex naturæ, nec propter hypotheſes aut facta accedentia deſinit eſſe lex naturæ: nam ſi facta ſunt hominum, illi non poſſunt tollere legem naturæ; ſi facta ſunt DEI, ille adeo non tollit, ut potius ipſe ſit auctor. Ex quo conſequitur manifeſte, ſive ſcriptura tradat leges naturæ primigenias & puras, ſive tradat hypotheticas, illam ſemper tradere leges naturæ: niſi forte traderet fictitias, naturam evertentes, quod fieri nequit, cum auctor naturæ non ſit everſor ejusdem. Hæc clara ſunt. Quisquis ergo Scripturam agnoſcit eſſe vocem DEI, negare non poteſt omnes illius leges eſſe *naturales*, ſive *puras* ſive *hypotheticas*.

Rc. 3. Diſcrimen inter leges humanas & naturales quale non ſit!

12. *Reſpond.* 3. Diſcrimem inter leges *poſitivas humanas*, & inter leges *naturales* non eſt iſtud, quod leges naturales ſola ratione innoteſcant ſine ulla auctoritate præcedente: poſitivæ autem innoteſcant ſola auctoritate ſine ulla ratione aut præcedente aut ſubſequente. Hoc multis hactenus argumentis confici poteſt, quibus uſi ſumus ad conſervandum auctoritati ſuum in jure naturæ locum. Item alibi probamus, leges humanas obligatione carere, atque adeo non eſſe vere leges, niſi ex naturalibus ac divinis deducantur, conſequenter niſi ſint naturales quoad genuinam formam, ſubſtantiam & vim.

Rc. 4. Diſcrimen inter leges divinas poſitivas & naturales quale non ſit!

13. *Reſp.* 4. Diſcrimen item inter legem *naturalem*, & legem *poſitivam divinam* non eſt iſtud, quod lex naturalis ſine auctoritate ſola ratione innoteſcat, lex autem divina innoteſcat ſola auctoritate divina ſine ratione. Nam ſi hoc eſſet diſcrimen, deberet *Primo* lex naturæ omnibus hominibus congigni, nec indigeremus ullo magiſterio ad illam diſcendam, nec indigeremus ullo principio inquiſitivo illius, quod jam nobis ingenitum eſt. Aut deberet *Secundo* inſpiratione quadam divina intellectrici facultati ſuperaddita nobis pateſieri: quod ipſum utique eſſet auctoritas, & ſecundum opinionem adverſariorum conſtitueret jam legem poſitivam; ut adeo etiam in illorum opinione lex naturalis & poſitiva non diſtinguerentur. Rurſus ad legem poſitivam cognoſcendam requireretur apud

unum.

unumquemque hominem immediata auctoritas divina & revelatio formalis proxima, nec poſſet nec deberet lex poſitiva divina ex ſcripturis, aut traditione, aut aliis ſignis Cap. III. Them. VI. &c indicatis agnoſci. Hæc autem omnia chimærica ſunt & modernorum hominum conditioni nullatenus conveniunt, quod probatione non indiget, utpote repugnans experientiæ & ſenſui communi. Itaque diſcrimen legis poſitivæ & naturalis in his non poteſt conſiſtere.

Urgetur objectio Ergo Circumciſio eſt Juris naturæ.

14. Urgebis: Ex hoc conſequitur, omnia quæ quis legit in Scriptura, debere illi eſſe pro legibus naturæ: & circumciſio erit jure naturæ præcepta.

℞. Conceditur: ſed hypothetici.

15. *Reſpondeo*: Concedo, omnia *præcepta* S. Scripturæ eſſe Juris naturæ, etiam circumciſionem; ſed Juris Naturæ *hypothetici*. Hypotheſes autem in ſcriptura continentur plures, inter ſe non confundendæ; ſive præcepta unius hypotheſis non transferenda in aliam.

Hypothetici ſtatus varii in S. Scriptura.

In Scriptura continetur hypotheſis naturæ primigeniæ ac puræ: in eadem continetur hypotheſis Iſraëlis: ac rurſus hypotheſis Chriſti. Una hypotheſis poſterior non auſert leges primæ, ſed explicat, perficit, addit, & materiam aut media interdum mutat: ut explicavimus in *Larva detracta* Cap. I.

Quod de S. Scriptura diximus, alii debent admittere etiam in humanis, ut *Furto*.

Neque dicas, nos hæc pro ſacra tantum Scriptura ſine cauſa confingere: oſtendo enim, etſi nulla S. Scriptura eſſet, id reipſa ita inveniri, etiam ubi Scriptura incognita forſitan eſt. *Furtum* eſſe juris naturæ prohibitivi, admittunt, credo omnes; quamquam illud non eſt niſi contra hypotheſin ex arbitrio libero humano introductam, nempe contra diviſionem bonorum. Ergo etiam circumciſio erat juris naturæ, tametſi arbitrio divino introducta. Et ſicut, ſi vellent homines, diviſionis hypotheſin poſſent abrogare vel mutare in aliam, & tunc furtum non eſſet Juris naturæ: Ita DEUS, quia voluit, potuit abrogare hypotheſin Iſraëlis, & eam mutare: & tunc circumciſio jam non eſt juris naturæ. Quia tantum erat juris

Exemplum in *regno*

naturæ ex hypotheſi & ſuppoſito. Sic rurſus obtemperare regi eſt juris naturæ, ſed facta hypotheſi quod homines velint regibus tanquam mediis uti ad jus naturæ ſervandum. Nihil igitur hic abſurdi pro S. Scriptura confinximus nos, quod non ceteri homines confingere aut admittere pro ſuis hypotheſibus debeant. Aut ſi id abſurdum eſt pro explicandis hypotheſibus divini arbitrii, multo erit abſurdiſſimum pro explicandis hypotheſibus humanis.

Inſtatur. Neceſſarium eſt aliquid, quo dignoſcantur hypotheſes.

16. Iterum inſtabis: Cum præcepta S. Scripturæ, item leges in Codice Romano &c. pertineant ad diverſas hypotheſes, neceſſarium eſt aliquod principium ſeu medium, quo applicato poſſit diſcerni, an aliquod præceptum in ſpecie ſit naturæ puræ, an hypotheticæ talis aut talis? Cauſa hujus eſt, quia aliàs omnia præcepta confuſa eſſent: aliàs non intellegeretur major aut minor obligatio: aliàs etiam non intelligerent homines, an in tali vel tali præcepto diſpenſari poſſit &c.

℞. 1. Ad quærendas excuſationes id non neceſſarium.

17. *Reſpondeo* 1. Ad quærendas excuſationes à legibus non eſſe neceſſe ut erigantur in Germania noſtra ſcholæ, aut libri ſcribantur, aut novæ ac ſcientificæ (ſi ſuperis placet) methodi excogitentur.

℞. 2. Neque ad obediendum.

Reſpond. 2. Ad obedientiam legibus præſtandam rurſus non eſt id neceſſarium. Serpens non alia ratione ſeduxit Evam, quam rationem quærendo: *Cur præcepit vobis DEUS?*

℞. 3. Judicibus eſt neceſſarium principium diſcretivum: Sed illud non eſt *ſola* ratio, præſertim metaphyſica.

Reſpond. 3. Judicibus, magiſtratibus, item legum novorum conditoribus non inficior, hanc ſcientiam eſſe neceſſariam: vehementer autem nego neceſſarium, imo vel utile ſolum eſſe, ut demonſtrationibus metaphyſicis aut mathematicis ſeu ſola ratione ſine ulla auctoritate illud facere diſcant, aut reipſa tali modo metaphyſico exſequantur: aliàs miſer fuiſſet mundus ante noſtra tempora, & noſtris eſt adhuc miſer temporibus, & miſer manebit uſque in finem; quia nec fuit, nec eſt, nec erit quisquam iſtorum mortalium, qui hoc præſtet.

℞. 4. Sed *ſimul auctoritas & ratio*.

Reſp. 4. Ad diſcernendum igitur hypotheſes opus eſt adhibere *auctoritatem* & *rationem*, & ſenſum communem, & illa ſigna, quæ Cap. III. Them. VI. & VII. Vid. & *Larva detracta*, Cap. VI. & VII.

℞. 5. Sed Exemplum in lege *circumciſionis* per diſputatio;

Reſpond. 5. Exemplum hujus rei præbuere Apoſtoli, cum Controverſia de circumciſione ſubnaſceretur, nimirum an ea pertineret ad Naturæ legem abſolutam, an ad hypotheſin Abrahamicam ſeu Moſaicam, an ad hypotheſin Chriſtianam. Certatum eſt rationibus. Sed rationibus decidi nihil potuit, ut fere fit in omnibus controverſiis moralibus, quarum nulla NB. unquam finietur, ſi rationes *ſolæ* in aciem educantur. Igitur concilium cogendum fuit, ubi non ratio ulla pro deciſione adducta eſt, ſed tum inſpiratione divina, tum auctoritate res eſt acta: *Viſum eſt* ſpiritui ſancto & nobis, voces ſunt apoſtolorum ac omnium deinceps conciliorum.

terminata autem auctoritate.

Viſum

ſum eſt, non ontologicis & mathematicis ratiunculis aut methoo ſcientifica demonſtratum. Unde ſi, ut ii, qui poteſtatem habent declrandi leges, patiantur quidem ſibi ſuggri cauſas diſpenſandi, extendendi &, non facile tamen reddunt aut enunt.nt rationem, quæ animum ſuum moerit. Ratio enim prodita NB. ingitem ſemper (oostris præcipue temporus) contentionem parit, ob prurigim hominum, qui ſe doctos & ſcientifics dicunt, imo fieti poſſet, ut *ratio* ita nuntiata poſtea deprehendatur falſa, quod etiam concilio cuidam contig, de pictura angelorum bonam danti ecifionem, ex ratione tamen erronea.

Criterium juris naturæ eſt

Thema XXVI. Prinolum *Dignoſcendi* Juris naturæ, hc poteſt eſſe: quod, mea pace, poteſtiam habere pro illo principio primo iverſali, unico, adæquato, ex quo nnes concluſiones Juris naturæ dedantur, & in illud reſolvantur:

Quod eſt neceſſarium, hoc ut genus humanum perſtet in ſubjeione rationali erga Summuin Dominum illud eſt graviter præceptum Jure nuræ. Minus neceſſarium, eſt levius pceptum.

Neceſſitas ſubjectionis ad DEUM.

Paucis: Criterium pcticum Juris naturæ eſt *Neceſſitas ſubtionis creaturæ rationalis erga DEU.*

1. Facile probatur hc thema, quippe, hoc ſemel conſtitu: Jus naturæ eſſentialiter conſiſtere iimperio DEI & ſubjectione rationaliscaturæ: non amplius manet ambigun, illud omne eſſe hoc jure præceptun quod ad hoc dominium & hanc ſubtionem tuendam eſt neceſſarium.

2. Juvat pulcram *S. Auguſtini* ſententiam recitare: *Omnis* ait, *creatura, velit nolit, uni DEO ac mino ſuo ſubjecta eſt. Sed hoc admenur, ut tota voluntate ſerviamus Deino DEO noſtro. Quoniam juſtus liraliter ſervit, injuſtus autem compedit ſervit: omnes tamen divina proviatiæ ſerviunt: ſed alii obediunt tanquailii, & faciunt cum ea quod bonum eſt: lii vero ligantur tanquam ſervi, & t de illis quod juſtum eſt. - - - iud eſt facere quod lex jubet, aliud pat quod lex jubet, quapropter boni ſecundu leges faciunt, mali ſecundum leges pauntur.* Lib. de Agooe Chriſtiano. C. VII. *DEUS homini, animus imper. corpori, ratio libidini ceteriſque vitiis animi partibus,* ait Cicero de Reublica apud S. Auguſtinum Lib. XIX de Civit. DEI cap. XXI. qui dein pgit: *Quapropter ubi homo DEO non ſvit, quid in eo putandum eſt eſſe juſtiæ, quandoquidem DEO non ſerviens nullo modo poteſt juſte animus corpori aut humana ratio vitiis imperare.*

Unde neceſſitates agnoſcenda?

2. Unde vero *in particulari* agnoſcam, hoc aut illud eſſe neceſſatium, magis aut minus? ℞. Hic *unam* regulam tradere eſt oceanum in nuce concludere. Quod ſi fieret, nemo poſſet falli, id quod contra experientiam eſt. Signa novem tradidimus Cap. III. Them. III. & VI. Vid. ſupra Them. XXIII. & Cap. VII. Them. VII. & in *Larva detracta.* Eadem difficultas manes omnes, qui unum duntaxat principium talem neceſſitatem in quolibet particulati caſu agnóſcendi ſtatuunt. Qui autem *convenientiam cum natura* humana ac rerum ſtatuunt, aut fœde deficiunt ut Puffendorfius *Larva detracta* Cap. XIII. aut rurſus ad plura nos ablegant, quæ num in particulari conveniant, examinanda demum ſunt. Aut peſtilenter naturam humanam fontem neceſſitatis motalis ſtatuunt ſine DEO ut Wolfius Larv. Detract. Cap. XVI.

3. Hactenus impoſſibilia nec nos faciemus poſſibilia. Serviunt tamen ad neceſſitatem in patticulari dignoſcendam *Auctoritas* & *Ratio* & circumſtantiæ, de quibus egimus toto hoc capite. Vid. etiam Cap. XIX. Them. XIV.

Explicatio de Neceſſitate.

4. Quod autem additum eſt Themati, de *Neceſſitate*, ſuam habet certitudinem. Omnia quidem ex intentione auctoris naturæ ſerviunt ad finem ultimum, qui eſt idem auctor. Sed inter tot ſervos ac tot ſervitia prope innumera non omnia æqualitet propinqua ſunt, ſed aliud alii ſubordinatur, ut docet experientia: aliàs æque propinquus ſummo bono eſſet is, qui amico ſuo come aliquod obſequium præſtat, acſi, qui corpus ſuum pro veritate ſumma tradit ut ardeat.

5. Quapropter legitimam cenſeo doctinam *SCOTI* in Lib. III. Sentent. Diſt. XXXVII. num. 5. „ Dico, quod
„ aliqua poſſunt dici eſſe de lege natu-
„ ræ dupliciter. *Uno modo* tanquam
„ prima principia practica, nota ex ter-
„ minis vel concluſiones neceſſario ſe-
„ quentes ex eis: & hæc dicuntur eſſe
„ *ſtrictiſſime* de lege naturæ. - - - -
„ *Alio modo* dicuntur aliqua eſſe de le-
„ ge naturæ, quia ſunt multum conſo-
„ na illi legi, licet non ſequantur ne-
„ ceſſario ex principiis practicis, quæ
„ nota ſunt ex terminis & omni intel-
„ lectui apprehendeoti ſunt neceſſario
„ nota.

6. Atque ex doctrina ita explicata Scotus infert, neque præcepta decalogi,

quæ ſunt ſecundæ tabulæ ſeu ad proximi charitatem ſpectantia, eſſe *primo illo modo* Juris naturæ ſtrictiſſime, ac indiſpenſabilis. Tametſi enim illud præceptum *Non occides* prima mox fronte appareat conſonum præcepto primo diligendi proximum ut conſervum: attamen non *neceſſario* ſequitur, nullo unquam caſu occidi poſſe. Videatur etiam Scoti Commentator ibid.

7. Suarez quidem ſpeculative eſt Scoto contrarius. Sed qui rem non pure metaphſice ſed ex ſenſu communi conſiderat velit, eum puto nondiſficile conciliaurum graviſſimos hos doctores: quonm etiam ipſi in praxi & uſu nec ſentint diverſa, nec diverſa judicia ferren ſi res ad caſum deduceretur. Nuquam enim Scotns dicet, homicidim de ſe eſſe juris naturæ: nunquam uarez contenderet, furis ſuſpendium ne eſſe juris naturæ.

Vid. infra Cap. XVII. Them. XII. & Cap. XXIIThem. VI.

CAPUT IV.

De Fine Naturæ humanæ & uris naturæ.

Intentio libera finis ultimi maxime diſtinguit hominem.

Thema. I. INtentio finis *ultimi* & electio mediorum, utraque libera, maxime omnium naturalium diſtinguit naturam humanam à brutis.

Experientia nemini non id compertum facit. Et quando brutæ animantes aliquid ſimile agunt, ad *ultimum* tamen finem eas tendere nullo argumento probari poteſt. Vid. S. Thomas 1. II. Quæ. I. art. I. & Qu. XII. art. V.

Non tamen omnino libera.

Thema II. Quamvis intentio finis ultimi ſit libera, tamen nec ea eſt *omnino* in poteſtate humanæ naturæ. Ut homo etiam ſic intelligat, ſervum ſe eſſe ac ſubditum altiori poteſtati.

Non poteſt appeti malum ut malum

1. Nam homo non poteſt velle & appetere malum ut pure malum: ſed ſaltem ſub ſpecie boni appetit. Vid. S. *Thomas* 1. II. Qu. VIII. Art. I. & Part. I. Qu. LXXXII. art. I. II. *Suarez* Summæ Theol. Part. II. Tom. II. Lib. V. cap. II. *Scotus* in IV. Sentent. Diſt. XLIX. Qu. X. ubi probat; Voluntas *neceſſario* & *perpetuo* & *ſumme* appetit beatitudinem. *Primum*, quia voluntas eſt ipſa inclinatio ad bonum tanquam perfectionem ſuam. *Secundum*, quia, in cujus poteſtate non eſt tendere vel non tendere, in ejus poteſtate nec eſt remiſſe tendere: at in voluntatis poteſtate non eſt tendere vel non: ergo nec remiſſe tendere. *Tertium* ex Philoſopho I. Metaphyſ. Procem. Si omnes homines natura ſcire deſiderant: ergo maximam ſcientiam maxime deſiderant, quodque de ſummo vero dicitur, dicendum etiam eſt de ſummo bono ſeu bonorum ultimato termino ac fine ultimo; hæc enim eadem ſunt.

2. Declarari id poteſt à ſimili. Applicatio viſus ad videndum eſt libera, non autem e liberum videre objecta non illuminat Ita applicatio voluntatis eſt liber non autem eſt liberum velle malum, ut velle objectum ſpecie nulla bonilluminatum. Quia ratio formalis oectiva volendi eſt bonitas, ſicut rao formalis videndi eſt lux. Hæcque nſu communi nota ulterius operoſe monſtrare velle hominis eſſet tempo abutentis.

Finis alius eſt.

Thema. III. inis duplex ſolet conſiderari. *Proxmus* & *ultimus*. Aut etiam *intrinſec* & *extrinſecus*.

Proximus

1. Finis *proxnus*, proprius, & intrinſecus eſt q per ſe intenditur & ratione ſui, & ujus proprie aſſequendi amore aliqu fit. ſive dein referatur ad alium lteriorem finem, ſive non referatur, e. g. finis proximus militiæ ſeu pugn eſt victoria, quæ per ſe intenditur ab oni pugnante: quamvis alii victoria ad aliud referant, ut Dux ad glorian Rex ad potentiam, miles ad prædan Ita finis Rhetoricæ eſt apte dicere ad erſuadendum. Finis pictoriæ repræ tare &c. Sic v. g. æger avide pens medicinam ac ſumens non habepro vero fine medicinam, quia ea non per ſe ſive non propter ipſamn amat, ſed ratione ſanitatis: ſanitas go eſt finis proximus.

2. Finis *ultius* eſt, qui per ſe & ratione ſui intentur ultimo, ſive ita ut non poſſit ad ium referri: propter ipſum appetunt omnia cetera.

3. Finis proxius poteſt eſſe finis vel ultimus vel termedius. Ille, qui pro fine proxim ſibi conſtituit finem talem, quo datuadhuc ulterior, habet finem tantumtermedium, quem non per ſe nec pter hunc appetit. Ex. gr. Architecti domum adornans habet

Google

habet quidem pro fine domum. Sed hic ei non eſt finis ultimus; alias ille ædificata domo nihil haberet aliud quod appeteret. Igitur appetit domum non propter domum ſolam, ſed propter aliud qualecunque illud ſit.

Unus tantum eſt ultimus.

4. Nec propterea ſunt plures fines ultimi, quia videtur intentio poſſe ſucceſſive quieſcere in pluribus, ut pictor in repræſentatione, architectus in Domo, Muſicus in harmonia &c. Nam ille ſolus vere eſt ultimus, qui ad alium referri non poteſt, & ſi referretur, eundum eſſet in circulum. Ceteri revera non tam fines ſunt quam *media*, & rationem finis tantum participant ab ultimo; qui ultimus ſi non eſſet, nullus alius eſſet finis, ſeu nullum medium. Vid. Them. VI. num. 4.

Ceteri media potius.

Naturæ humanæ finis proximus non eſt ipſe homo.

Them. IV. Naturæ humanæ finis proximus verus *per ſe* intentus non eſt ipſe homo nec aliquid hominis, ſed tantum per accidens.

1. Natura humana ita comparata eſt (experientia teſte) ut per ſe quærat aliquid quod toti appetitui ſuo reſpondeat. At tota natura & quidquid eſt hominis non ſatis reſpondet appetitui humanæ naturæ. Igitur hæc natura per ſe non intendit ſe ipſam.

2. Nam ſi natura humana ſatis eſſet homini, quilibet jam poſſideret totum finem ſuum, & nulla tanta daretur inter homines cupiditas & inquietudo, quantam indies in nobis experimur. Habet enim quisque ſe: ſi ergo ſe quærit per ſe, ac propter ſe ſolum, cur non quieſcit? Igitur ille infinitus pruritus & inexplebilis cupido, quam abdicare nullus hominum poteſt, manifeſte nos inſtruit, noſtram naturam finem in ſe ipſa non invenire, adeoque ipſam per ſe non intendi.

3. Humana natura eſt quiddam mobile, imperfectum, tendens ad aliquid, quo perficiatur, & ad terminum perveniat. Omne autem mobile & tendens ad aliud non terminatur in ſe ipſo. Tendere autem per ſe ad aliud eſt appetere per ſe. Igitur natura humana non per ſe appetit ſeipſam vel aliquid pure ſuum. Vid. S. *Thomas* 1. II. Qu. II. art. VII. corp. & legatur *Platonis* Epinomis ſeu Philoſophus, ubi ex natura oſtendit, hominis finem ac beatitudinem in hac vita eſſe non poſſe. Add S. *Lactantius* Divin. Inſtitut. Lib. VII.

Natura humana per accidens appetit creata.

4. *Per accidens* autem natura noſtra appetit ſeſe ac ſua, & cetera creata, id eſt tentando. Ut enim apis per ſe quærit materiam aptam mellificio, & hac intentione inſidet occurrenti ſibi floſculo non ad florem ipſum petendum quærendumque per ſe; non invento autem ibi fine ſuo eum florem rurſus deſerit: eundem in modum animæ ſuperior pars (de qua Cap. VI. Them. XVI.) per ſe quærit verum ac bonum ſummum, ſatians omnia, & complens totam animam. Hac intentione fertur anima in ſe ipſam, in ſua exercitia, & in alia quæ ipſam afficiunt; tentans velut apis, num ibi inveniat hoc verum & hoc bonum. Hoc autem neque in ſe ipſa invento, faſtidit tam cetera quam ſe ipſam; repudiat ſeſe & alia, aut non ſub alia ratione admittit hæc appetitui ſuo quam ſub *ratione medii* ad bonum *ut ſic*. Cujus exemplum dedit Salomon. Vid. Cap. XVI. Them. XV.

5. Ex quo conſequitur Naturam humanam appetitu ac intentione ſibi propria non ferri in ſemet ipſam per ſe ac ratione ſui, ſed ſub ratione ſummi boni. Quæ itaque ſummi boni ratio eſt ratio per ſe propria appetendi homini naturalis. Nam ſi homo per ſe ac ratione ſui eſſet immediatus ſuus finis, non eſſet ſibi faſtidibilis, quia ratio finis formaliter eſt appetibilitas ſeu bonitas, non faſtidibilitas. Parcant mihi Grammatici omnes.

Commoda hujus tantum vitæ non ſunt finis per ſe hominis.

6. Deinde etſi nulla ratione poſſet explicari, naturam noſtram per ſe tendere ad ſe ipſam, ſeu ſuum finem proximum eſſe, tamen Puffendorffius contra naturam fecit, finem Juris naturæ conſtituens in commodi *hujus tantum* vitæ, id eſt in natura illa tantum, quæ durat à conceptione hominis usque ad mortem hanc corporis. Aut ſi hoc expreſſe ſtatuit, debet etiam expreſſe admittere, naturam humanam cum iſta morte ceſſare. Aut enim natura humana interit cum morte revera, aut revera non interit. Si non interit, non ordinatur ad commoda hujus tantum vitæ, tanquam finem per ſe. Si interit, nihilominus natura humana non eſt ſuus finis per ſe; quia deberet intendere etiam interitum ſuum, quod, repugnat appetitui. Quod autem deberet intendere interitum ſuum, oſtendo. Natura intendens finem intendit illum talem, qualis eſt, & qualis repræſentatur: at natura humana in hypotheſi eſſet interitui ſubjecta, & repræſentaretur appetitui ut talis, ex regulis Puffendorffii: igitur natura humana appeteret ſe ipſam ut interituram. Non ergo ſatis diſpicio, quomodo Jus naturæ ſeu regulam appetitus humanæ naturæ tradere poſſit Puffendorffius. Nam ſi dicit, in me-

Urgetur Puffendorffius.

dio relinquo, an natura humana intereat: debet etiam in medio relinquere an appetat ſemetipſam: vel ſaltem non debet poſitive ſtatuere regulam appetitus ſervientem uni duntaxat ex diſjunctivis, ſed debet ſtatuere regulam, quæ tam uni quam alteri ſerviat: & debet adeo dicere: ſive intereat homo totus, ſive maneat, ego ſtatuo regulam talem, quæ utrique poſſit convenire. Quamobrem cum Puffendorfius ſtatuit regulam uni parti ex disjunctivis *tantum* convenientem, hoc Ipſo ejus doctrina determinat diſjunctiva illa non eſſe ambigua, ſed determinat alterutram partem, nempe hanc *tantum* vitam, ſive interitum naturæ: & hoc ipſo non loquitur conſequenter & ex animo, quando immortalitatem in medio relinquit, ſed ipſius doctrina determinate debet admittere interitum animæ. Hanc autem doctrinam S. Ambroſius tanto ante confutavit Enarratione in Pſalm. I. num. 47. editionis Maurianæ, qui poteſt legi.

Iterum urgetur.

7. Contra Puffendorfianam & alias id genus doctrinas ſic arguo: Ad finem proximum omnia, quæ ſunt *ejuſdem ordinis*, diriguntur, & in eo ordo ille totus acquieſcit per ſe: ut Rhetorica per ſe quieſcit in apta dictione ad perſuadendum, muſica in hamonia. At vero ad commoda hujus vitæ tantum non diriguntur omnes actiones humanæ; neque in his commodis *totus ordo* naturalium actionum humanarum quieſcit. Igitur commoda hujus vitæ & ipſa vita, tanquam commodorum harum præcipuum, non ſunt finis proximus ac proprius naturæ humanæ. Altera horum propoſitionum, ſcu minor, vacat dubio. Nam inter actiones humanas naturales ſunt quamplurimæ ac præſtantiores, quæ ad hanc *tantum* id eſt, interituram vitam non ordinantur, nec in ea quieſcunt. Tales ſunt Unius primi principii amor, cupido illud agnoſcendi intellectu, & poſſidendi voluntate; cupido boni ſummi; cura futuri; votum immortalitatis; faſtidium illud præſentium & anxietas atque inquietudo ad majora ac majora obtinenda; & denique inſatiabilitas quædam etiam reflexa & moralis, de qua mox dictum num. 2. Poteſt argumentum etiam ſic proponi: finis qui per ſe & ratione ſui eſt finis, movet moraliter omnes actiones ejus facultatis, cujus eſt finis. At ipſa natura humana non movet moraliter omnes actiones ſuas: ſive, ſunt aliquæ actiones humanæ, quæ non moventur ratione ac intuitu ipſius naturæ humanæ. Non igitur natura humana eſt finis per ſe naturæ humanæ. Nam pati dolores & mortem pro veritate, religione, DEO, eſt actio humana, nec fit amore & gratia naturæ humanæ. Ergo dantur actiones humanæ quæ non fiunt propter ſolam naturam, humanam, præſertim interituram omnino.

Qui admittit DEUM, non poteſt finem naturæ humanæ ponere in ipſa natura.

8. Denique ab iis, qui ſemel agnoſcunt, dari DEUM Dominum factorem & principium omnium, non poteſt admitti, creaturæ eſſentialiter ſervæ finem per ſe ac proprium eſſe in ipſa ſerva. Quia totaliter ſervus non poteſt habere dominium, jus, finemque proprium diſtinctum à jure ac fine ſui domini. Et repugnat ſenſui communi, dicere: ſervus in eo in quo eſt ſervus eſt ſuus ipſius finis. Natura autem humana, in quantum eſt natura, in quantum rationalis, in quantum libera &c. eſt eſſentialiter ſerva: ergo repugnat ſenſui communi, hanc naturam ſub his aliove quocunque reſpectu eſſe ſummet finem.

Nihil creatum eſt finis *ultimus* humanæ naturæ.

Thema V. Multo minus cetera humana & creata ſunt finis *ultimus* naturæ humanæ, ſeu non ulterius referibilis.

1. Equidem exiſtimo hoc tam eſſe certum, ut nulli ſano aliter videri poſſit. At ſunt doctrinæ novæ aliquæ tam lubricæ, ut iis temere imbutus etiam ad hæc abſurdiſſima delabi ſenſim poſſit, ſi commoda hujus tantum vitæ pro qualicunque ſcopo ſibi ponat, & animali pruritui manus det. Igitur opportunum eſt, pauciſſima ſaltem etiam de hoc dicere.

Quia nihil creatum complet totam naturam humanam.

2. Videatur ergo *S. Thomas* 1. II. Quæ II. tota. Item contra gentes Lib. III. à Cap. XXVII. uſque ad XXXVII, qui id ſoliđiſſime exſequitur de voluptatibus corporis, de divitiis, honore, potentia, virtutibus moralibus, de pace, victoria, ſcientia, Item in opere de Regimine Principum Lib. I. Part. I. à Cap. V. uſq. ad VII. *S. Auguſtinus* Lib. XIV. de civit. DEI Cap. XXV. *Suarez* in 1. II. D. Thomæ Tract. I. Diſput. V. ſect. I. & Diſput. XV. Et nos in *Larva Detracta* tum ex Platone tum ex ratione complura attulimus.

2. Finis ultimus hominis poſſeſſus debet terminare ſeu implere omnes ejus appetitus, qui ſunt naturalia inſtrumenta & media ad ultimum finem. At homo quilibet non inſanus, qui vel audivit de mundi negotiis, exiſtentet poteſt cognoſcere, omnes appetitus naturæ humanæ non impleri toto hoc mun

mundo creato. Qui hoc non ſentit, audiat aliquos ratione præditos morti propinquos. Et ſi quis unquam occurrit aliter in hoc articulo loquens, ei nec credunt homines ceteri, ſed horreſcunt.

3 Eduardus Baro Herbert de Cherbury Anglus de Religione Gentilium Cap. II. obſervat. *Mentem humanam notis egreſſam finibus, ſtatum hoc noſtro meliorem quovis ſeculo ambiiſſe, teſtatur non egena ſolum inopsque hominis conditio, ſed religioſi paſſim cultus clamant, ſanioresque ubique philoſophiæ. Haud tanta quippe ullus hic percipit vitæ commoda, ut ad eorum fruitionem ſe totum comparatum fuiſſe exiſtimaverit &c. Quam enim ex natura ſua ita præcellat mens noſtra, ut ad æterna proprie feratur, & in illis ſolis tandem aquieſcat, - - - haud illis tantum inſiſtendum judicaverant veteres; ſed quaſi rerum hic omnium ſive pertæſi eſſent ſive ſaturi, ad ulterius quiddam, quantumvis incompertum, profectionem maturabant, non miſeri afflictique tantum, ſed pii probique paſſim homines.*

Tranſeuntia non vere *poſſidentur* naturaliter.

4. Plato quoque in Gorgia demonſtrat, dulcedinem *hujus vitæ* in multa continuaque infuſione conſiſtere, non in poſſeſſione unice cupita. Cum enim infuſio continua eſt, quantum influit, tantum etiam effluere neceſſe eſt, & effluxui patere foramina, quæ prohibeant veram poſſeſſionem igitur dolia nos eſſe pertuſa, niſi fundus nobis ſit aliquid æternum. Nam ſi quævis dulcedo fugax, quæ teneri lubrica non poteſt, eſſet finis appetitus humani, & beatum faceret, beatum foret infimum mendicabulum in hoc ipſo, in quo miſerum eſt. Nam Irus aliquis ſcabioſus voluptatem ac dulcedinem capit ſcabendo ulcera, quo diutius ergo ſcabioſus eſt, eo diutius voluptatem ex frictione capit, ergo tota vitâ ſcabioſus, & tota vita fricans uſque ad extremum halitum, dicendus erit ſumme beatus: quia beatus eſt usque ad *finem naturæ*, & affectus ſumma voluptate: nec enim facile major voluptas eſt corporis & paſſionis, quam frictio prurientis ſcabiei. Talia fere apud Platonem. Cui ſimilia utinam ſaltem larvati illi cecіniſſent.

Lepidum exemplum Platonis.

Finis humanæ naturæ *Proximus* & *ultimus* eſt DEUS.

Them. VI. Finis tam proximus quam ultimus moralis humanæ naturæ eſt Summum verum ac Bonum, id eſt, DEUS.

1. Finis proximus eſt, qui per ſe eſt primus in intentione: ultimus eſt, qui complet omnes appetitus morales hominis. At Summum ens ac bonum per ſe eſt primum in Intentione humana naturæ, quod probavimus Themate IV. Solum quoque ſummum ens complet omnem appetitum naturæ humanæ. doctiſſimus quisque invenit multo plura, & multo interiora adhuc incognita intellectui, & voluntatem non ſatians qualiacunque bona, quæ ſumma non ſunt.

2. S. Scriptura tota in hoc fine inculcando verſatur. Sed & Sapientum apud omnes gentes idem fuit ſenſus. Vid. Theophilus *Raynaudus* Moralis diſciplinæ Diſtinct. I. Quæſt IV. num. 248.&c. & ibid. Quæ. I. n. 12. &c. & num. 41. &c.

Objectio. Homo poteſt obtinere finem forte nunquam

3. Neque licet argutari: homo quidem habet adminicula & inſtrumenta ad ſummum bonum, nempe habet iſtam infinitam cupidinem &c. ex hoc tamen non ſequitur, hominem neceſſario obtinere ſummum bonum; quia multa alia videmus non obtinere fines ſuos, præſertim voluntarios. Reſpondeo enim & concedo totum, neque de hoc jam diſputamus, an homo neceſſario obtineat ſuum finem: ſed an finis iſte vel ille ſit ei propoſitus. *Altera* quæſtio eſt rurſus, an *poſſit* homo finem verum ſibi propoſitum obtinere? quæ quamvis & ipſa non ſit hujus loci, tamen omnino eſt affirmanda, quia ſi videmus ab omnibus ceteris obtineri finem *poſſe*, cur id dubitemus de ſolo homine? Et ens ſummum à quo veniunt hæc adminicula, tam poteſt quam vult hunc terminum concedere. *Tertia* diverſa quæſtio eſt: an *his aut illis* ſolis aut aliis adjunctis mediis poſſit obtineri finis, ſive certo aliquo modo, ſive vario? Deque hac quæſtione quædam alibi diximus, ut infra Them. XII. & Cap. VII. Them. XVIII.

ſolvitur.

Objectio bonum indeterminatum eſt finis ſine fine.

4. Neque rurſus dici poteſt: hominis finem eſſe quidem bonum ſummum, ſed indeterminatum, ita ut unum bonum appetat propter aliud, & hoc denuo propter aliud, ex quo conſequitur, hominem petere bonum infinitum ſyncategorematice, ut ajunt. Doctiſſime his reſpondet *S. Thomas* 1. II. Quæ. I. Art. IV. & de Regimine Principum Lib. I. Cap. V. Cujus argumenta ad hoc redeunt. In moralibus *finis movet*: nemo enim agit moraliter, niſi propter hoc aut illud, ſive propter finem. Ergo illud maxime movet moraliter, quod eſt maxime finis. Maxime autem finis eſt ultimus. Deficiente vero eo quod maxime movet, deficiunt omnia cetera moventia, quæ participative tantum movent: Igitur ſi non ſit ultimus aliquis finis, nullus

Reſpondetur

erit finis; nullus adeo motus moralis intermedius. Ceterum in moventibus *per ſe*, non dari proceſſum in infinitum Ariſtoteles VIII. Phyſicor. Text. 34, & Philoſophi communiter agnoſcunt: & *S. Thomas*. 1. II. Qu. I. Art. VI. probat, omnia hominem velle propter ultimum finem. Add. *Theoph. Raynaud.* Moralis diſciplinæ Diſt. I. num. 6. &c.

Objectio, Natura per ſe petit edere bibere.

5. Objicies fortaſſe cum Epicureis: Natura humana per ſe appetit & intendit comedere, bibere, ludere &c. ergo iſta ſunt finis proximus naturæ, ſive per ſe intentus. *Reſp.* appetit etiam,

Reſpond.

Conc. tantum Neg. iſta appeti à natura non uteſt humana & differens à vilioribus animantibus, ſed ut convenit cum bobus. Sive natura intendit bibere ludere &c. ſecundum inferiorem appetitum, non autem ſecundum ſuperiorem & proprie rationalem Vid. Cap. VI. Them. XVI. Appetitus enim ſuperior per ſe intendit plenum bonum ſolidum, abſolutum, ac verum: illique per accidens eſt, quod propter conjunctionem cum corpore terreno jam debeat his inanibus, incompletisque uti, quæ ſunt tantum imago & umbra aliqua veri boni. Quælibet autem potentia intendit proxime ac per ſe id, quod illam complet, cetera autem tanquam inſtrumenta non intendit ſed applicat. Sicut facultas muſica intendit per ſe harmoniam, non plectrum aut fides aut chordarum tremorem. Vid *Suarez* in 1. II. D. Thom. Tract. I. Diſput. III. Sect. VII.

Duplex appetitus in homine.

Object. Natura per ſe appetit conſervationem ſui.

6. Non denique merito objicitur: Humana natura etiam Superiori appetitu per ſe appetit *conſervationem* ſui, & attendit ſuummet bonum ita, ut omnia alia ad hoc referat. Igitur naturæ humanæ finis proximus & ultimus eſt bonum ſuummet, ſive ipſa natura ejusque commoda. ℟. 1. Ille appetitus nudus conſervandi ſeſe non poteſt dici humanæ ſeu rationali naturæ *proprius*: cum ſit etiam in animantibus brutis, ac fortaſſe etiam in aliis vilioribus. Nos autem loquimur de appetitu non quomodocunque innato, ſed de proprie humano. Talis autem eſt appetitus ſummi, & homo non eſt ſummus. Alias etiam miſerrimi & damnati eſſent beati, quamdiu nempe *conſervantur*. Quod vicinum eſt errori atheiſtico Stoicorum, hominem ſibimet ſufficere delirantium. ℟. 2. Nego, appetitum humanum omnia referre *tantum* ad conſervationem ſui ac ſuum commodum. Scimus enim ſanctas animas, quæ non tantum ſpeculative agnoſcunt, totum mundum annihilandum potius eſſe, quam ſummum bonum violandum. Et cupiunt ſanctæ animæ etiam anathema fieri pro ſummo bono. Homo totum mundum ad ſe tantum referens non quidem pecudis ſed monſtri inſtar eſſet, & longe monſtroſior rana illa, quæ in fabulis adeo ſe ſperabat inflari ſpiritu poſſe, ut bovi fieret par. Cum talibus autem hominibus dicam an jumentis non ratione, ſed elleboro, & ſanguine ex omnibus venis emiſſo diſputandum eſt. Vid. Cap. III. Them. XVII. &c. Et eſt animadvertendum, ex hac objectione ſequi errorem illum, qui negat poſſibilem eſſe amorem DEI pure benevolum, ſeu propter ipſummet. Qui error apud Habertum Theolog. Dogmat. Tom. III. De ſpe Cap. II. pag. 597. ſic exprimitur. *Amor noſtri eſt velut prima radix, ex qua oriuntur & creſcunt ceteri amores: ac proinde una eſt ratio amandi DEUM, ſcilicet bonitas ejus relative ad nos ſpectata, fictitiumque ac prorſus impoſſibile amare DEUM quatenus præciſe bonus in ſe eſt.* Quem errorem refutat ex rationibus & S. Thoma I. Par. Qu. LX. Art. V. Hic error inclinat ad atheismum: quia DEUM ſubordinat creaturæ; certe ſupponit voluntates creatas tales, quarum ordo naturalis in ſe ipſis terminetur, & quarum ordo moralis à ſe ipſis moveretur; cum motus moralis à fine per ſe incipiat, finis autem in hac ſententia eſſet homo. Deinde ſequeretur amorem DEI ſuper omnia eſſe contra rationem et eſſe injuſtum. Nam juxta Puffendorffianam de commodis doctrinam naturaliter juſtum eſſet hominem ferri in ſuum finem per ſe, ſive in illa commoda ſua tantum. Sed naturaliter juſtæ inclinationi contravenire eſt injuſtum: contraveniret autem, qui DEUM ſupra ſemet diligeret, quia ſic amando non tenderet ad finem per ſe à natura ſibi juſte præceptum. Rurſus ſi amor humanus per ſe poteſt terminari in ſe ipſo: poterit etiam ſpes humana per ſe terminari in ipſo. Et ſic pulcra, ſcilicet, prodibit Juris naturæ diſciplina, ipſa honeſtatis fundamenta penitus ſubruens, & ſanæ conſcientiæ prima lumina ſuffocans. Nemo hæc ſerio ſentit, niſi qui ſe abſolutum dominum ſuperbiſſime ſomniat. Per hæc tollitur & ſocietas, ac fides humana: Si enim omnes ſe tantum quærunt, ubi fides amicorum? Ais, Puffendorffius vult expreſſe, etiam *alios* quæri? ℟. Vult id ſine fundamento, ut in *Larva detracta* oſtendimus.

Reſpond. 1. Non eſt is appetitus homini proprius.

℟. 2. nec omnia referuntur ad hunc.

7. Li-

Clauſula

7. Libet hujus thematis explicationem claudere pulcra S. *Ambroſii* ſententia in Pſalm. CXVIII. Serm. VIII. num. 13. *Propoſuit tibi dominus in portione poſſeſſiones, in portione aurum, in portione argentum, in portione honores, in portione nobilitatem: propoſuit etiam in portione ſeipſum. Habes plurimas portiones: elige quam putas.* Sed memento: *IN PORTIONE DIVINA GEMITUS ET LABORES SUNT*, non commoda hujus vitæ. Sani ergo homines iſtam eligunt, alteram relinquunt hominibus bruteſcentibus.

Jus naturæ eundem finem proprium habet, quem ipſa natura humana.

Thema VII. Jus naturæ non habet alium finem ptoximum ac proprium, quam ipſa natura humana.

1. Probatur id multis, ut vocant, inſtantiis, quæ fundantut in hac ratione; quia Jus naturæ eſt regula naturæ & ordinatio: Ordinationis autem & ordinati, regulæ & regulati idem eſt finis: alias nunquam regularetur. Sicut nunquam regularetut jaculatio, ſi ſagitta aliam metam haberet, aliam baliſta. Regulæ Rhetoricæ eundem habent finem proximum quem Rhetorica, nempe aptam ad perſuadendum dictionem. Regulæ ſervo præſcriptæ eundem habent finem, quem ſervus qua ſerſervus, nempe ſubjectionem ad dominum. Regulæ pictoriæ eundem habent finem quem pictura, nimirum repræſentationem & ſimilitudinem objecti. Juris civilis quoque non eſt alius finis quam ipſius civitatis.

2. Adde quod ipſe moralis finis naturæ humanæ conſtituatur per Jus naturæ. Si enim per impoſſibile exiſteret humana natura, quin exiſteret Jus naturæ; humana natura non haberet finem moralem proximum. Ex quo ſequitur, unum ptorſus eundemque finem eſſe naturæ ac Juris naturæ: Sicut, quia ars pictoria finem picturæ conſtituit repræſentationem objecti; ideo pictura habet finem hunc ipſum non alium. Lex enim ac jus naturæ eſt æternum ac eſſentiale, nec ipſum ordinatur ad aliquid, ſed ipſum ordinat omnia. Vid. *Suarez* Lib. I. de Legib. Cap. III. num. 6. ex *S. Thoma* 1. II. Qu. XCI. art. I. ad III.

At naturæ humanæ finis proprius eſt quid ſummum:

Thema VIII. Atqui naturæ humanæ finis proprius ac proximus non eſt hæc vita aliaque tranſeuntia, ſed aliquid ſummum, univerſale.

Id quod ſupra Themate IV. ac reliquis oſtendimus.

Igitur & Juris naturæ finis eſt quid ſummum.

Them. IX. Igitur Juris naturæ finis ptoximus ac per ſe intentus non eſt vita fugax, neque ejus commoda volatilia, nec quies animi temporaria, nec virtus moralis imperfecta ac perturbabilis, nec quantacunque ſapientia humana, nec ipſe amor DEI temporalis: ſed vere ſummum bonum, DEUS, cui natura humana per jus naturæ moraliter ſubjicitur.

Juris naturæ finis non ſunt commoda vitæ.

1. Vid. *S. Thomas* Lib. III. Contra gentes citatus ſuprà Them. V. hoc capite. *Suarez* in 1. II. D. Thomæ Tract. I. Diſput. XV. Sect. II. *De fine namque boni inter philoſophos* (Juris naturæ ſtudioſos) *quæritur, ad quod adipiſcendum OMNIA OFFICIA referenda ſunt*, inquit Auguſtinus. *Omnia* autem *officia* humanæ naturæ rerum infinitarum cupidiſſimæ referre ad impetiginem iſtam & ſcabiem commodorum tria luſtra vix durantium, inſanum eſt & ſue epicureo digniſſimum, aut Stoico impatibili trunco.

Non virtutes

2. Virtus etiam ipſa hujus mundi pet illam ſummam ac univerſalem regulam ſive per Jus naturæ, non intenditur per ſe: ſed tantum per accidens, ob conjunctionem hanc cum corpore terreno, ſine quo nulla virtute *temporali tantum* opus eſſet, & tamen perfectiſſime impleretur jus naturæ, ſive obtineretur ejuſdem proprius finis. Vid. S. *Auguſtinus* Lib. XIX. Civ. Cap. IV.

Non amor DEI temporarius.

3. Virtutibus autem iſtis omnibus comparatis, etiam ipſa agnitione & amore DEI temporario Jus ſeu regula naturæ humanæ nondum obtinuit finem à ſe intentum. Igitur hæc non ſunt finis hujus regulæ. Regula totius naturæ debet naturam regulare eousque, quousque nihil ſupererit per naturam comparabile & appetibile, alias non eſt regula totius ſed partis. At poſt omnes iſtas temporarias virtutes humanæ naturæ eſt adhuc aliquid comparabile & appetibile: ergo in his virtutibus regula non quieſcit tanquam in fine ſuo proprio. Natura autem humana poſt omnes temporarias virtutes & ſuper omnes expetit *conſtantem ac perennem poſſeſſionem*, quæ ſola ſi ſibi deſit, amiſſionis ſolus metus miſeria eſt magna & habetur pro aberratione à toto fine. Ergo Jus naturæ pro ſuo fine, ad quem dirigit naturam humanam, reſpicit per ſe maxime & velut unice illam æternam poſſeſſionem ſummi boni, ad quod omnis appetitus naturæ humanæ aſpirat.

4. Unde S. *Auguſtinus* lib. XIX. Civit. Cap. XXV. concludit: *Quamlibet videatur animus corpori, & ratio vitiis laudabiliter imperare; ſi DEO animus & ratio ipſa non ſervit, ſicut ſibi ſerviendum eſſe ipſe DEUS præcepit,* nullo

nullo modo corpori vitiiſque rectè imperat. Proinde virtutes, quas ſibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitiis ad quodlibet adipiſcendum vel tenendum, niſi ad DEUM retulerit, etiam ipſæ vitia ſunt potius quam virtutes. Nam licet à quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cum adſe ipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt: & ideo non virtutes ſed vitia judicanda ſunt. Sicut enim non eſt à carne ſed ſuper carnem, quod carnem facit vivere: ſic non eſt ab homine ſed ſuper hominem, quod hominem facit beate vivere.

Jus naturæ hac vita non clauditur.

5. Ut ut vero res habeat de virtutibus, illud certum, Jus naturæ contendere ad ſummum, quod naturæ convenit, nec ante expleri. Summum autem naturæ huic nunquam totum convenit aut evenit in tempore quantumvis prolixo: ſed ſolum in poſſeſſione perpetua, igitur ad hanc usque ſe extendit Jus naturæ, quæ alias deſtitueretur in præcipuo & maximo. Rectè itaque idem *Auguſtinus*, cum retuliſſet ſententiam Ciceronis ex Hortenſio, exiſtimantis in altera vita ceſſare omnes virtutes, ſola remanente *ſcientia* naturæ, quali etiam Dii ipſi beati ſunt; tamen ipſe docet, *Juſtitiam* veram univerſalem & abſolutam in æterna vita non ceſſare. Admittit autem, vitam beatam conſiſtere in cognitione naturæ, qua nihil eſt melius: explicat tamen Ciceronem adjungens: *Ea eſt natura, quæ creavit omnes ceteras inſtituitque naturas.* Et tum colligit, Juſtitiam manere: quia *HUIC* (naturæ divinæ) *REGENTI ESSE SUBDITUM ſi Juſtitia eſt, immortalis eſt omnino juſtitia; nec in illa eſſe beatitudine deſinet, ſed talis ac tanta erit, ut perfectior & major eſſe non poſſit* Lib. XIV. de Trinitate cap. IX.

ſed manet in altera.

Objectio. Jus civile non habet finem DEUM: ergo nec J. N.

Thema X. Perperam objicitur: Jus civile non habet pro objecto proximo DEUM ſed pacem & commoda temporalia civitatis. Ergo nec jus naturæ.

Reſpond.

℞. 1. Diſcrimen eſſe ampliſſimum. Jus civile eſt regula partis. Sicut ergo partis poteſt eſſe aliqua ſpecialis intentio, modo ſubordinetur *denique* intentioni totius: ita regula hujus partis eundem finem intendit, quem tamen regula totius ſubordinat fini totali ſeu fini totius ſibi proprio.

2. At Jus naturæ eſt regula totius naturæ, nec libera ſed neceſſaria: igitur intendit & dirigit totám naturam ad finem non alicui parti liberum, ſed ad finem toti naturæ neceſſarium & unicum.

3. Lex civilis eſt ex hypotheſi libera ſocietatis conſtituta per liberum conſenſum aliquot individuorum: atque ideo non poteſt ligare totam ſpeciem, ſed tantum hæc individua, neque ad omnia officia naturæ, ſed ad ea quæ per hanc electionem determinata ſunt. Hinc iſte conſenſus per ſe non intendit finem univerſalem; quippe qui jam aliunde intentus eſt per regulam generalem toti ſpeciei dominantem.

4. Cujus argumentum clarum hoc eſt, quod cetera individua poſſint talem legem civilem reſpuere, quæ tamen non poſſunt reſpuere legem dominantem toti naturæ.

5. Quocirca etiam, quia in electione ac poteſtate partium non eſt abdicare finem univerſalem totius proprium, ideo finis immediatus legis civilis habet præter ſuum proximum, alium finem ulteriorem, nempe finem legis naturæ. Lex autem naturæ præter finem ſuum immediatum non habet alium ulteriorem; quia ipſe finis immediatus jam eſt ultimus, quia univerſalis; univerſalis quia *toti naturæ* propoſitus.

Object. Natura habet finem ulteriorem quam ſit finis Juris naturæ

6. Fortaſſe inquies, Juri naturæ ac ipſi naturæ propoſitum eſſe adhuc ulteriorem finem, nempe ſupernaturalem unionem cum DEO, quam ex revelatione ſupernaturali diſcimus nobis propoſitam. Reſpondeo autem, hunc finem ſupernaturalem quoad ſubſtantiam eſſe eundem nempe DEUM ſummum, adeoque non eſſe ulteriorem finem; ſed tantum differre quoad modum communicandi ſeſe. Sicut propterea quod DEUS tanquam primum verum ſit finis intellectus, & tanquam ſummum bonum finis voluntatis, non ſequitur DEUM eſſe duos fines, ſed eſt finis unus diverſo modo ſe communicans & movens. Qua de re argutius diſputantes legere potes Theologos, quorum acumini nos haud ſufficimus.

Reſpond.

Object. DEUS eſt finis Religionis Chriſtianæ; ergo non Juris naturæ:

Them. XI. Male objicitur: DEUS eſt finis proximus Religionis, maxime Chriſtianæ, cujus eſt hic proprius ſcopus. igitur non eſt DEUS finis Juris naturæ.

fundamentum Puffendorffii

1. Hoc eſt illud grave, ſcilicet fundamentum, quo inductus Puffendorffius officia erga DEUM negavit primùm eſſe officia juris naturæ, ex quo deinde tota Larva errorum ac vis ab eodem principiis religionis illata, profluxit. Vid. *Larva detracta.*

Reſpondetur per rectas s...ones

2. Reſpondeo autem primo. Negando conſequentiam. Argumentum miſe-

miſerabile eſt & Puffendorffianum, id eſt ſophiſticum, ſimileque huic: DEUS eſt objectum & finis intellectus ergo non eſt objectum & finis voluntatis. Vel huic: repræſentatio eſt finis pictoriæ: ergo non eſt finis ſtatuariæ. Vel iterum huic. Imitatio eſt finis comœdiæ: ergo non eſt finis Poëſeos. Nititur Puffendorffianum argumentum falſa majore, quæ eſſet iſta: *Omne quod eſt finis hujus, non poteſt eſſe finis alterius*: quod ſi verum eſſet, quia Beatitudo æterna fuit finis Petri, non potuit eadem eſſe finis Pauli.

Religio naturalis eſt pars J. N.

3. Si objectio intelligitur de religione naturali, ſeu cultu DEO debito ex lumine naturæ, illa religio eſt pars Juris naturæ ſive ſubjectionis enti neceſſario dominanti debitæ. Omnis autem pars tametſi in mere liberis poſſit habere finem *proximum* diverſum à fine totius, ſubordinatum tamen; in neceſſariis tamen non poteſt ſibi proprium alium finem proximum ſtatuere diverſum à fine proximo totius, quod poſſet inductione naturalium ac moralium late probari. Vid. ſupra Them. X.

4. Religionem eſſe partem Juris naturæ aut ignoravit aut diſſimulavit ſtudio Puffendorffius quod tamen facile potuiſſet ſcire, ſi ſerio DEUM auctorem legis naturæ docuiſſet, & ſaltem ex Platone (quoniam Davidem aſpernabatur) didiciſſet, hominem *eſſe ſervum & quandam poſſeſſionem DEI*: Qui enim natura ſervus agnoſcitur, is profecto, quin officiis erga Dominum naturalem ſtringatur, dubitari nulla ratione poteſt.

5. Eundem in modum, & propius ad rem, peſſime argutaretur, qui diceret: Salus publica eſt finis Juris regii: ergo [illegible]em ſalus non eſt finis Juris Public. Quoniam Jus regium pars eſt Juris publici.

Si Juris Naturæ finis non eſt DEUS, is qui religionem amplectitur debet renunciare Juri naturæ.

6. Si Puffendorffiani admitterent tantam diverſitatem iſtorum finium, ita ut religionis finis ſit DEUS, Juris naturæ finis non DEUS, neque aliquid ſubordinandum DEO; ſequeretur, hominem qui religionem amplectitur, eſſe monendum, ut Jus naturæ relinquat; quia finis ejus non poteſt eſſe finis religionis. Item ſequeretur, Jus naturæ tantum in hac vita ſervandum, ad alteram nihil pertinens: contrà religionem, maxime Chriſtianam, ſervandam eſſe tantum in altera vita, non autem in hac. Nam ubi non eſt finis, ibi nec ſunt officia ad finem: finis, autem Juris naturæ (commoda Puffendorffiana) non eſt in altera ſed hac tantum vita: igitur etiam officia Juris naturæ non ſunt in altera ſed hac tantum vita. Contra ſcopus religionis Chriſtianæ juxta Puffendorffium eſt plane ab illo Juris ſcopo diverſus, & eſt tantum in altera vita comparabilis, non in hac: ergo etiam officia religionis Chriſtianæ erunt tantum in altera, non in hac vita. Scilicet cum Baccho aut Epicuro vivemus in hac vita: cum Chriſto deinde in altera, quæ *ſola fide* ſcilicet, obtineri poteſt ad Jus naturæ nihil attinente.

Certe Religioſus debet renunciare Juri Puffendorffiano.

7. Hoc denique nimis quam certum eſt, ab homine ad religionem Chriſtianam ſe convertente omnino poſtulari debere, ut relinquat Jus naturæ Puffendorffianum, cujus ſcopus à Chriſtiano diverſus eſt, eumque excludit; quia commoda nulla alia quam hujus vitæ admittit: quod conſiſtere nequit cum commodis *etiam alterius vitæ* admittendis, ſicut admittit Chriſtiana religio. Et apprime tali homini convertendo congruit exemplum orationis Catecheticæ, quod deſcripſit S. *Auguſtinus* Libro de Catechizandis rudibus cap. XVI. his plane verbis: *Facimus aliquem veniſſe ad nos, qui vult eſſe Chriſtianus* - - - „ interrogatum etiam, „ utrum propter vitæ præſentis ali„ quod commodum, an propter re„ quiem, quæ poſt hanc vitam ſpera„ tur, Chriſtianus eſſe deſiderat? propter futuram requiem, reſpondiſſe; „ tali fortaſſe à nobis inſtrueretur al„ loquio: DEO gratias, Frater, val„ de tibi gratulor, & gaudeo de te, „ quod in tantis ac tam periculoſis hu„ jus ſeculi tempeſtatibus de aliqua ve„ ra & certa ſecuritate cogitaſti, Nam „ & in hac vita homines magnis labo„ ribus requiem quærunt & ſecurita„ tem; ſed pravis cupiditatibus non „ inveniunt. Volunt enim requieſce„ re in rebus inquietis & non per„ manentibus, & quia illæ tempore „ ſubtrahuntur & tranſeunt, timoribus „ & doloribus eos agitant, nec quie„ tos eſſe permittunt. Sive enim in „ divitiis velit homo requieſcere, ma„ gis ſuperbus efficitur, quam ſecurus: „ an non videmus, quam multi eas „ ſubito perdiderint? multi etiam pro„ pter illas perierint, aut cum eas ha„ bere cupiunt, aut cum eis oppreſſis „ à cupidioribus auferuntur? Quæ ſi „ etiam per totam vitam cum homine „ permanerent, & non dererent di„ lectorem ſuum, ipſe illas ſua morte „ deſereret. Quanta eſt enim vita „ hominis, etiamſi ſeneſcat? aut cum „ ſibi homines optant ſenectutem, „ quid aliud optant, niſi longam infir„ mitatem? Sic & honores ſeculi &c. Sic nempe & non aliter poteſt quis ſub-

ſcribere religioni Chriſti, quam ut ejuret Jus naturæ Puffendorffianum. Jus autem naturæ verum à Patribus noſtris traditum & à nobis hic exponendum adeo non debet deponi, ut cum Chriſtiana religione debeat arctiſſime colligari, unus enim eſt utriusque ſcopus DEUS verus, ad quem quærendum prima via eſt Ipſum Jus verum naturæ.

DEUS non eſt religionis tantum revelatæ finis proximus.

8. Quodſi vero Objectio intelligitur de *Religione* tantum formaliter *revelata*, quaſi illius ſolius finis eſſet DEUS, abſurdiſſima ſimul & impia eſt objectio. Sequitur enim DEUM nullo modo eſſe finem eorum omnium, ad quos religio revelata delata non eſt. Quia religione revelata, quæ DEUM ipſis finem faceret, carent. Jus autem naturæ, quod habent, non facit ipſis, nec monſtrat finem DEUM: ſed abſtrahit ab hoc fine: aut neſcio unde ſupponit. Dic ergo, quid illis hominibus DEUM tanquam finem agendorum & officiorum proponit?

Objectio. **DEUS ut finis proponitur à Theologia naturali, non à J. Naturæ Reſp.**

9. Inquies hoc eſſe officium *Theologiæ naturalis*. Atque hoc videtur velle Puffendorffius ſcientiarum diribitor, queritans, Jus naturæ ac Theologiam tam pudendo turbine fuiſſe inter ſe à Catholicis ignorantibus commixtas. Verum R. aut Theologiam intelligit naturalem ſpeculativam, tantum DEI agnitionem & conſiderationem? aut practicam dictatricem agendorum erga DEUM? Si ſpeculativam intelligit, eidem falſo attribuitur officium dirigendi actiones humanas erga DEUM; quia ſpeculativa tantum conſiderat, non præcipit aut dirigit officia. Si intelligit Theologiam naturalem practicam, ea ipſa eſt pars præcipua & ipſum jus naturæ, nempe ſcientia dictans *obligationes naturales* hominis ad DEUM. Adeoque perperam Puffendorffius cum Thomaſio & aliis aſſeclis contendit, à Jure naturæ ſeparandam eſſe Theologiam: aut perperam aſſerit, ad Theologiam pertinere DEUM ut finem agendorum, *non ad Jus naturæ*: periculoſe autem docet, Juris naturæ finem non DEUM non æterna quæque eſſe, ſed caduca iſta & vana. Denique ſi cultus & amor DEI pertinet ad Theologiam, *non ad Jus*, ſequitur, hominem non eſſe ex juſtitia obligatum ad cultum & amorem. Igitur neque qui cultum hunc ſponte omittit, neque qui DEUM odit, poteſt juſte puniri, quia non peccavit contra juſtitiam. Quod ſi Puffendorffio non placet, ut non debet placere, & pœnæ reum talem facit; ſequitur omnino tale peccatum eſſe contra juſtitiam nec aliam quam naturalem, atque ulterius ſequitur, Jus naturæ non finiri in hac ſocietate humana neque in naturæ iſtis commodis: recte enim *S. Ambroſius* dixit: *Quomodo fieri poſſet, ut naturæ obedientiam deferret, qui DEO reverentiam non exhiberet?* Lib. II. de Cain Cap. IX.

Objectio. **DEUS ut finis proponitur ab Ethicæ ergo non à Jure Nat.**

10. Forte excipies: officium DEUM ut finem naturæ & agendorum proponendi pertinere ad *Ethicam*; atque ex illa præſupponi ad Jus naturæ. Reſpondeo: Ethica vera eſt diſciplina docens per juſtitiam univerſalem & particularem pervenire ad verum honeſtum. Verum autem honeſtum eſt ſummum bonum, bonum vero ſummum eſt DEUS; quæ omnia Cap. VII. Themate XIX. & ſequentibus luculenter nos docere credimus. Igitur recte dixiſti, Officium Ethices eſſe, DEUM finem aſſequendum docere, & media huic aſſequendo præcipere. Quæ autem media præcipit illa? Nempe virtutes omnes: id eſt Juſtitiam univerſalem, quæ nihil eſt aliud quam obſervatio Juris naturæ. Vid. Cap. VII. Them. XXVI.

11. Cordate tandem rem expendentes invenient, præcoci illa ac præpoſtere imperata diſciplinarum inter ſe diſcriminatione nihil lucratum fuiſſe Puffendorffium, præter cavillos eosque periculo conjunctos, quod in re tanta, quanta eſt Jus naturæ, nunquam eſt contemnendum.

Quid facit naturaliter juſtum aut injuſtum?

12. His igitur miſſis ſyrtibus ducamus in altum duce Sanctiſſimo Auguſtino, non invita *ratione*, unico idolo Naturaliſtarum, ſed male ab iis culto. Is Lib. XXII. contra Fauſtum Manichæum Cap. LXXVIII. ſic ſtatuit: *Fit autem homo INIQUUS, cum propter ſe ipſas diligit res propter aliud aſſumendas, & propter aliud appetit res propter ſe ipſas diligendas. Sic enim, quantum in ipſo eſt, perturbat in ſe ordinem naturalem, quem lex æterna conſervari jubet. Fit autem homo juſtus, cum ob aliud non appetit rebus uti, niſi propter quod divinitus inſtituta ſunt: ipſum ipſo autem DEO frui propter ſe: ſeque & amico in ipſo DEO propter eundem ipſum.* Sic ille. Nec dubito hoc pronuntiatum edere: ſi hæc Auguſtini & illa Puffendorffii doctrina utraque cuidam Indo ac gentili proponatur, isque de utraque ſententiam ferat ex conſcientiæ ſuæ dictamine; non dubito inquam, quin Puffendorffiano ſcopo damnato tanquam irrationali, Auguſtini doctrinæ ſit ſubſcripturus. Ad hoc Puffendorffium adegit intempeſtiva Catholicis contranitendi, & affectatæ in diſciplinarum finibus dividundis regundisque dictaturæ libido.

Them.

Thema XII. Jus Naturæ & Lex Naturæ participata, ſeu quantum eſt in homine, eſt Medium Ordinarium, Generale naturale & per ſe proximum, quo Natura humana duceretur ad Ultimum finem DEUM, ut naturaliter appetibilem.

Jus naturæ eſt medium ordinarium ad DEUM finem ultimum naturalem.

1. Dicitur primo: *quantum eſt in homine.* Nam Jus naturæ duo habet. 1. Eſt Imperium ſeu actus DEI. Et hoc modo non diſtinguitur ab eſſentia Divina, ut omnibus Theologis & Philoſophis notum eſt. 2do eſt dependentia moralis ſeu cognita hominis à DEO. In quo poſteriore ſenſu hic accipimus Jus naturæ.

Eſt medium.

2. Dicitur: *Eſt Medium*: Nam ſi per impoſſibile homo non penderet à DEO naturaliter; aut ſi per deliberationem ab eodem non penderet moraliter ſeu voluntarie, hoc ipſo ad DEUM non accederet. Quare hæc ad DEUM tendentia actualis ſi tanta eſt, quanta cadere in omnes hominis vires poteſt, rectiſſime à Theologis dicitur *felicitas via*: ipſa autem DEI ultimi finis conſecutio dicitur *felicitas patria.* Unde videas, quam miſerabiles in jure naturæ duces ac ſeductores ſint quidam, qui in re tam capitali cœcutierunt. Alii enim quieſcendum ac ſubſiſtendum dixerunt in ſui unius amore & bello adverſus omnes; alii in pace externa adverſus omnes: alii in commodis: ex pace externa reſultantibus: alii in extirpatione omnimoda paſſionum, & quæ ſunt hujusmodi.

Ordinarium.

3. Dicitur *Ordinarium* quia unicuique homini connaſcitur, & cum rationis uſu ſeſe ſponte exhibet hæc ſervitutis erga DEUM conſcientia, & impetrari à quolibit mentis compote poteſt.

Generale.

4. Dicitur *Generale*; tum quia omnibus ratione utentibus aliquo modo ineſt: tum quia ad omnes hominis facultates & actiones ſeſe extendit, ad omnia tempora & loca, ubicunque exiſtit homo compos facultatum. Ubi turſus graviſſime erravunt, qui jus naturæ non ultra hujus caducæ vitæ paucos annos extenderunt. Nam iſti, ſi animam non mortalem aliquo modo agnoviſſent, quomodo potuiſſent ſomniare, illam poſt depoſitum corpus juri naturæ non obnoxiam? Aut ſi ſupereſſe animam naturaliter exiſtimaſſent, quomodo Jus naturæ cum hoc corpore finiiſſent?

Naturale.

5. Dicitur, *Naturale*, quo explicatur magis illud *Ordinarium.* Intelligo enim, Jus naturæ ordinaria providentia DEI conſtitutum, & afficere facultates hominis cum ipſa humana natura datas. Ad hæc ideo jus naturæ ſeu ſervitutem DEI voco naturale medium ad DEUM; quia naturaliter non agnoſcimus, DEUM nobis ſic conjunctum iri ut filiis adoptivis, ut videamus facie ad faciem, & immutemur aliquo modo in ipſius gloriæ ſimilitudinem. Hæc *nonniſi* extraordinaria revelatione per fidem nobis ſupernaturaliter manifeſtantur: unde jus naturæ non eſt medium ſupernaturale ſed naturale ad conjunctionem cum Deo tantam, quanta naturaliter etiam poſt ſolutionem corporis deberet exiſtere, & quæ ultra ſortem ſervi & aliqualiter amici non auderet aſcendere. Vid. Theoph. Reynaud, Moralis diſciplinæ Diſtinct. I. Num, 368. &c. &c.

Per ſe proximum.

6. Dicitur *Per ſe proximum*, quo *natura humana duceretur ad ultimum finem DEUM.* Nam etiam gentilibus Philoſophis pluribus naturali ratione viſum eſt, hominem initio *rectum* fuiſſe, & propria malitia à recto deſciviſſe. Quodſi igitur homo permanſiſſet in ſtatu naturæ rectæ ac puræ, hæc ei ſervitus, atque adeo jus naturæ ſolum ſufficere poterat ad DEUM tanquam ultimum finem conſequendum, ſaltem ſub illo naturali conceptu, quem numero mox priore 5to expoſui. Poſtquam autem corruptam ſemel habemus & agnoſcimus naturam, agnoſcere etiam debemus, hoc medium ſolum jam non ſufficere, adeoque non eſſe proximum, ſed opus eſſe *re-medio* ſive alio medio ſuperaddito, quod denique ſit proximum, nempe nova & extra ordinem danda gratia gratuita DEI. Sicut ſervo, qui à ſervitute ſemel defecit, non ſufficit ſervitutem repetere, ſed de novo ad eam admitti à Domino debet; ſine qua venia, gratia & receptione non poſſet quidem ſervus iterum eſſe, ſed maneret profugus. Huc ergo exſcribenda cenſui verba auctoris de Regimine Principum Lib, I. Cap. IV. ubi Philoſophorum ſententias de ſummo bono ſeu felicitate examinat, aitque eos non uſquequaque vera ſenſiſſe: *Crediderunt enim, quod ex puris naturalibus abſque alio auxilio gratiæ poſſet quis omnia peccata evitare & perfecte vivere ſecundum vitam activam vel contemplativam, quod falſum eſt.* Quamvis enim gratiam Philiſophi non nominatim excluſerunt, ſed ignorarunt tantum; tamen eorum doctrina de Jure naturæ, ſeu de vita perfecta, falſa eſt; & eſſet ſeductoria, ſi à quoquam legeretur tanquam vera, & venderetur aut

In ſtatu autem naturæ corruptæ.

Opus eſt re medio.

emeretur pro vera. Heterodoxi autem auctores omnes æque gratiam DEI non tantum ſilent : ſed etiam excludunt, de imputatione ſua multa profundentes ; & præterea vendunt ſua ſcripta pro vero ac genuino Jure naturæ ſeu norma vivendi. Itaque eadem de his, quæ de Philoſophis dici poſſunt, & paulo pejora. Vid. S, Thom. I. 2dæ. Qu. V. Art. V. infra Cap. VII. Them. XVII.

Compendium Juris naturæ.

7. Ceterum compendioſa Juris naturæ doctrina Juventutis cordibus inſculpenda ea eſt, quam à puero in ſcholis noſtris aſſidue audiunt : *OMNIA PROPTER DEUM.*

CAPUT V.

Quod ſit præceptum generale Legis Naturæ ex ſignis Cap. III. poſitis agnoſcendum ?

Heterodoxi male enuntiant præceptum Juris naturæ.

Thema. I. PRæceptum primum ac fundamentale ad quod omnia Juris naturæ officia reduci poſſint, non conſiſtit in his heterodoxorum enuntiatis : *Ama te ipſum etſi cetera omnia deſtruas.* aut : *Socialiter vive cum hominibus.* aut : *Commodis hujus tantum vitæ inhia, abſtrahendo à futura.* aut : *Pacem externam coleci.* aut : *Creſcte & multiplicamini ſuper terram* ; quod poſtremum nuper Pagenſtecherus quidam ineptiſſimo ſtylo longeque ineptiore ſenſu ſtatuit.

Vive ſecundum eſſentiam & naturam humanam abſtractam à DEO, quod Wolfſius tradit.

1. Hæc ſingula excuſſit Cl. P. Schwartzius, & nos pleraque depexuimus in *Larva detracta.*

2. Omnia certe iſta ſi nude ſumantur, finem & ſcopum Juris naturæ DEUM non tangunt, itaque aberrant ipſa : atque adeo non poſſunt eſſe regula omnium ceterorum.

3. Si auctores iſtorum Principiorum excuſas, ipſos hæc non nude ſumpſiſſe, ſed in ſano ſenſu : Reſpondeo : hoc oportuiſſet eos *clare* ac *ſæpius* per decurſum operum ſuorum monere, ut in *Larva detracta* alicubi oſtendimus. Nam in re tanta, à qua mores publici ac ſalus non tam civitatum quam naturæ humanæ pendet, nefas eſt lubrica principia proferre : nefas majus eſt, ſanioribus, ac firmis rejectis hæc lubrica tanquam ſola genuina ac ſequenda obtrudere hominibus iiſque juvenibus imperitis, lubricis ipſis, & fraudum incautis etiam apparentium.

Pagenſtecheri principium Juris Nat, *Creſcite &c.*

4. Illud vero Pagenſtecheri : *Creſcite &c.* hodieno tempori tanquam unicum I. N. principium applicatum, quam ſit lubricum, exſequi prolixius pertæſum ſane eſt mihi. At eſt præceptum divinum ? Certo. Sed nunquid & hoc divinum eſt : Dominum DEUM tuum adorabis & illi ſervies ? Tamen, pergis, eſt primis parentibus datum ? Geneſ. I. ℣. 28. Eſt equidem datum : Sed & hoc datum eſt : de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas : in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris : ergo continentia à malo, & mors, prima ſunt præcepta : cur ſolum illud *creſcite* eligis, relictis aliis ?

5. Antedicta autem præcepta, quæ in themate rejicimus, Jus naturæ ſine principio & ſine fine fingunt. Nec enim ex ſuis principiis poſſunt oſtendere hæc præcepta oriri à DEO ; neque rurſus in eum referri. Neque ſtatuunt Jus naturæ pro tota duratione naturæ, ſed anguſtis hujus vitæ terminis finiunt, Rurſus repugnant providentiæ DEI ac juſtitiæ, cum jure hoc naturæ non eſſet proviſum, ut bonis bona, malis mala ſuo tempore tandem eveniant ; id quod in hac vita ſæpe non fit. Nec commenſurantur talia præcepta naturæ humanæ, quæ per ſe ad ſtabilia ac ſumma fertur. Denique ſunt ita verſatilia, ut in bonum & malum, ad naturaliſmum, Deiſmum, indifferentiſmum, atheiſmum facile deflecti poſſint. Prabatum eſt in *Larva detracta.*

Præceptum Juris Naturæ universale.

Thema II. Præceptum univerſale Naturæ eſt id ipſum, quod Chriſtus deinde luculentiſſime iterum promulgavit :

DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO, ET EX TOTA ANIMA TUA, ET EX OMNIBUS VIRIBUS TUIS. PROXIMUM AUTEM SICUT TE IPSUM.

Hoc præceptum eſſe Juris naturæ ex ſignis capite III. poſitis docuimus ibidem Themate VI. & ſequentibus. & Cap. VIII. Them. I. & paſſim toto hoc opere.

CA-

CAPUT VI.

De Requiſitis ad obſervationem Juris Naturæ, ſive Executionem legis æternæ, Ejusque tranſgreſſione, ſeu Peccato.

Bonitas naturalis eſt in applicatione principii ad finem.

Them. I. B*Onitas naturalis*, actionis conſiſtit in applicatione principii ſeu facultatis naturalis ad finem ei *proprium*. Ut ſi intellectus applicatur ad diſcendum. Voluntas ad amplectendum bonum.

Actio humana eſt deliberata, Hominis indeliberata.

Them. II. Actio humana ſeu *moralis* dicitur, quæ ex voluntate deliberata procedit. Actio vero *hominis* dicitur, non moralis ſed naturalis tantum, quæ ſine deliberatione fit, ut in ſomno, aut primo impetu.

Actio enim *humana* eſt, quæ homini ut homini propria eſt, atque ut is differt à ceteris naturis: ſive eſt *uſus facultatum naturalium modo ſuæ naturæ proprio* : At per hoc differt à ceteris, quod ipſe perſpecto fine, cauſis penetratis, & mediis electis agat. V. S. Thom. I. 2. Q. I. Ar. II. & Q XIII. A. II.

Bonitas moralis eſt in habitudine ad finem ultimum.

Them. III. Bonitas moralis ſimpliciter talis conſiſtit in commenſuratione aut habitudine actionis moralis ſeu humanæ ad perfectionem ſuam, ſive finem vere rationalem, ſeu ultimum.

Omnis enim res & præcipue omnis motio bona eſt, ſi à ſuo principio exiens, per ſua media tranſiens, ad ſuum terminum tendit : perfecta eſt, quando pervenit : ut patet ab inductione. Igitur id etiam convenit actioni humanæ.

Actionem humanam faciunt quinque.

Thema IV. Actio humana ut deliberata eſt motus exiens à *voluntate*, directus à *ratione* , verſans circa *objectum* , tranſiens per *circumſtantias*, tendens ad *finem*. Igitur ſi voluntas. Ratio, objectum, circumſtantiæ, finis ita ſe habent, ut à primo principio & ab ultimo fine id eſt à lege æterna non *diſcordent*, bona erit ea actio humana: ſecus erit mala, ſi vel unum eorum defecerit.

Sicut bona eſt viſio, quæ tam organo rite diſpoſito, quam objecto rite propoſito, quam medio adhibito fit: mala eſt, ſi vel alterutrum deficiat. Bonitas enim rei eſt plenitudo eſſendi tanta, quanta convenit huic rei. Unde natum axioma : *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu* Vid. S. Thomas I. 2dæ Qu. XVIII.

De quinque his 1. *Voluntate*, 2. *Ratione*, 3. *Objecto*. 4. *Circumſtantiis*, 5. *Fine* , ſeorſim ſana principia indicare jam oportet. Vid *Suarez* 1. II. Tract. III.

I. DE RATIONE.

Ratio quid hic ?

Thema V. Ratio hic ſumitur pro facultate animæ repræſentante objectorum veritatem , bonitatem , circumſtantias, cauſas & fines.

Hæc ſi deſit omnino, aut non exerceatur ſive ob defectum organorum, ſive ob perturbationem invincibilem , ſive ob aliud impedimentum non volitum, nulla fit actio *moralis*: Adeoque nec peccatum. Sequitur ex themate III. & IV.

Ita mente capti, Infantes, omnino ebrii ex improviſo &c. opera hominis, non humana , edunt.

Ignorantia & negligentia excuſans aut non excuſans.

Ignorantia iſta dicitur moraliter *invincibilis antecedens*, & eſt inculpabilis. V. S. Thom. I. 2. Q. LXXVI. Art. III.

Them. VI. Quodſi voluntas ſponte cauſa eſt, cur anima non intelligat intelligenda, actio fit moralis, & ſic quidem mala, aut pejor, pro quantitate liberæ negligentiæ. Præclare S. Thomas I. 2. Q. VI. art. III. & VIII. & Q. LXXVI. art. VI: Ignorantia hinc orta dicitur *conſequens*.

1. Negligentia dicitur *ſupina* , quando ne is quidem conatus adhibetur, qui facile omnibus in promptu eſt, ut cum quis inter homines moratos educatus nollet diſcere ea, quæ quotidie de DEI juſtitia, providentia &c. docentur. Peſſima eſt negligentia cum *contemptu* conjuncta : ut ſi atheus audit de DEO, & partim intelligit, contemptu tamen obfirmat animum ad melius diſcendum. Vel ſiquis habet ſcholas & libros ſanæ doctrinæ, iis tamen contemptu neglectis conſulit libros damnatos aut vetitos.

 2. Ne-

2. Neglectui reſpondet Ignorantia culpabilis. *Ignorantia* enim *craſſa* ſequitur negligentiam ſupinam. *Ignorantia affectata* ſequitur contemptum. Vid. *Suarez* in 1. II. Tract. II. Diſp. IV. tota.

Error obligat.

Thema VII. ERROR rationis, cum malum pro bono, apparens pro vero habetur, ligat conſcientiam ita, ut ſi rationem errantem non ſequatur, mala fiat actio.

Quia per errorem proponitur aliquid ut præceptum. Præceptum autem propoſitum ut tale, ligat. Vid. accurate diſputantem S. Thomam I. 2. Q. XIX. Art. V. & Theologos in hunc locum. *Si quis non obedierit illis, quæ ſemel à DEO præcepta credimus, pœnæ obnoxius æſtimatur. - - - Ergo opinio noſtra ipſa ſibi legem facit. - - - Opinio humana ſibi tanquam DEI lex eſt.* S. Ambroſ. De Paradiſo Cap. VIII. n. 39. *Suarez* in 1. II. Tract. III. Diſp. XII. Sect. IV.

Sed non excuſat, ſi eſt vincibilis.

Them. VIII. Nec tamen actio ſeu voluntas rationi erranti concordans eſt bona, ſi error ſit circa ea, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt.

1. Quia hic error ſeu hæc ignorantia eſt voluntaria. V. S. Thom. I. 2. Q. XIX. art. VI. & I. 2. Q. LXXIV. art. V. corp..

2. Neque poteſt objici, talem neceſſario peccare, & eſſe perplexum, ſive ſequatur errorem ſive non.

Reſpond. S. Thomas ibid. *Sicut in Syllogiſticis uno inconvenienti dato neceſſe eſt alia ſequi; ita & in moralibus uno inconvenienti poſito, ex neceſſitate alia ſequuntur. Sicut ſuppoſito quod aliquis quærat inanem gloriam, ſive propter inanem gloriam faciat quod facere tenetur, ſive dimittat, ſemper peccabit. Nec tamen eſt perplexus; quia poteſt intentionem malam dimittere. Et ſimiliter ſuppoſito errore rationis vel conſcientiæ, qui procedit ex ignorantia non-excuſante, neceſſe eſt quod ſequatur malum in voluntate: nec tamen eſt homo perplexus; quia poteſt ab errore recedere; cum ignorantia ſit vincibilis & voluntaria.* Hæc ille.

3. Hoc fere eſt, quod S. Auguſtinus inquit: *Duabus ex cauſis peccamus: aut nondum videndo, quid facere debeamus; aut non faciendo, quod debere fieri jam videmus.* Enchiridii cap. 81.

II. DE VOLUNTARIO.

Voluntarium directe quid?

Thema IX. Voluntarium directe eſt, quod procedit à voluntate *agente* ſeu movente ſe ad hoc.

Ut cum, agnoſcens hunc hominem inimicum, eum perimo. Vid. *Suarez.* in 1. II. D. Thomæ Tract. II. Diſp. I. Sect. IV.

Voluntarium indirecte.

Them. X. Voluntarium indirecte eſt quod procedit à voluntate non-agente, ſeu ab omittente *quod poteſt & debet* agere.

Ut ſi navis perit, quia gubernator ceſſavit gubernare, cum poſſet & deberet pergere in gubernando, interitus navis eſt gubernatori voluntarius indirecte. V. *Suarez* loco mox citato ſect. V.

Voluntarium in cauſa.

Them. XI. Voluntarium in cauſa eſt id, quod ſequitur per ſe ex eo, quod voluntas agens aut omittens poſuit vel omiſit.

Ut ſiquis inebriavit ſe voluntarie, ſciens ſe ſolere in ebrietate blasphemare, cum deinde blasphemias ebrius effundit, illæ blaſphemiæ ſunt voluntariæ in cauſa; quamvis in ſe ipſis non ſint voluntariæ, quia ebrius tunc non agnoſcit ſe contra legem agere.

Involuntarium quid?

Them. XII. Involuntarius fit actus à voluntate aliàs imperandus per coactionem ſeu vim externe adhibitam nihil conferente paſſo. Actus autem internus ſeu *elicitus* aut *eliciendus* ab ipſa potentia voluntatis, nulla vi poteſt cogi; neque adeo involuntarius eſſe. Adde infra Them. XIX.

Ut ſi Chriſtiani dextra arripiatur per ſatellites, per eamque thus adoleatur idolo, involuntaria eſt hæc actio exterior coacta. Vid. infra Thema XIX.

Metus cauſat partim involuntarium.

Thema XIII. METUS facit *involuntarium* ex parte, voluntarium autem ſimpliciter manet. Et hinc metus ſaltem minuit peccatum, non plene excuſat.

Ut qui intentatis ſibi tormentis, niſi pronunciet Jovem DEUM, pronuntiat. Tota enim hæc actio eſt deliberata, & à voluntate electa propter finem ſervandæ vitæ vel membrorum; ideoque eſt ſimpliciter voluntaria. Ex parte autem poteſt dici involuntaria, quia hic homo iſtam ſuam actionem conſiderans abſtractam ab iſtis circumſtantiis, & in genere ſuo, voluntas ejus in hanc non fertur. V. *S. Thomas* I. 2. Q. VI. Art. VI. Natalis Theol. Dogmat. Lib. III. C. IV. Reg. LXXXIV. &c. *Suarez* in 1. II. Diſp. III. Sect. I. & II.

Concupiſcentia non.

Them. XIV. CONCUPISCENTIA autem non facit per ſe involuntarium, ſed magis voluntarium.

Quia nec abſtracte, nec in individuo poteſt dici, quod voluntas non feratur in concupitum. Vid. S. Thom.

I. 2.

I. 2. Q. VI. art. VII. Delectatio enim præſens eſt & realis & cognita, in quam fertur voluntas: unde nihil juvat fictio intellectus abſtrahentis. e. g. concupiſcit aliquis fœminam non ſuam ſciens: Peccat; tametſi ſibi fingeret quaſi ſua eſſet. Vi. *Suarez* in 1. II. Tract. II. Diſp. III. Sect. III. &c.

Paſſio præveniens cauſat involuntarium.

Them. XV. Omnis autem *paſſio* tam concupiſcibilis quam iraſcibilis ſi præveniat deliberatiooem, ſeu ſi voluntatem cum ſcientia conjungi impediat, (ut in ſubita vehementi ira, triſtitia, concupiſcentia) cauſat involuntarium & excuſat à peccato.

Motus primo primus & ſecundus.

Hæcque præventio dicitur *Motus primo-primus.* Qui apud aliquos etiam diutius durare poteſt, pro temperamenti modo.

Motus *primo-ſecundus* eſt, cum jam incipit lumini rationis aliquis acceſſus patere, & fit lucta. Tunc pro portione accreſcentis lucis creſcit culpa & peccatum; quia formatur magis ac magis illud voluntarium. Accurate hæc exſequitur S. Thomas I. 2. Q. LXXVII. Art. II. VI. &c. *Natalis* Theol. Dogm. Lib. III. Cap. IV. Reg. LXXIX &c.

Appetitus Superior & Inferior in homine.

Them. XVI. Recte appetitus animæ dividitur à Theologis & Juris naturæ Doctoribus in *Superiorem* & *Inferiorem.* Ita etiam Ratio dividitur recte *in Superiorem & Inferiorem.* Vid. Cap. IV. The. VI. n. 5.

1. Non quod anima totidem velut partes habeat; ſed quod modus operandi animæ ordinarius ſit ſucceſſivus, & per aliquos gradus perveniat ad complementum: ut omnis experientia nos docet. *Primo* enim res corporea præſentatur intellectui, quam dijudicat ſecundum rationes temporales: & ſic dicitur *Ratio inferior.* Voluntas ſequitur quamlibet repræſentationem intellectus aliquo appetitu & inclinatione; prout ergo voluntas ſequitur hanc rationem inferiorem, dicitur *appetitus inferior. Secundò* autem Intellectus res ulterius examinare poteſt ad rationes æternas ad primum principium ultimumque finem relatas aut referendas: & ſic dicitur *Ratio Superior*, ac voluntas eam ſequens dicitur *Appetitus Superior.* Vid. S. Thom. I. 2. Qu. LXXIV. Art. VII.

2. Pulcher eſt ad hoc locus *S. Auguſtini* Lib. de Utilitate Jejunii. num. 5. *Habet ergo*, inquit, *caro ex conditione mortali quaſi quoſdem terrenos appetitus ſuos. In hos tibi jus freni conceſſum eſt. Regat te præpoſitus, ut poſſit à te regi ſubjectus. Infra te eſt caro tua; ſupra te eſt DEUS tuus. Cum vis, ut ſerviat tibi caro tua, admoneris, quomodo te oporteat ſervire DEO tuo. - - - Leges in inferiorem non habes, niſi à ſuperiore. Servus es; ſervum habet: ſed Dominus duos ſervos habet. Servus tuus plus eſt in poteſtate Domini tui, quam in tua. Itaque vis tibi obediri à carne tua? Numquid in omnibus poteſt? In omnibus obtemperat Domino tuo: non in omnibus obtemperat tibi. Quomodo, inquis? Ambulas, pedes moves; ſequitur. ſed numquid, quantum vis, ibit tecum? Animatur à te: ſed numquid quamdiu vis? Nunquid quando vis, doles? quando vis, ſanus es? Exercet enim te plerumque Dominus tuus per ſervum tuum; ut, quia fuiſti Domini contemptor, merearis emendari per ſervum.* Materia hæc eſt pulcherrimæ meditationis de appetitu Superiore & inferiore, & Dominio DEI, ac ſervitute hominis. Legendus etiam idem *Auguſtinus* Lib. IX. Civit. Cap. IV. &c.

Delectatio moroſa.

Them. XVII. Delectatio moroſa eſt motus paſſionis animam verſus quidem à ratione deliberante, ſic tamen ut moram in ea reprimenda committat. e. g. Cum advertis, odio te aut ira agi, nec conſentis quidem, ſed moroſus es in avertenda cogitatione ad alia vel contraria.

Eſt peccatum veniale, ſi animadvertentia eſt tenuis, moroſitas parva, aut periculum conſenſus nullum. Contra gravis eſt. Vid. S. Thomas loc. cit. Art. VI. Alexand. Natal. Theol. Dogm. Lib. III. Cap. IV. Reg. X. LVIII &c.

Conſenſus eſt actus rationis Superioris.

Them. XVIII. Conſenſus in delectationem, item in actum ipſum malum, eſt actus *rationis ſuperioris*, & peccatum, grave ſi ultimo fini repugnat, leve ſi non.

1. Nam vel ratio examinavit delectationem aut actum ſecundùm ad rationes æternas: vel non examinavit? Si primum fecit, & tamen conſenſit, fecit contra ſervitutem DEO & legi æternæ in omnibus actibus *humanis* ſeu deliberatis debitam. Si alterum; omiſit id quod debuerat facere. Tenetur enim homo compos mentis omnia præcepta humano modo, *quantum poteſt*, facere, id eſt ex ratione ſuperiore ſeu plene deliberata. Vid. S. Thom. I. 2. Q. LXXIV. a. VII. & Qu. XV. art. IV.

2. De his ergo *peccatis cogitationum* jure Naturæ vetitis accurate de more S. Thomas citata Qu. LXXIV. Art. VII. *Ex hoc ipſo quod ratio ſu-*

pe-

perior NON DIRIGIT actus humanos ſecundum legem divinam, impediens actum peccati, dicitur ipſa conſentire; ſive cogitet de lege æterna, ſive non. Cum enim cogitat de lege DEI actu, eam contemnit: cum vero non cogitat, eam negligit per modum omiſſionis cujusdam. Vid. *Suarez* in 1. II. Tract. II. Diſp. VIII.

Violentia non datur in actibus *elicitis*, ſed imperatis

Them. XIX. Violentia non habet locum in actionibus voluntatis *elicitis*, i. e. ipſius voluntatis internis motibus. In actibus vero *imperatis* adhibita violentia facit actum involuntarium.

Forum poli — **Forum fori**

Them. XX. Hactenus de Voluntario dicta pertinent ad jus divinum ſeu proprie ac pure naturale, ſive ad *forum poli*; cum DEUS ſit inſpector & Dominus cordium, & cogitationum exactor. In jure porro humano, civili, & in *foro fori* quid de metu, vi, intentione ſeu animo ſtatuatur, ex legibus diſcimus: quæ interdum poſſunt à lege æterna in applicatione aberrare, ſed inculpabiliter propterea; quia hominis vis ad interna non valet; ſed per exteriora, conjecturas & præſumptiones venatur internum ſtatum. De Præſumptionibus adeo latiſſimus eſt in omni jure civili ſeu humano campus.

1. Actus imperati ſunt actus aliarum facultatum, aliàs ab imperio rationalis voluntatis dependentium, extra caſum violentiæ, ut extenſio manus. Sed cum ſatellites manu hominis arrepta impoſitoque carbone ardente, ac thure vim intulerunt: hæc incenſi ſeu thuris apud idolum oblatio non eſt voluntaria; quia nec imperata actu à voluntate. V. S. Thom. I. 2. Qu. VI. art. IV. &c.

2. Elicito autem actui nulla vis inſerri poteſt; cum ne ſit quidem actus voluntatis, niſi ex libertate procedens.

3. DEUS equidem movet voluntatem ad actum elicitum, ſed tanquam cauſa prima ipſius libertatis participatæ: unde voluntas ſic à DEO mota per hanc DEI motionem libertatem potius accipit quam amittit. Vid de his S. Thom. loc. cit. art. IV. ad 1mum & maxime Qu. IX. Art. III. & IV. &c. ubi rem ſicut convenit tanto Doctori exſequitur.

V. *Suarez* in 1. II. Tract. II. Diſp. II. Sect. II. &c.

III. DE OBJECTO.

Objectum materiale

Them. XXI. Objectum *materiale* in genere eſt id, circa quod facultas aliqua verſatur, ut intellectus verſatur circa intelligibilia. Objectum autem *formale*, eſt aliqua peculiaris ratio, ſub qua & non alia, facultas quædam in illud objectum fertur.

Formale

Sic circa eandem paginam impreſſam verſantur tres viri, Typographus eam verſat ſub hac ratione, quod aptas literas & nitidas exprimit: Bibliopola vel emptor, quod pretio parvo vel magno conſtat: Poëta, quod elegantem odam continet.

Actionis humanæ.

Them. XXII. Objectum materiale actionis *humanæ* ſunt omnia ab homine humano modo agibilia. *Formale* autem eſt aptitudo agibilium, qua poſſunt legi naturali ſubjici, & ſecundum eam regulari.

Ita e. g. coquus cogitat, deliberat, vult carnem aſſare & hoc eſt materiale: vult autem non præciſe aſſare, ſed ſic & tali ratione, ut comeſtibilis fieri debeat: & hoc jam eſt formale, ſed nondum moraliter. Moraliter autem formale eſſet objectum, ſi comeſtibilem ſub hac ratione præpararet, quatenus ſpectat ad obſequium & obligationem hero præſtandam, ad quam lege naturali tenetur, aut pacto. Ampliſſime de objecto ejusque poteſtate diſputat *Suarez* in 1. II. Tract. III. Diſp. II. & IV.

Ex genere malum vel bonum quid? — **Indifferens**

Thema XXIII. Objectum ex *genere ſuo malum* dicitur, quod ordinaria via ac poteſtate humana non eſt dirigibile ad conformitatem cum lege naturali. Ex *genere bonum*, quod per ſe ordinarie ita eſt dirigibile. *Objectum ex genere Indifferens* eſt, quod nihil includit de ſe ad legem pertinens.

Exemplum *primi*, crapula ſeu oneratio ventriculi nimia, id eſt deſtructiva vitæ, rationis aut valetudinis. *Secundi* impletio ventris ad ſatietatem naturæ. Tertii exemplum poteſt eſſe apprehenſio cultri ad menſam: levare feſtucàm de terra &c.

Actus bonus aut malus fit ex objecto.

Them. XXIV. Actus ex genere bonus dicitur per Objectum formale primi generis: ex genere malus per ſecundi generis: ex genere indifferens per tertii generis.

Actio eſt motio, cujus terminus proximus eſt objectum; motio autem ſpeciem accipit à termino. Vid. S. Thom. I. 2. Qu. XVIII. Art. II. & Art. VIII.

Ex genere bonum poteſt fieri in individuo malum:

Thema XXV. Actus ex genere objecti bonus poteſt in *individuo* ſive hic & nunc poſitus fieri malus ex circumſtantiis, aut fine, aut errore.

Ut ſi eleemoſyna detur propter vanam gloriam: vel ab eo qui prolis ſuæ ſuſtentationi per hanc detrahit: vel ab eo, qui per errorem judicaret ſibi non licere dare eleemoſynam.

Them.

Non autem ex malo bonum.

Them. XXVI. Actus ex genere objecti malus non poteſt ex intentione fieri bonus in individuo, niſi ſuperior poteſtas vel lex accedat.

E. g. Occiſio filii eſt ex genere ſuo mala. Sed hæc particularis occiſio Abrahami potuit in individuo fieri bona, ſi conſtabat de revelatione DEI. Sic cum aliquis pater eſt judex, cujus filius mortem meruit ex transgreſſione legis juſtæ, poteſt conſentire in pœnam necis à filio luendam; quia ſicut filius ita Pater uterque ſubjectus eſt legi humanæ, quæ ex lege æterna poteſt vitam particularium hominum nocentium poſtponere vitæ communitatis innocentis. V. *S. Auguſt.* Lib. contra Mendacium cap. VII.

Indifferens fit bonus aut malus ex fine &c.

Them. XXVII. Actus ex objecto indifferens poteſt fieri bonus vel malus ex circumſtantiis & intentione finis.

1. Sic tollere feſtucas, & quosvis minimos motus de ſe indifferentes edere, poteſt fieri moraliter bonum, ſi fiat ex motivo parendi legi naturæ naturaliter cognitæ, v. g. obediendi Domino, item poteſt fieri ſupernaturaliter bonum, & meritorium æternæ gloriæ, ſi fiat ex motivo ſupernaturali revelato, accedente gratia gratum faciente.

2. Ratio primi eſt; quia alias data eſſet homini à natura aliqua facultas proprie humana & tamen ad finem proprie humanum, ſeu ſervitutem legis æternæ non applicabilis.

3. Ratio ſecundi eſt abundantia gratiæ divinæ, quæ plus etiam prodeſſe debet homini, quam deſtinatio naturæ: ſed iſta non huc ſpectant.

Nullus actus humanus in individuo indifferens eſt.

Them. XXVIII. Actus etiam circa objectum generice indifferens, in individuo tamen ſeu hic & nunc poſitus, & proprie *humanus* (Them XXIII) non poteſt eſſe indifferens, ſed vel bonus eſt determinate, vel malus determinate.

1. Prob. Actus *humanus* eſt ex agnitione, voluntate, objecto, circumſtantiis & fine; & ſine his nullus actus eſt humanus. *Bonitas* autem ejus non ex ſolo objecto pendet, ſed ex ceteris etiam: Ergo etſi objectum ſolum eſſet indifferens, modo cetera non omnia ſint indifferentia, jam erit bonus aut malus. Sed cetera nunquam poſſunt omnia eſſe indifferentia. Nam ſi actus procedit ex ratione ſuperiore, hoc ipſo commenſuratur legi æternæ (Them. XVII.) Aut bonitatem malitiamve debet accipere à fine: ad quem niſi ordinetur hoc ipſo non eſt bonus. Vid. *S. Thomas* I. 2. Qu. XVIII. Art. IX. Alexand. *Natalis* Lib. III. cap. IV. Reg. I. VIII. Vid. late *Suarez* in 1. II. D. Thomæ Tract. III. Diſpu. IX. Sect. III. Contrarius eſt *Scotus* in Reportatis Lib. II Diſt. XLI. cujus argumenta aliis examinanda relinquo, videtur tamen facile conciliari poſſe.

2. Poſſunt tamen actus dari moraliter boni in ordine tantum naturali, qui ſint indifferentes ad ſalutem æternam, ſive non profecti ex gratia. Id quod ampliſſima diſputatione accurate docet Card. *Aguirre* Theologiæ Anſelmianæ Tom. III. Diſput. CXVII. & ſequentibus.

IV. DE CIRCUMSTANTIIS.

Circumſtantia ſpecialem ordinem ad finem inducens dat actui ſpeciem moralem.

Thema. XXIX. Quandocunque aliqua circumſtantia reſpicit ſpecialem ordinem rationis (id eſt ſubjectionem ad legem aut tendentiam ad finem) *pro vel contra; ex tali circumſtantia conſtituitur aliqua ſpecies moralis in bonitate & malitia.*

Eſt Concluſio S. Thomæ I. 2. Qu. XVIII. Art. X. quam ille ſubtilius probat: ſed manifeſtius & moraliter probatur ex ſenſu communi, qui Cynicos damnavit, quod contenderent, omnibus locis, temporibus, modis idem facere licere. De Circumſtantiarum natura Vid. S. Thomas I. 2. Qu. VII. art. II. & III. *Suarez* in 1. II. Tract. II. Diſp. V. & Tract. III. Diſp. V.

V. DE FINE.

Actio ſine fine non eſt humana:

Them. XXX. Actio nullo fine propoſito facta non eſt humana. Them. II. &c.

Fit mala ex fine malo.

Them. XXXI. Actio ex ceteris omnibus bona, ut objecto &c. fit mala ex fine malo, qui malus eſt, ſi ad ultimum non ſit aptus referri.

e. g. Si eleemoſynam des pauperi, ut eum ad hæreſin vel aliud peccatum pellicias. Quia bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu. Vid. Them. IV. S. Thom. I. 2. Qu. XVIII. art. IV.

Finis bonus non ſolus facit actionem bonam.

Them. XXXII. Finis bonus, ſi cetera inordinata, non ſufficit ad actionem bonam reddendam.

Ut ſi fureris, quo poſſis eleemoſynam dare. Quod enim deordinatum eſt, erit deordinatum ſi unicum deſit requiſitum; ut viſio male ſit ſi vel una lux deſit, vel unus humor cryſtallinus, vel retina ſola, vel nervus opticus ſolus, etſi cetera adeſſent. Vid. S. Thom. I. 2. Qu. XVIII. art. VI. & Qu. XIX. art. VII. *S. Auguſt.* libro contra Mendacium Cap. VII. Vid. *Suarez* in 1. II. Tract. III. Diſp. VI.

* Hæc pauca ſufficere aliquo modo, ad obſequium non ad magiſtralem dictaturam, poſſunt ſeu Juvenibus, ſeu impedi-

peditis, ſeu Politicis viris. Nam longe & multo plura ſupereſſent dicenda ad obſervantiam aut transgreſſionem legis æternæ, & ad *omnia de illa dubia ſolide expendenda* aut diſſolvenda: resque indiget homine toto. De quibus omnibus ne ſomniârunt quidem hactenus illi heſterni Juris naturæ ſcriptores heterodoxi, nec tamen dubitarunt ſeſe profiteri integri Juris naturæ Doctores & quaſi Dictatores, ſed falſo.

Plura diſcenda in Catholicis Theologis:

de quibus heterodoxi nec cogitarunt.

CAPUT VII.

Alia quædam Prolegomena.

De Lege Naturali, Deque Honeſto, utili, Decoro.

Lex æterna eſt juſſus DEI:

Participata eſt ratio humana illi reſpondens.

Them. I. LEx Naturæ *Originaria æterna*, *increata* eſt DEI juſſus. Lex *participata creata* ac derivata eſt Ratio humana ex juſſu DEI ut cognito dirigens actiones humanas.

1. Vid. Cap. II. & probat S. *Thomas*. 1. II. Qu. XCIII. art. I. *Suarez* in 1. II. Tract. III. Diſp. XI. & XII. Addatur bene *Maſtrius* Theol. Mor. Diſp. II. Qu. II. art. I.

2. Et hic notare oportunum, Legem divinam dupliciter dici 1mo ut exiſtit in DEI intellectu & voluntate. 2do ut locutione externa prodita eſt v. g. Moiſi. Prima dicitur æterna & *Naturalis*. Altera *Poſitiva*, utraque Divina. V. *Suarez* de Legibus Lib. I. cap. III. n. 6. & Lib. II. cap. VI.

3. Cum Theologi diſputant, an Lex iſthæc divina conſiſtat in actu intellectus divini, an in voluntate? loquuntur de modo noſtro concipiendi. Nam *quoad rem* nulla eſt differentia. Vid. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. II. Qu. II. art. I.

Lex æterna omnibus ratione utentibus nota.

Them. II. Lex æterna omnibus ratione utentibus eſt aliquo modo nota; nec datur ejus invincibilis ignoratio.

Id probavimus cap. II. & III. Et S. Thomas loc. cit. art. II. oſtendit. Ratio enim humana eſt participatio divinæ (Cap. II.) Ergo eo ipſo quod quis habet uſum rationis, habet rationis divinæ aliquam notitiam ſeu participationem Legatur S. *Auguſtin*. Lib. XIV. de Trinit. Cap. XV.

Ei omnia creata ſubjiciuntur,

Them. III. Legi æternæ omnia creata ſive neceſſaria ſive contingentia ſubſunt.

1. S. Thom. loc. cit. art. IV. & V. Quia etiam ea, quæ impoſſibile eſt aliter ſe habere, id habent non à ſe ſed ab alio, ente primo. Vid. Cap. II.

2. Ex quo ſequitur *eſſentiam humanam* non eſſe ipſum principium juris nanaturalis, ut Wolfius exiſtimat, qui illud forte didicit à Vaſqueſio, ſed longe deteriore ſenſu applicavit. Eſſentia enim humana nihil ordinat, nec per ſe honeſtat &c. Vid. *Suarez* Lib. II. de Legib. cap. V. qui præclare confutat Wolfium anticipatò, adde ibidem cap. VI. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. II. Qu. II. art. I.

Et omnes;

Them. IV. Omnes tam boni quam mali, tam beati quam damnati, tam in hac vita quam poſt illam ſubſunt legi æternæ.

idque dupliciter naturaliter & moraliter

1. S. Thom. I. 2. Qu. XCIII. art. VI. ubi ſic diſcurrit. Homo ſubditur imperio ſeu legi DEI duobus modis, quorum alter rebus etiam non rationalibus convenit, alter proprius eſt rationali. Nam 1. ſubjicitur tanquam creatura patiens & agens naturaliter, quemadmodum lapis cadit. 2. ſubjicitur per reflexionem ſeu dationem imperii, id eſt moraliter.

2. In malis uterque modus eſt imperfectus; quia naturalis facultas exercendi actiones virtuoſas depravatur per habitum vitioſum. Et notio veri boni, ultimi finis &c. obtunditur per peccata. Sed quantum ſubjectio pravorum minor eſt in agendo, tanto major eſt in patiendo; cum hic multo crudior ſit pugna peccatoris ſecum ipſo, & ibi pœna etiam accedet; ſicut & gentiles agnoſcunt.

3. In bonis vero utraque ſubjectio eſt perfecta, quia & ratione naturali boni ſemper tuntur. & inſuper eis additur motivum gratiæ ſupra naturalem inclinationem ad actiones virtuoſas.

Them. V. Omnes actus virtutum ſunt de Lege naturæ derivata, quantum ad genericam rationem boni, quia

ratio

ratio univerſaliter imperat bonum: non autem quantum ad ſpecificas rationes virtutum omnium. Adeoque omne vitium & peccatum eſt generice contra naturam, ſed non in ſpecie. Et *juſtitia naturalis* ſeu legalis eſt *univerſalis*, non particularis. Vid. *Larva detracta Cap. II. Them. XXXIII.*

1. Proprie enim contra naturam peccata dicuntur, quæ repugnant naturæ hominis, quatenus eam cum aliis animalibus communem habet: ut ſi mater deſtituat prolem. S. Thomas I. 2. Qu. XCIV. art. III. & Qu. C. art. II. Quamquam de poſteriori poſſit diſputari V. *Suarez* de Legib. Lib. II. cap. II. n. 15. & cap. VIII. fuſe.

2. S. Thomas I. 2. Qu. C. art. I. ſic iſtud thema exponit: *Neceſſe eſt, quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, ſed diverſimode. Quædam enim ſunt, quæ ſtatim per ſe ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat eſſe facienda vel non facienda, ſicut HONORA PATREM, NON OCCIDES: & hujusmodi ſunt abſolute de lege naturæ. Quædam vero ſunt, quæ ſubtiliori conſideratione rationis à ſapientibus judicantur eſt obſervanda, & iſta ſic ſunt de lege naturæ, ut tamen indigeant diſciplina, qua minores à ſapientibus inſtruantur; ſicut illud, CORAM CANO CAPITE SURGE. Quædam vero ſunt, ad quæ judicanda ratio humana indiget, inſtructione divina, per quam erudimur de divinis; ſicut eſt illud: NON FACIES TIBI SCULPTILE, NEQUE OMNEM SIMILITUDINEM. NON ASSUMES NOMEN DOMINI DEI TUI IN VANUM.* Add. *Scotus* in III. Sent. Diſp. XXXVII. n. 4. adde Commentarium Licheti ibi. num. 58. &c. *Maſtrium* Theol. Moral. Diſp. II. Quæ. II. artic. II. n. 35. &c. & n. 41. Qui bene & realiter intellectus, noſtræ doctrinæ non adverſatur: nam abſtractio metaphyſica non enervat vim juris realem.

Lex naturæ derivata eſt eadem quoad communia:

Them. VI. Lex naturæ derivata quantum ad prima principia communia eſt eadem apud omnes. v. g. Bonum eſt faciendum, nemini injutia facienda &c.

Et hinc datur *ſenſus communis* quem defendimus contra Bælium alibi, in *Larva Detracta* Cap. VIII. V. Alex. Natal. Theol. Dogm. Lib. III. cap. IV. reg. LXVI. *Suarez* Lib. II. de Legib. cap. VIII.

Non quoad concluſiones ulteriores, in quibus poteſt deficere.

Them. VII. Quantum autem ad concluſiones ex primis notionibus deducendas, lex naturæ poteſt in aliquibus deficere tam quoad *notionem* ejus, quam quoad *rectitudinem* ſeu conformitatem cum lege imparticipata. Et quo magis ad particularia deſcenditur, eo magis obnoxia eſt defectui quoad utrumque. S. Thom. I. 2. Qu. XCIV. art. IV.

1. Liquet experientia. Ex prima propoſitione *DEI ſervus ſum*, omnibus notâ, prone ſequitur hæc altera: Alterius ſervi non ſum naturâ dominus; & rurſus hæc: Ergo alteri reddendum eſt depoſitum ſuum. Sed cum venitur ad caſum particularem, hic & nunc ponendum, ſtatim ambiguitates naſci poſſunt, & de ambiguis poteſt contingenter eligi id, quod minus rectum eſt, ut ſi quæratur, num ſit reddenda pecunia ei, qui nocere poteſt patriæ, mihi, ſibi?

2. Ratio autem hujus defectibilitatis eſt corruptio humanæ naturæ per prava exercitia, paſſiones, habitus &c. Sic apud Veteres Germanos pulcrum fuit latrociniis inclareſcere.

3. Quo autem corruptior eſt aliquis homo vel aliqua natio, eo magis deficit à notitia & à ſubjectione legis, & in concluſionibus etiam principio propioribus aberrat. V. Cap. XIX. Them. XIV. & Cap. III. Them. XXVI. Natalis Th. Dog. L. III. c. IV. reg. 67. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. II. art. II.

Lex æterna immutabilis in ſe: objecta mutabilia.

Them. VIII. Lex naturæ æterna ſeu imparticipata, quæ eſt ipſe juſſus DEI, *in ſe* eſt immutabilis: Objecta autem ſunt mutabilia: Et ſi quod objectum creatum neceſſarium ſeu immutabile eſt, ex ſuppoſitione eſt neceſſarium, ſuppoſito nempe quod DEUS conſtituerit ſic.

1mum patet; quia imperium DEI ac dominium eſſentiale non diſtinguitur à voluntate, & hæc non ab eſſentia Divina. Eſſentia autem divina primi ac ſummi entis mutari in ſe nequit.

2dum. *Aliud enim eſt mutare voluntatem, & Aliud eſt velle aliquarum rerum mutationem. Poteſt enim aliquis eadem voluntate, immobiliter permanente velle, quod nunc fiat hoc, & poſtea fiat contrarium. Sed tunc voluntas mutaretur, ſi aliquis inciperet velle, quod prius non voluit; vel deſineret velle, quod voluit.* V. S. Thomas I. parte Qu. XIX. art. VII. DEUS enim quod vult, æternum vult, exſecutio autem multorum fit in tempore. Itaque & quamlibet objecti mutationem æternum vult. E. g. Iſraëlitis præcipit vaſa argentea auferre Ægyptiis; Abrahæ præcepit filium mactare. Quamvis in his & ſimilibus exemplis dici poſſit, furtum, aut cædem innocentis non fuiſſe præceptam, adeoque nec objectum juſſûs divini formaliter mutatum; cum vaſa ægyptiorum poſſint haberi pro mercede ingentium laborum, quam Iſraë-

Iſraëlitæ meruerant, nec acceperant: item præceptum ſacrificii Iſaaci non habebat pro objecto *cædem* innocentis, quam DEUS *fieri* noluit; ſed fidem & tentationem Abrahæ. V. S. *Thomas* I. 2. Qu. XCIV. art. V. ad 2. *Suarez*, Lib. II. de Legib. Cap. XIII. &c. n. 8. videantur etiam ſubtiles de his diſputationes Scotiſtarum, qui quoad modum, non quoad rem, contrarii ſunt Thomiſtis: apud Scotum in III. Sent Diſt. XXXVII. n. 2. &c. Tomo VII. operum part. II. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. II. Qu. II. art. II.

3tium ſic oſtenditur. Voluntas DEI omnium rerum creatarum eſt cauſa, S. Thom. I. part. Qu. XIX. art. IV. Igitur etiam neceſſitatis & contingentiæ. Si iſta ſumantur ita, ut ſe habeant ex parte Creaturæ. Nam ſi ſumantur pro ipſa divina ratione, ceſſat quæſtio hæc. Cum enim voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea, quæ DEUS vult fieri, ſed & quod eo modo fiant, quo DEUS ea fieri vult. Vult autem quædam fieri DEUS neceſſario, quædam contingenter; ut ſit ordo in rebus ad complementum univerſi. S. Thom. I. part. Qu. XIX. art. VIII. Suppoſito igitur quod DEUS velit aliquid neceſſario ſic ſe habere, illud erit immutabile.

Lex participata eſt immutabilis quoad prima:

Them. IX. Lex naturæ participata, ſeu impreſſum humanæ rationi divinum imperium, eſt immutabilis, ſic ut ei nihil ſubtrahi poſſit quoad prima ac generalia præcepta.

Lex naturæ ſic ſumpta, eſt juſſus rationis ex noto imperio DEI. At ratio, utpote ſerva, in poteſtate non habet mutare juſſa domini in quantum ſibi nota. Generalia autem & prima præcepta ſunt omnibus nota. Vid. Them. II. *Suarez* Lib. II. de Legibus cap. XIV. *Maſtrius* Th. Mor. Diſp. II. Q. II. art. II.

mutabilis quoad ſecunda ex primis deducta.

Them. X. Lex naturæ *participata* mutabilis eſt quoad præcepta ſecunda ex primis deducta.

Quia Ratio obligat quantum notus eſt juſſus DEI, qui juſſus eſt prima regula originaria. At juſſus DEI circa particularia aliquando notus eſt rationi, aliquando non: aliquando notus ſic, aliquando aliter. Itaque in particularibus poſſunt contingere mutationes. Vid. S. Thom. I. 2. Qu. XCIV. art. IV. & V. & ſupra Thema VII. Et Cap. XIX. Them. XIV. ℞. i.

Plurima alia ad abſolutam hujus pertractationem videre eſt in ſummis Theologis noſtris. Vid. *Suarez* Lib. II. de Legibus cap XIV.

Lex poſitiva differt à naturali ut Status adventitius à naturali.

Them. XI. Lex *Poſitiva* ita differt à naturali, ut Status adventitius à ſtatu naturali.

1. Eſt autem Status *naturalis* conditio vivendi, quam homo ſortitur cum ipſa natura, ſine facto aut mutatione ſuperveniente. *Adventitius* porro ſtatus oritur ex facto ſuo vel alieno ſuperveniente. Quæ amplius excuſſimus in *Larva detracta*.

2. Ita *Lex poſitiva* eſt regulatio vitæ ex facto proprio & alieno ſuperveniens regulæ rationis naturalis: ut cum homines ineunt hanc vel illam ſocietatem, modumque in ea vivendi determinant. Vel cum DEUS revelatione extra ordinem quid imperat.

3. Poteſt id fieri *ſcripto*, aut *conventione* ſeu conſenſu mutuo; aut *traditione, conſuetudine* ac *obſervantia*.

Jus gentium eſt lex humana.

Them. XII. Lex ſeu *JUS GENTIUM* qua tale eſt lex humana.

1. *Nam ad jus gentium pertinent ea, quæ derivantur ex lege naturæ ſicut concluſiones ex principiis, ut juſtæ emptiones, venditiones & alia hujuſmodi, ſine quibus homines ad invicem convivere non poſſunt; quod eſt de lege naturæ, quia homo naturaliter eſt animal ſociabile ut probatur in I. Politic.* cap. 2. Ita S. Thom. I. 2. Qu. XCV. art. IV. corp.

In quantum facto hominum conſtituitur:

2. Quantenus ergo emptiones, mercatus, itinera, legationes, belli negotia &c.: Admittuntur, non admittuntur, modificantur, variantur, de novo ſtabiliuntur inter gentes, eatenus *Jus gentium eſt jus humanum*, quia ex facto & arbitrio hominum pendet & oritur; conſtituiturque plerumque ſolo conſenſu, traditione, obſervantia; interdum etiam tabulis ſcriptis aliiſque ſignis, ut lapidibus terminalibus.

Divina vero naturalis quantum ex primis principiis pendet.

3. Quatenus autem in iſtis conventionibus decernitur juſtitia juxta communia ac generalia præcepta, *neminem lædere &c.*: eatenus Jus Gentium eſt jus naturale ſeu divinum.

Seu verius dicendum. *Jus Gentium eſt Jus humanum commune ſocietatum, derivatum à lege naturali.* Vid. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. II. Qu. II. art. II. n. 43. Sed de Jure Gentium proprius erit agendi locus tertiam lucubrationis noſtræ partem occupans.

Lex humana juſta ſit per tria.

Them. XIII. Lex humana ut juſta ſit, debet eſſe. 1. Conformis legi naturæ. 2. Ordinari ad bonum commune civitatis. 3. Lata à ſuperiore.

Aliæ conditiones ejus ſunt promulgatio, claritas, generalitas &c. Sed hæc omnia non ſunt hic excutienda, cum

tam in Jure quam Theologia accurate tradantur, V. Cap. XXIII. Th. V.

Lex humana juſta obligat in foro poli.

Them. XIV. Leges humanæ juſtæ obligant non tantum in foro fori ſed etiam in conſcientia & foro poli.

1. Hoc ipſo enim quod ſint juſtæ & conformes legi naturali vim jubendi participant à lege æterna, quæ obligat conſcientiam. V. *S. Thomas* I. 2. Q. XCVI. Art. IV. & Theologi. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. II. Qu. V. Art. I.

2. Hinc homo agnoſcens legem poſitivam DEI, aut naturalem & tamen ferens legem humanam ab Divina diſſonantem, neminem poteſt obligare in conſcientia. Et hic locum habet. oportet *Obedire DEO magis quam hominibus.* Quod & Socrates profeſſus eſt.

Lex mere pœnalis.

Them. XV. Lex *mere pœnalis* eſt, quæ vel non intendit obligare conſcientiam, vel non poteſt eam obligare, ſed pœnâ & exteriori ſolo actu contenta eſt.

1. Exemplum primæ, cum magiſter præcipit diſcipulis compoſitionem alicujus thematis.

2. Exemplum ſecundæ, cum ſuperior ſub gravi peccato obligaret ad tollendam de terra feſtucam, vel aliam rem ad bonum commune non ſpectantem &c. Vid. Alexander *Natalis* Theol. Dogm. Lib. IV. Cap. I. art. III. *Suarez* Lib. V. de Leg. Cap. III. &c. uſque ad Cap. XII. *Maſtrius.* Theol. Mor. Diſp. II. Qu. V. Art. III.

Præceptum.

Them. XVI. Præceptum aliàs ſolet ſummi pro mandato in particularem lato; ſumptum etiam pro lege aliud eſt *Affirmativum*, quod obligat, ſed non non omni tempore executionem habet: ut Honora patrem. Aliud eſt *Negativum*, quod obligat ſemper & pro ſemper: ut non occides, non furtum facies.

Affirmativum. *Negativum.*

Natura corrupta indiget remedio ad obſervandum omnia præcepta ſervanda.

Them. XVII. Homo in ſtatu moderno naturæ corruptæ non poteſt *conſtanter* obſervare *omnia* præcepta moralia ſeu Juris naturæ ordinariis mediis ſeu Auxiliis pure naturalibus; ſed indiget ad hoc duobus, nempe *primo* aliquo *remedio* ſanante corruptionem, quod ipſi tantum gratuito datur per *Redemptorem* ſeu ſanatorem ac Reſtitutorem. *Secundo* indiget gratia movente.

Sicut homo infirmus poteſt per ſe ipſum aliquem motum habere, non tamen perfecte poteſt moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ. Sic Igitur virtute ſuperaddita virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantum AD UNUM, ſcilicet ad operandum vel volendum bonum ſupernaturale. Sed in ſtatu naturæ corruptæ quantum AD DUO, ſcilicet ut ſanetur, & ulterius ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur. Ita S. Thomas, I. 2. Qu. CIX. Art. II. Corp. addatur Artic. III. & IV. Et vid. ſupra Cap. IV. Them. VII. num. 6. Legatur etiam *S. Auguſtinus* in Enchiridio Cap. CV. & ſeqq.

Gratia ut ab Auxilio differat?

Them. XVIII. Gratia bene debet diſtingui ab *Auxilio* divino.

1. *AUXILIUM* ſimpliciter dicitur motio illa, qua Deus tanquam cauſa prima movet omnem actum cauſæ ſecundæ. Hoc auxilium eſt debitum ex providentia generali: & dicitur concurſus Phyſicus, ſeu *Præmotio Phyſica.*

2. Sine hoc nulla cauſa ſecunda ageret quidquam omnino. v. g. Intellectus eſt facultas apprehendendi veri. Hæc non eſt ex ſua natura *Actus*, ſed ante actum ſuum eſt in potentia ad actum; ergo debet ex non agente fieri de novo agens, ſive, ut loquuntur ſcholæ, debet reduci in actum. Non autem in actum deducitur à *potentia* ulla, quia unumquodque manens tale ſemper eſt tale. Ergo in actum reducitur potentia per actum aliquem: Non autem per actum ſuum; cum ſic daretur proceſſus in infinitum: Igitur reducitur per actum extra ſe.

3. Quicunque actus præmoventes ſtatuantur extra potentiam humanam, non poſſunt movere eam, niſi ut motæ à cauſa movente prima. Vid. S. Thomas. I. 2. Q. CIX. Art. I. Corp. Idem plane dicendum de Voluntate.

4. Nec obſtat, quod homo dicatur Dominus ſuorum actuum volendi & non volendi. Nam *Dominus dicitur propter deliberationem rationis, quæ poteſt flecti ad unam partem vel ad aliam: ſed quod* (actu) *deliberet, vel non deliberet, ſi hujus etiam ſit Dominus, oportet quod hoc ſit per deliberationem præcedentem: & cum hoc non procedat in infinitum, oportet, quod finaliter deveniatur ad hoc, quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod eſt ſupra mentem humanam, ſcilicet à DEO, ut etiam Philoſophus probat in Cap. de bona Fortuna* Lib. VII. Moral. Cap. 14. vel 18. Ita S. Thomas loc. cit. Art. II. ad Primum.

Gratia eſt indebitum auxilium

5. *GRATIA* autem eſt indebitum, & mere gratuitum donum DEI, ex providentia ſpeciali non communi indultum. Eaque duplici indiget homo ad bonum, ut oportet, volendum ſeu

agendum: *primo* gratia ſanativa, quæ ignorantiæ, infirmitati, ac malitiæ per peccatum inductæ tanquam vulneribus naturæ medeatur & in ſingulis actionibus vincere nos iſta faciat. *Secundo* gratia quæ peccatum ab anima tollat, eamque DEO gratam faciat. Prior dicitur *gratia actualis*, item auxilium gratiæ, & conſiſtit in inſpiratione divina animam afficiente, movente, delectante, ut ſuperet difficultates tentationes, & inclinationes ad malum. Secunda dicitur *gratia habitualis* & ſanctificans.

Eaque eſt duplex *actualis* & *habitualis*.

6. Quamvis autem utriusque neceſſitas poſſit lumine naturæ agnoſci, & Gentiles etiam non latuerit; tamen viribus naturæ acquiri ea nequit.

Monitum de negotio Gratiæ ad Studioſos.

7. Ceterum hæc amplius excutere ad Theologiam ſupernaturalem ſpectat. Neque hoc loco fuiſſent dicta, niſi primò conduceret, Juris naturæ ſtudioſo ſcire tam imbecillitatem naturæ noſtræ, quam unde ei fortitudo ſperanda quærendaque ſit. Deinde niſi heterodoxi Juris naturæ ſcriptores paſſim ea de viribus naturæ, de præceptis, de gratia, de Imputatione &c. interſererent, quæ à ſano ſenſu, & maxime à Chriſti vera doctrina abhorrent. Videat, qui opus habebit majore inſtructione S. Thomam I. 2dæ. Quæ. CIX. & ſeqq. Qui vero nullam neceſſitatem talem habet, omittet plura *intelligere*, ſed ſtudeat potius omnia *ſervare*. Scopulus enim hic eſſe poteſt navi incautæ, nec omnes nautæ ſatis ſunt ad mediam viam tenendam idonei. *Intelligere facit quidem DOCTUM, ſed FACERE reddit BONUM.*

Honeſtum Philoſophis ultimo fini idoneum.

Them. XIX. Quid ſit *HONESTUM*, inter infinitas diſputationes tamen Philoſophi veteres in hoc conſenſerunt: *HONESTUM ESSE ID, QUOD ULTIMO FINI SEU SUMMO BONO OBTINENDO IDONEUM EST.*

1. Longiſſimum eſſet, catalogum Philoſophorum texere Totum opus Ciceronis *de Finibus* hac una de cauſa ſcriptum eſt, ut oſtenderet Tullius, Philoſophos quamvis verbis diſſentirent, re tamen convenire in hoc.

Laus debetur bono, quod *ad aliud* ordinatur.

2. Ariſtoteles I. Ethicor. Cap. XII. id ipſum ſentit. Nam primo recte diſtinguit inter *laudem* & *honorem*. *LAUS* enim eſt exiſtimationis ſignificatio de aliquo bono, quod *ad aliud* ordinatur. Sic laudatur bona voluntas ad laborandum in eo, qui ob infirmitatem laborare non poteſt. quia, ut Euſtrathius dicit, laudationes humanas ad hoc eſſe proprie inſtitutas, ut ii, qui laudantur, ſtimulentur ad aliud præſtantius. *HONOR* autem eſt exiſtimationis ſignificatio de tali bono, quod non ordinatur ad aliud, ſed eſt ipſum bonum præſtantiſſimum. Unde concludit Ariſtoteles: *Nobis autem perſpicuum ex his, quæ diximus, fuerit, Felicitatem (ſive ſummum bonum) ex his eſſe, quæ honorabilia ſunt & perfecta. Videtur autem & ex eo ſic ſe habere, quia PRINCIPIUM eſt. Cetera enim gratiâ ejus agimus omnes: principium vero cauſamque bonorum honorabile quiddam & divinum dicimus eſſe.* Vid. & commentarius Card. Aguirre in iſtud caput.

Honor bono per ſe tali.

3. Quod ſiquis igitur horum vocabulorum vim aliter definit, cum eo aliter etiam diſputabimus: quodſi vero *honor* ſignificat exiſtimationem de bono per ſe tali & non relato; *Laus* autem ſi ſignificat exiſtimationem de bono relato ad aliud majus: Conſequitur *HONESTUM* ſeu honorem dignum per ſe proprie non eſſe niſi ultimum finem, ſeu ſummum Bonum, ſeu Principium moralium: uno verbo DEUM. *LAUDABILE* autem proprie eſſe illud, quod ad hoc ultimum & præſtantiſſimum refertur. Hocque ſenſu Chriſtus dixit: *Nemo bonus niſi ſolus DEUS.* Lucæ XVIII. &c. 19. & à Paulo Apoſtolo aliiſque in ſacris ſcripturis toties repetitur: *Soli DEO honor & gloria.* Quæ adeo cum ratione & naturali philoſophia conſentiunt. Ubique enim conſentiunt DEUS & naturæ; cum vel ſint aliquo ſenſu idem &c. vel alia natura ſit conditor, alia condita.

4. Quocirca quidquid à creatura ad finem ultimum agitur & refertur, proprie tantum laudabile, non honeſtum eſt. Verum in hac tractatione de Juſto, honeſto, utili &c.: mos jam obtinuit, ut honeſtum ſumamus pro laudabili: non quidem *honeſtum* verum ſubſtantiale & *originarium*, nempe DEUM, ſed *honeſtum participatum*, nempe actiones humanas ad verum honeſtum tendentes.

Honeſtum originarium eſt divinum. Participatum eſt potius laudabile.

5. Philoſophi ergo, cumque illis nos, quando dicimus v. g. temperantiam honeſtam eſſe, non hoc volumus, temperantiam iſtam eſſe proprie ac per ſe honeſtam ſeu ſummum bonum: ſed eſſe honeſtam, per participationem, relationem, ac motionem ex ſummo Bono & ad ſummum bonum. Sicut dicimus interdum ſpeculum eſſe lucens; cum potius ſit illuſtratum.

Them.

Utile eſt quod poſſidemus ob aliud. *Fruibile* quod propter ſe.

Them. XX. U*TILE* ex communi loquendi ratione eſt id quod aptum eſt ad aliud. Et utilitatis principium eſt id, ad quod aliquid refertur.

1. *Utile* Latine dicitur ab utendo; Germanice Nützlich à fruendo, nüſſen, genieſſen. Eſt autem *Fruitio* proprie plena occupatio ac poſſeſſio boni, quæ ad aliud non refertur. *Uſus* autem latinis eſt tranſiens et temporanea poſſeſſio ad aliud relata. Vid. S. Thom. S. Auguſtinus Libro 83. Quæſtionum Quæſt. XXX. ait: *Ut inter honeſtum & utile intereſt, ita & inter fruendum & utendum. Quamquam enim omne honeſtum utile, & omne utile, honeſtum eſſe, ſubtiliter defendi queat, tamen quia magis proprie atque uſitatius honeſtum dicitur, quod propter ſe ipſum expetendum eſt; utile autem, quod ad aliud aliquid referendum eſt; ſecundum hanc differentiam nunc loquimur, illud ſane cuſtodientes, ut honeſtum & utile. Nullo modo ſibimet adverſentur. Adverſari enim hæc ſibi aliquando, imperite ac vulgariter exiſtimantur - - - Omnis itaque humana perverſio eſt, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui: Et rurſus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti. Fruendum eſt autem honeſtis, utendum vero utilibus &c.* Profunde cetera perſequitur oſtendens, vere honeſtum eſſe æternum, cetera tantum honeſtata &c.

2. Ex hoc rurſus conſequitur, Vere utile ſeu fruibile, nützlich, eſſe tantum bonum ſummum ad aliud non ordinabile, nempe DEUM. Alia autem eſſe utilia tantum, ſeu apta quæ referantur ad verum bonum fruibile.

3. Sicut ergo verum honeſtum eſt ſolus DEUS, ſolus per ſe bonus? ita verum fruibile ſeu utile eſt ſolus DEUS, ſolus per ſe beans. Et ſicut ea quæ ad DEUM referuntur ſunt honeſta per participationem & relationem, ſeu laudabilia; ſic etiam ea, quæ ad DEUM referuntur, ſunt fruibilia per participationem et relationem, ſive ſunt utilia.

4. Plato, etiam in inferioribus ſiſtendo agnovit aliquid ſimile, cum Polo demonſtrat, melius eſſe injuriam pati quam inferre: imo melius peccati pœnam luere quam impune habere. Soc. *Qui punitur, dum juſtitiæ dat pœnas, juſta patitur.* Polus: *Apparet.* Soc: *Juſta vero dictum eſt eſſe pulcra.* Pol: *Prorſus.* Soc. *Horum igitur alter quidam pulcra facit; alter vero, ſcilicet punitus, pulcra patitur.* Pol. *Sic eſt.* Socr: *Quod ſi pulcra, etiam bona. Nam vel jucunda illa ſunt vel utilia.* Pol: *Neceſſe eſt. Bona ergo patitur, quisquis juſte punitur.* Pol: *Videtur.* Soc. *Id ergo ipſi prodeſt.* Pol. *confert:* Quia meliorem animum reportat, & liberatur à pravitate animæ tanquam maximo malo. Talia ille in Gorgia.

Thema. XXI. DECORUM communi ſenſu eſt id, quod ordinem pulcrum habet. Principium decori eſt pulcritudo ſeu decor ipſe: cetera ſunt *decorata* potius ſeu decorem participantia ex ipſa ordinatione ad decus verum.

Decorum per ſe quod aliunde non accipit ordinem ſed dat. Decorum per participationem.

1. Germanice dicitur Zimend. Ziemen autem eſt ſcheinen fulgere, ſplendere, quod ipſum eſt pulcritudinis proprium: & convenit proprie his, quæ per ſe & propria luce fulgent.

2. Jam vero pulcritudo, decor, ordo, ſplendor non omnis eſt ejusdem poteſtatis. Aliud enim ab alio decorem ſeu ſplendorem & ordinem accipit: ut hæc terra à ſole.

3. Illud igitur vere ac per ſe decorem non aliunde accipit, ſed eſt ſuus decor, & præterea omnibus ceteris dat decorem & ordinem.

4. Itaque actiones noſtræ morales moralem decorem tantum participant à ſumma pulcritudine, ad quam referuntur, & cujus ordo nonnihil in illis elucet.

Juſtum eodem modo.

Them. XXII. Juſtum eſt juſſus active ſumptus: qui vere eſt juſtus. Paſſive autem tantum participativè.

Id quod jam Cap. I. & II. elucidavimus.

Juſtum, honeſtum decorum originarie unum eſt, DEUS. Participate plura: quorum una ratio eſt relatio ad ſummum bonum.

Them. XXIII. Juſtum, honeſtum, decorum, utile, originarie tantum eſt unum, DEUS. Participate autem horum quatuor una eſt *forma* & ratio, nempe relatio ſeu aptitudo ad ſummum bonum; quæ ſola relatio ſeu aptitudo ſi vere adſit, dabitur participatum juſtum, participatum honeſtum, participatum utile, participatum decorum: quæ autem ſola relatio ſeu aptitudo ſi deſit, non adeſt morale juſtum, honeſtum &c. Et recte Plato: *An potes negare, juſta omnia, quatenus juſta ſunt, eſſe pulcra?* In Gorgia. Et ibidem in diſputatione Calliclis: *TEMPERATUS autem agit DECENTIA erga DEOS atque homines. Non enim TEMPERATUS eſſet, niſi DECORUM ſervaret. Proinde qui DECENTIA inter homines agit, JUSTE agit; & agens ſimiliter erga Deos, agit PIE: eum vero qui juſta piaque agit, neceſſe eſt juſtum eſſe atque pium.*

In

Et S. Ambroſius II. Officior. Cap. VI. n. 25. *Liquet igitur, quod honeſtum eſt, utile eſſe, & quod utile, honeſtum: & quod utile, juſtum, & quod juſtum, utile - - - Quid autem tam honeſtum, quam integritas? Quid tam decorum, quam immaculatam ſervare corpus, & inviolatum atque intaminatum pudorem? - - Quid etiam hoc utilius, quo regnum cæleſte acquiritur? - - - Eſt igitur non ſolum familiare contubernium honeſtatis & utilitatis, ſed eadem quoque utilitas, quæ honeſtas.* Ib. Cap. VIII. & Lib. III. Cap. VII. fin.

Hinc reſcindi debent altercationes de juſti, honeſti, decori ſeparatione.

Them. XXIV. Hæc ſunt fundamenta, ex quibus componi aut reſcindi debent altercationes philoſophicæ de diſcrimine Juſti, honeſti, decori &c. De quo jam in *Larva detracta* Cap. VIII.

1. Reipſa omne quod eſt participative juſtum eſt etiam honeſtum, utile ac decorum. Quia juſtum eſt per relationem ad ultimum finem; ſed hæc eadem ratio eſt faciens honeſtum ac decorum: igitur quidquid habet rationem, juſti reipſa habet rationem honeſti &c.

Quibus concedi aliquid poteſt.

2. Aliquid tamen poteſt concedi philoſophis, & juris naturæ ſcriptoribus, ut iſtas rationes aliquo modo diſtinguant ſecundum majorem ac minorem ordinem, neceſſitatem, aut participationem. Sicut enim Intellectus pulcrior eſt, quam oculus propterea, quia ad agnitionem veri propius inſtrumentum eſt: Ita v.g. adoratio DEI poteſt dici juſta: Domus hoſpiti egenti præbita eſt honeſta: comitatus eidem in viam exhibitus eſt decorus: fores noctu occluſæ ſunt utiles. Singula quidem juſta ſunt reipſa, ſingula honeſta &c: at nos id quod magis neceſſarium vulgari noſtra æſtimatione habetur, dicimus juſtum? alterum honeſtum, quod minorem neceſſitatis gradum habere exiſtimamus.

Unde lites hæ exortæ?

3. Ex inde fit ut in multas diſceptationes hiſce de rebus incidamus, quia æſtimationes noſtræ tunc tantum rectæ ſunt, cum ſint conformes primo recto, DEO: hoc autem primum rectum non ſemper attingimus, quia ſumus creaturæ, neque ex nobis ipſis ſcimus aliquid, ſed tantum ex manifeſtatione illius primi principii DEI. Quæ manifeſtatio cum quoad nos nec ſit nec poſſit eſſe infallibilis, ideo ſæpe deficimus in particularibus. Vid. Cap. III. Them. II. & in *Larva detracta*.

Diſtinctiones Juſti,

4. Hoc quoque advertere licet, iſtas noſtras diſtinctiones locum aliquem habere, quamdiu verſamur in particularibus, id eſt in mediis? ceſſare autem cum ultimum reſpicitur. e. g. Saltare dicimus decorum juveni, indecorum ſeni; & ſic etiam de utilitate, honeſtate, quia hic reſpectus noſtri ad particularia ad perſonas ad creaturas feruntur. At cum ad finem ultimum proxima relatio fit, ex quo vera juſtitia, honeſtas, decor manat, tum vero ceſſant talia noſtra diſcrimina: nec enim indecorum Davidi fuit, coram arca Domini ſaltare, quamvis jam ſeneſcenti, & regi. Quia coram DEO ſervi omnes ſumus; cui omnia debemus. S. *Ambroſius* Epiſt. LVIII. ad Sabinum.

Decori &c. locum habent in particularibus & mediis, non in fine.

Exemplum ex Cicerone.

5. Breve exemplum ex Ciceronis officiis Lib. III. exſcribo. *Themiſtocles poſt victoriam ejus belli, quod cum Perſis fuit, dixit in concione, ſe habere conſilium Reipublicæ ſalutare, ſed id ſciri opus non eſſe. Poſtulavit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus eſt Ariſtides. Huic ille: claſſem Lacedæmoniorum (tum contra Perſas ſociorum: quæ ſubducta eſſet ad Gytheum, clam incendi poſſe, quo facto frangi Lacedæmoniorum opes neceſſe eſſet. Quod Ariſtides cum audiſſet, in concionem magna exſpectatione venit, dixitque, perutile eſſe conſilium, quod Themiſtocles afferret, ſed minime honeſtum. Itaque Athenienſes, quod honeſtum non eſſet, id ne utile quidem putaverunt, totamque eam rem, quam ne audierant quidem, autore Ariſtide repudiaverunt. Melius hi quam nos, qui piratas immunes, ſocios vectigales habemus. Maneat ergo, quod turpe ſit, id nunquam eſſe utile, ne tum quidem, cum id, quod utile eſſe putes, adipiſcare. Hoc enim ipſum, utile putare quod turpe ſit, calamitoſum eſt.* Videantur ibidem plura. Et apud S. Ambroſ. I. Offic. Cap. XLIII.

Doctrina Juſti Decori &c. male examinata incommoda fuit Juri naturæ.

Them. XXV. Doctrina de *Juſto*, *Honeſto*, *Decoro* non bene examinata, aut applicata magna incommoda peperit in juris naturæ diſciplina.

Primum incommodum: Juſtitia univerſalis non diſtincta à particulari unde ſophiſmata.

1. Primum incommodum hoc eſt, quod *Juſtum* ſemper *uno modo* ſoleant Doctores intelligere, cum tamen jus & *Juſtitiam duplicem* ipſi agnoſcant. Juſtitiam tam veteres quam novi agnoſcunt aliam eſſe Legalem ſeu *univerſalem*, quæ omnes virtutes dirigat: alteram eſſe *particularem* unam ex virtutibus ab illa juſtitia legali directis. Prioris finis directus eſt bonum totius: alterius finis directus eſt bonum partium. Sic Juſtitia legalis imperat continen-

rhentiam, imperat patientiam, imperat obſervationem contractuum, quia hæc pertinent ad bonum commune, & ſervitutem totius naturæ humanæ DEO præſtandam; ita ut Juſtitia legalis jubeat quandoque contractum non ſervari, ſi ad hoc bonum non facit. Ex quo patet, non tantum illa juſta eſſe, quæ per juſtitiam particularem reguntur & imperantur, ſed vere imo *excellentius juſta* eſſe etiam illa, quæ reguntur & imperantur per juſtitiam univerſalem, quæ eſt *ipſa juſtitia naturalis*.

adum incommodum quod honeſtum aut decorum negaretur ſimpliciter eſſe juſtum ſeu obligatorium.

2. Secundum adeo & capitale incommodum hoc provenit, quod Doctores, ubi non inveniunt finem & motivum juſtitiæ particularis, ibi negent ſimpliciter, eſſe *juſtum*. Et quia juſti rationem ibi non invenire ſibi videntur, negant eſſe ibi obligationem. Cum debuiſſent diſcernere ſic: in hac actione non invenitur motivum juſtitiæ particularis: igitur non eſt obligatio juſtitiæ particularis. Invenitur autem in ea actione motivum juſtitiæ univerſalis, nempe bonum ſummum ipſius naturæ; ergo invenitur obligatio non qualiſcumque juris ſed juris naturæ, ſeu juſtitiæ univerſalis.

3. Unde male dubitatum, an eſſent officia juſti erga DEUM & ſemet.

3. Ex hoc factum eſt, ut multi dubitarent, alii omnino negarent, an ſit aliquod officium erga ſe ipſum, an erga DEUM? quia inter DEUM & hominem non detur contractus, æqualitas &c: & quia juſtitia ſit virtus ad alium: ergo non ad ſe ipſum. Nam iſti ſemper ratiocinationem ſuam incipiunt à juſtitia particulari, & deſinunt in univerſali: Non inveniunt juſtum particulare, & concludunt, non exiſtere juſtum univerſale ſeu naturæ. Quod qui adverterit, multis perturbationibus poterit liberare doctrinam Juris naturæ, à larvatis peſſime fœdatam.

4. Negatum etiam, honeſtum eſſe juſtum.

4. Ad idem pertinet, quod multi doceant in ipſo jure naturæ: Hæc actio honeſta eſt: ergo non eſt juſtitiæ. Debent enim diſtinguere: ergo non eſt juſtitiæ particularis, bene autem univerſalis ſeu Juris naturæ.

5. Item male negatum, honeſta pertinere ad jus naturæ.

5. Sic multi docent omnia ea quæ immediate ad *ſummum bonum* ordinantur, *tantum honeſta* eſſe, & ad *Ethicam* pertinere, non eſſe *juſta* aut pertinentia ad *jus naturæ*. Cum tamen id quod ad bonum ſummum, quod vere commune eſt toti naturæ, refertur, hoc ipſo fiat ex ipſo formali motivo juſtitiæ univerſalis ſeu juris naturæ veri. Debebant autem illi, qui *jus Naturæ* ſcientifice deſcribendum ſumpſerunt, proprie hoc ſolum juſtum ſpectare, quod ad ſummum bonum refertur, non autem aliud juſtum quod ad bona particularia fertur; niſi forte per accidens, aut in tantum, in quantum Juſtitia univerſalis & naturalis tanquam regina etiam particularia juſta ordinat ad bonum ſummum.

Cum hæc ſola proprie ad J. Naturæ pertineant.

Omne inhoneſtum eſt contra J. Naturæ.

6. Qui autem putant *inhoneſtum* aliquid non eſſe contra jus naturæ, vel poſſe cum naturali obligatione bene conſiſtere, illi omnibus malis, omnibus peccatis *viam latam* (de qua Chriſtus in Evangelio) ſternunt. Fateri enim hi coguntur, quidquid non eſt contra obligationem naturalem, illud juſte agi: atqui omnia *inhoneſta* non ſunt ipſorum opinione contra obligationem naturalem: igitur ſequetur, omnia inhoneſta juſte agi poſſe. Quod erit pulcherrimum jus naturæ, ac pulcherrima regula: quæ ſi invaleſcat, paucis annis totum humanum genus in tantam morum fœditatem præcipitabit, quanta ab orbe condito nulla fuit. Quilibet enim ſecum reputabit: Prudentia, temperantia, fortitudo ſunt tantum *honeſta*, & à jure naturæ cjusque obligatione aliena: igitur non ſum obligatus ad temperantiam &c: ubi non eſt obligatio, ibi non eſt peccatum: igitur ſi ero guloſus, laſcivus, iracundus, impatiens, ſtultus &c: ero quidem inhoneſtus, & Ethicam non obſervabo; non tamen agam contra jus naturæ, neque contra juſtitiam particularem, itaque nihil agam injuſte, nec ero obnoxius pœnis &c.

Alias infandum erit jus naturæ.

Quale Liberis Muratoris ſic dictis adſcribitur, ex Hobbii ſchola pullulans.

En tibi veram originem illorum hominum, qui *Liberi Murarii* vulgo dicuntur, ſi vera ſunt, quæ de ipſorum dogmatibus audiuntur. Hos ex Hobbeſii Jure naturæ prodiiſſe conſtat, cui Puffendorffius viam in Germania ſtravat, Ethicam ſeu *honeſtatem* tam ſollicite à Jure naturæ ſejungens, & commoda hujus vitæ pro fine ſtatuens. Quamvis exiſtimem, Puffendorffio ipſi eventum tam neſandum non fuiſſe propoſitum, & contra ejus voluntatem eveniſſe: non tamen contra ejus doctrinam.

Incidi nuper in compendiolum ſeu Inſtitutiones Juris prudentiæ naturalis Jacobi Gabr. *Wolffii* Halæ Magdeburgicæ Profeſſoris an. 1720. in cujus præfatione hæc habet. „ Ea autem mihi mens non uno abhinc anno con„ ſtanter hæſit, *Legis naturalis ambi*„ *tum* tam *late patere*, ut neſas duxe„ rim, anguſtioribus, quam par eſt, „ *Juſti* in ſenſu ſtricto accepti regulis „ illam colligare, atque in illius do-

,, trina ea tantum explicare, quæ *paci*
,, *externæ* conſervandæ conducunt. - -
,, Cum autem ad perficiendam, quam
,, ſupremus legislator intimo amoris
,, affectu cupit, ***mortalium felicitatem***
,, ***moralem*** plura requiri vel ipſo rectæ
,, rationis lumine prælucente, quot-
,, quot *ſanis* utimur *præcordiis*, per-
,, ſpicue diſtincteque cognoſcamus &c.
,, Hinc profecto nemo, niſi præſumptis
,, opinionibus imbutus dubitabit, quin
,, regulæ *juſti*, *honeſti*, *decori*, ac
,, *prudentiæ* in jurisprudentiæ natura-
,, lis doctrina ſucceſſu haud infelici,
,, modo juſtus ſervetur ordo, conjun-
,, gantur. Hac enim ratione multas
,, melius, ac fieri paſſim conſuevit,
,, explicari quæſtiones poſſe, tam ſum
,, perſuaſus, quam qui eſt perſuaſiſſi-
,, mus. Tam arcto enim iſta vinculo
,, connectuntur principia, ut de una
,, eademque actione hominis morali
,, inquirendum ſemper ſit, an *juſte*,
,, *honeſte*, *decore*, *ac prudenter ſuſci-*
,, *piatur?* Quæ itaque in applicatione
,, conjungenda ſunt, ea quo minus &
,, una commode doceantur, nihil pro-
,, fecto obſtare mihi videtur. - - -
,, Cui talia nec *diſtincte*, nec *perſpicue*
,, nec *vivide* cognita ſunt ac per-
,, ſpecta, is profecto prima extremis,
,, ima ſupremis quam confuſiſſime miſ-
,, cebit, licet ſeparatum diſciplinarum
,, curſum inſtituat. - - - Cum autem
,, hac methodo elaborata Jurispru-
,, dentiæ naturalis elementa in uſum
,, prælectionum academicarum com-
,, mode mihi uſurpanda deficerent,
,, è re futurum aliquamdiu exiſtima-
,, vi, ſi in iis concinnandis calamum
,, exercerem.

En novum de Puffendorffiano Jure teſtem. Puffendorffius inſanos clamat, qui honeſti ac decori principia Juri naturæ inſpergunt. Inſanus ipſe ſuo judicio oſtenſus, qui etiam ipſe inſperſit. Wolfius ei *ſane* deeſſe *præcordia* edicit, qui non agnoſcat Honeſtum ac decorum ad Jus naturæ pertinere. Utraque ergo ſententia inſaniam Puffendorffio ac cæteris addicit. Qui enim honeſtum conjungit juri naturæ, inſanus eſt per Puffendorffium: qui non conjungit, inſanus per Wolfium. Ad hæc Puffendorfius ac ceteri honeſti excluſores *prima extremis, ima ſupremis* confuſiſſime miſcuere. Quia hæc principia non diſtincte, perſpicue, ac vivide cognoverunt. Nam Puffendorffius docuit, honeſtum excludendum, & tamen ſæpenumero includit: quod manifeſtum eſt argumentum, defuiſſe illi cognitionem perſpicuam honeſti ac juſti. Honeſtum autem ſæpius ab illo incluſum, docuimus in *Larva detracta*.

Them. XXVI. Juſtitia legalis ſeu Univerſalis diſtinguenda eſt in docendo Jus naturæ à Juſtitia partiali.

1. Juſtitia in genere dicitur conſtans ac perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Et eſt virtus, ſeu electio perfecti ad optimum ſuperans difficultates, quæ ſe objiciunt.

2. Dantur autem re ipſa duæ tales virtutes diſtinctæ in hominibus juſtis: igitur diſcrimen hoc etiam ſervandum eſt in docendo: quia doctrina non eſt legitima, juſta, nec bona, ſi diſſonet à rebus.

3. Reipſa ſunt aliqui juſti in commutationibus & contractibus, & in officiis muneribusque diſtribuendis, quin tamen poſſint omnino & ex toto juſti dici. Nam aliqui magiſtratus nemini quidquam debent, diſtributivam etiam juſtitiam obſervant & faciūnt inter cives obſervari, & tamen non reddunt *cuique* ſuum: non DEO, ſi ſunt idololatræ, ſuperſtitioſi, Turcæ: non ſibi, ſi ſunt guloſi, iracundi, luxurioſi &c: Igitur deeſt ipſis major pars hujus virtutis diſtincta ab aliis.

4. Igitur *Juſtitia Univerſalis*, (alias legalis dicta ab Ariſtotele) eſt virtus diſtincta à Commutativa & diſtributiva: vel ſaltem Tota Juſtitiæ ratio non conſiſtit in illis duabus.

5. Illa Juſtitia Univerſalis, eſt virtus inclinans ad omne illud *Juſtum*, quod thematibus præcedentibus explicatum eſt, quodque diximus complecti verum Juſtum verum, Honeſtum, Decorum verum, atque verum utile.

6. Hoc Jus eſt vere *Jus naturæ*, ac totius naturæ regula: regulans, prout eſt in DEO; regulata, prout eſt in creatura DEI. Juſtitia ad hoc jus ſervandum inclinans eſt *Juſtitia naturalis*, id eſt quæ non partes quasdam actionum moralium regulat, æquat, ordinatque? ſed quæ omnes actiones totius naturæ moralis librat, ſeu in angelis ſeu in hominibus, ſeu ſiquæ aliæ creaturæ rationales ac morales exiſterent.

7. De Hac Juſtitia legali accurate tractat *Maſtrius* in III. ſentent. Diſput. VII. Art. III. *Ariſtoteles* V. Ethicor. Cap. I. & II. cum commentariis *Aguirre* & aliorum. Vid. etiam infra Cap. XXI. Them. IV. ℞. 4. Cap. XXII. Them. VII. & Them. I.

DE OFFICIO
erga
DEUM.

Servi, qui ſe evidenter agnoſcit ſervum eſſe, non tamen ſtatim eodem momento agnoſcit, quis qualisve ſit ſuus dominus, Officium eſt *primum*, Dominum ſuum inquirere. *Alterum* eſt, Domino profiteri ſervitutem ſuam, ex quo ſequitur Fides. *Tertium*, omnia quæ accepit, in uſus domini convertere; præſtantiora præ vilioribus. Ex quo ſequitur amor, ſpes, Honor &c.

Rite igitur æſtimantibus ſtatim apparet, Omnia plane officia, quæ in hominem cadere poſſunt referri ad DEUM, ut omnia ſervi ad Dominum. Quia tamen conſervos habemus, ſunt quædam officia etiam ad ipſos: quæ tamen & ipſa ad DEUM tendunt. Hinc fit, ut diſtinctionem Officiorum receptam habeamus.

CAPUT VIII.

Specialia Præcepta Juris naturæ de DEI Notitia.

Them. I. GEnerale præceptum vel potius criterium præcepti ſeu Juris naturæ jam Cap. III. Them. XXVI. ſtabilitum repeto, cujus ope in ſequentibus poterit erui ratio ſpecialium præceptorum.

Principium univerſale officiorum Juris Naturæ.

Quod vel in genere vel in particulari neceſſarium ſtricte eſt ad teſtandam, præſtandam & tuendam ſervitutem humani generis aut individui erga Dominum ſummum & optimum, illud eſt ſtricte præceptum jure naturæ. Quod vero minus ſtricte eſt neceſſarium illud eſt præceptum minus ſtricte, ſeu eſt ſimpliciter honeſtum aut decorum. Vid. Cap. III. Them. XXVI.

Obligatur homo noſſe DEI exiſtentiam.

Them. II. Obligatus eſt homo, DEI exiſtentiam, & Providum Dominum, ſeu bonitatem & Juſtitiam noſſe ſive ad hanc noſcendam contendere.

Prob. Homo agnoſcit ſe habere inſtrumenta ad veritatem in infinitum inquirendam: Cognoſcit ea non habere à ſe ipſo ſed ab alio: nec habere in ordine ad ſe ipſum ſolum, ſed maxime ad illud infinitum: Ergo agnoſcit ſuam eſſentiam obligatam eſſe huic infinito. V. Cap. III. Them. VI. &c.

Et mediis ad eam acquirendam uti.

Them. III. Homo eſt obligatus uti mediis aptis ad hanc DEI notitiam in ſe nutriendam & confirmandam: & nullum eorum reſpuere.

Prob. Qui enim obligatus eſt ad finem, eſt obligatus ad media.

Quorum primum ordine eſt auctoritas humana oralis.

Them. IV. Medium ordine cognoſcendi naturali primum ad DEI notitiam eſt *Auctoritas humana* oralis, in præſenti generis humani conditione.

Prob. Pueri id diſcunt à parentibus: Rudes à Philoſophis, eaque omnibus prima eſt via. Vid. Cap. III. Them. XXI.

Secundum eadem per ſenſum communem prodita.

Them. V. Medium ſecundum eſt iterum *auctoritas humana* per *ſenſum communem* omnium gentium tradita.

Prob. Nulla eſt gens, quæ non agnoverit Ens aliquod ſummum omnium Dominum. Id docuerunt Hiſtorici, Poëtæ ac Philoſophi veteres, ac medii temporis, & hujus poſtremi, conſtatque ex hiſtoria gentium. De Philoſophorum conſenſu videatur Theophylus *RAYNAUDUS* in Theologia naturali Tomo V. Operum Diſtinctione V. usque ad finem. *THOMASSINI* Theologia Dogmatica Tom. II. Lib. de DEO. De Gentium ſenſu videatur Alexander *ROSS* Juden- und Heyden-Tempel edit. Norimberg: *PICARDI* Ceremonies Religieuſes du monde, vaſtum opus. Quid contra *ſenſum communem* objiciat paſſim Atheorum paranymphus Baile, Vid. *Larva detracta* Cap. VI.

Tertium ratio naturalis.

Them. VI. Medium Tertium eſt *Ratio naturalis*: id eſt conſideratio rerum viſibilium & aliorum naturalium, à quarum magnitudine, multiplicitate, ordine, pulcritudine, ſubordinatione, gubernatione &c. inferri neceſſario debet unus ſummus, potentiſſimus, inexhauſtus conditor & moderator. *Non reliquit ſemetipſum ſine teſtimonio, benefaciens de cœlo. dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda hominum:* ut monet Apoſtolus actorum cap. XIV. v. 16.

1. Sicut ex Palatio elegantiſſime inſtructo, ex horologio ordinatiſſime moto, ex navi faberrime ſtructa, ex poemate ingenioſe condito, ex muſica belle conſonante vel organo. Et denique ex omni effectu infertur exiſtentia cauſæ.

2. Illa argumenta omnia tractant ſubtiliter & copioſe poſt SS. Patres S. *THOMAS* contra Gentes, & citati ſuprà Theologi, & Archiepiſcopus Cameracenſis *Salignac de la Motte FENELON* auctor alias *Telemachi*, modico libello exſecutus eſt, cui titulus; *Oeuvres Philoſophiques, ou Demonſtration de l' Exiſtence de Dieu.* Multa egregiè obſervat *NIEWENTYT* in opere ſuo Phyſico, *Regt Gebruyk der Wereld Beschouwingen*, cujus verſionem Gallicam præ Germanica legi malim. Alii præterea multi.

In cujus uſu vitandus Pyrrhoniſmus & Præſumptio.

Thema VII. In uſu rationis circa omnia ad DEUM pertinentia ſeu Theologica duo ſcopuli ex æquo vitandi ſunt. 1mum *Pyrrbonismus* ſeu Scepticismus: id eſt error illorum, qui docent nihil intelligi poſſe. Alter eſt *Præſumptio* eorum, qui confidunt omnia tatione comprehendi poſſe.

Nec enim omnia ſcimus,

1. Uterque error adeo eſt abſurdus, ut præter paucos, qui ſenſu communi exciderunt, omnes homines facile manibus eum palpent. Si enim *Nibil* ſcimus, nihil etiam ex ſcientia noſtra eſſici potuit. Atqui effecta ſunt quamplurima, & efficiuntur adhuc; & omnes gentes maximo religionis ac terum ſuturarum ſtudio aguntut, earumque cauſa ſeſe excruciant. Si vero *Omnia* ſciri poſſunt; cur non prodit tandem ille qui mundum hæc tam neceſſaria edoceat?

2. Subſtantiæ rerum, *quid* ſint metaphyſice, ignotæ nobis ſunt; accidentia porro & effectus plurimi ſunt noti; ex quibus accidentibus certiſſime intelligimus dari ſubſtantias, quamvis earum, ut in ſe ſunt, abſtractæque ab accidentibus, ideam proptiam ac claram non habeamus: Omnem enim tem deſcribimus per proptietates & effectus: ut aquam ab aëre diſtinguimus madore, craſſitie &c.

Nec omnia ignoramus.

3. Pyrrhoniſtæ periculoſius errant cum enim omnia ignorari ſtatuunt, ſequitur etiam ignorari, mundum non eſſe à ſe, vitam futuram, pendentiam à DEO, ipſumque adeo DEUM; & cum hoc omne pulcrum, omne verum, omne bonum, omne juſtum: tollitur adeo omnis humanitas & ferarum ritu hominibus vivendum ſuadetur.

Qui *ſola ratione* vivendum dicunt ſunt propinque alteri horum ſcopulorum.

4. Qui decernunt, ex *ſola ratione* cujuslibet vivendum quocunque in ſtatu eſſe, illi propinqui ſunt errori eorum, qui omnia ſciri crepant. Cuilibet enim homini eſt vivendum, ex ratione ſola: igitur cuilibet homini omnia agenda, tam interiora quam exteriora debent eſſe certo ex ipſis rerum ptinciplis propriis cognita. Ergo omnia ea debent poſſe ſciri ſine adminiculo auctnritatis vel alio, ſed *ſola ratione*: quod nobis eſt impoſſibile.

5. Academicos, & Pyrrhoniſtas confutarunt *CICERO* in libris Academicorum, & S. *AUGUSTINUS* Contra Academicos; & *MURATORIUS* Delle Forze dell' intendimento humano. Præſumptuoſos illos confutat quotidiana expetientia; confutant gtandes & omnium ſeculorum inter ſe doctorum pugnæ. Eos porro, qui ſola ratione vivendum pronuntianr, nos emendare ſtuduimus *in Larva detracta* Cap. VII. & alibi ſæpe, ac ſupra hic Cap. III. Th. XXI.

Quartum medium eſt Revelatio DEI.

Thema VIII. Medium Quartum ad DEI cognitionem eſt *AUCTORITAS* ſeu revelatio ſpecialis & *extraordinaria* ipſius *DEI*.

1. Equidem veſtigia veri, boni, pulcri, juſti &c. quæ in ipſis rebus à nobis deprehenduntur, ſunt quædam *revelationes ordinariæ*, quæ nobis indicant fontem veri, boni, pulcri, cauſam ptimam, uno verbo DEUM.

Cui tenemur aſſentiri.

2. Infirmitati autem conſulturus DEUS ex mera gratia talia quædam patravit, & adhuc patrat in mundo, ut nemo ea poſſit adſcribere cauſarum ſecundarum ordini, ſed ipſi tantum primæ. Quodſi igitur tales manifeſtationes fiunt propter aliquem certum finem, proptet aliquam certam doctrinam, religionem, ac vivendi tationem; iſtæ manifeſtationes non minus debent capere intellectum noſtrum & ad aſſenſum ducere, quam illæ revelationes ordinariæ ac naturales. Cum igitur jure naturæ teneamur aſſentiri veritati morali naturalibus ordinariis mediis cognitæ; multo fortius tenemur, ſi eandem agnovimus modo hoc ſolidiore & fortiore.

Ut Prophetiis &c.

3. Tales autem Revelationes divinæ ſunt Prophetiæ veræ, Miracula vera naturæ vim excedentia. Qualia in Veteri novoque teſtamento comprehenduntur, & cetera.

DEUM eſſe, ratione demonſtrabile eſt, & tamen fide credendum.

Thema IX. Quamvis, DEUM eſſe, ratione demonſtrari poſſit; tamen idem ipſum etiam fide divina credendum eſt.

1. Cum enim neceſſario aſſentiot veritati per unum medium ſubordinatum cognitæ; propterea tamen non

poſſum

poſſum diſſentire, ſi, eadem veritas iterum proponatur per aliud medium fortius, ac ſubordinans. Medium autem ſubordinatum eſt *ratio naturalium*; medium ſubordinans eſt *divina revelatio*. Sic poſſumus ratione capere terræ globoſitatem & antipodas; & tamen cum audimus vel legimus relationes eorum, qui circumnavigarunt orbem, eisdem credimus.

Demonſtrabilia DEUS revelavit, ut ſuccurreret infirmis.

2. Cur autem DEUS ea, quæ ratione cognoſci poſſunt, inſuper extraordinariè revelaverit, cauſa eſt ei Bonitas ſua & gratia. In plerisque hominibus ratio eſt debilis, impedita laboribus & curis rerum corpori neceſſariorum &c. his conſulere voluit DEUS, ut qui demonſtrationibus vacare non poſſent, facillimo negotio poſſent ſatisfacere obligationi, humiliter ac devote *credendo*, quo nihil eſt facilius. Idque remedium ſaluberrimum eſt etiam acutiſſimis hominibus, qui ſæpe incidunt in ſophismata, ubi putant ſe meras demonſtrationes facere, hi juvare ſe poſſunt credendo. Vid. S. *THOMAS* Lib. I. contra Gentes Cap. IV. pulcherrime hæc enucleans. *SUAREZ* de Fide Diſp. XII. Sect. III.

Divina aliqua revelata, tamen Jure naturæ credenda ſunt.

Thema X. Quamvis, Divina aliqua revelata ſint, manet tamen obligatio juris naturæ ad ea credenda, ſuppoſito, quod revelatio agnita ſit, ſive ſuppoſitis motivis: quæ motiva ſunt Sufficientia *indicia*, non objectorum credendorum ſed revelationis, probantia, revelationem eſſe ſactam; ut explicat *Poncius* Commentar: ad Scotum num. 129. in III. Sentent. Diſt. XXV. Qu. II. Operum Scoti Tom. VII. part. I. pag. 578. & *Maſtrius* in III. Sent. Diſp. VI. Qu. X. art. I. n. 284. Paucis ac ſolide traduntur ea ſigna à *SUAREZ* de Fide diſput. IV. Sect. III. ampliſſime à *BOSIO* de Signis Eccleſiæ. à Cardinale *GOTTI* in Veritate Religionis Chriſtianæ demonſtrata decem voluminibus. Et ab aliis quamplurimis.

Probatur varie,

1. Juris naturæ eſt, aſſentiri veritati ad ultimum finem pertinenti ſeu morali, ſatis propoſitæ. Talis autem veritas eſt ea, quæ à DEO eſt revelata, ſuppoſito quod revelatio ſit agnita. Ergo &c.

2. Quamvis divinitus revelatum ſit, DEUM amandum eſſe ſuper omnia, tamen etiam jure naturæ obligamur eum ſic amare. Igitur idem etiam de fide dicendum.

3. Niſi hoc admittitur, admittendus eſt proceſſus in infinitum, aut circulus fit. Nam ſi dicis, ideo credendum, quia *divinitus* præceptum, facis circulum hunc: *eſt præceptum divinitus credere quia eſt divinitus præceptum.* Item ſacis proceſſum in infinitum, cum ſtatuas revelationem ad revelationem; ideoque ex eadem ratione debebis admittere revelationem aliam ad revelationis revelationem. At nos ita ratiocinamur naturaliter: agnoſco me eſſentialiter eſſe ſervum DEI optimi veriſſimi, & aſſentior iis, quæ à Domino mihi indicantur: hæc autem quæ miraculis, prophetiis &c. prodita ſunt, non poſſunt ab alio eſſe quam ab hoc naturæ domino: igitur aſſentior his. Ubi tamen nota, hanc fidem nondum eſſe per ſe ſupernaturalem; ſed ſupernaturalis fit ex dono DEI, ut habet Catholica doctrina. Sicut cum amatur DEUS tanquam auctor omnium bonorum & ſummum bonum, hic amor de ſe eſt tantum naturalis; ſupernaturalis autem fit ex dono gratiæ & charitatis infuſæ.

4. Ita docent etiam Theologi Vid S. *THOMAS* Lib. III. contra Gentes cap. 118. & II. 2dæ Qu. X. art. I. ad 1mum Et late id probat *SUAREZ* de Fide Diſput. IV. Sect. II. num. 7. &c. Imo *Scotus* ſubtilis in III. Sentent. Diſt. XXIII. num. 4. docet ac probat Fide acquiſita ac naturali poſſe nos credere omnibus etiam Chriſtianis dogmatibus: quæ tamen ad ſalutem æternam non ſufficit. Ejus argumenta digna ſunt lectu Tomo VII. operum part. I. pag. 460. edit. Lugd. addatur idem etiam num. 16. & *Poncius* in commentario ad Diſtinct. XXV. Quæ. I. num. 112. &c. Item *Scotus* in Reportatis Lib. III. Diſt. XXIII. Videatur *Maſtrius* in III. Sent. Diſput. VI. Quæſt. V. Ceterum altercationes quas Theologi exercent circa naturam iſtorum fidei habituum & actuum, Juri noſtro naturæ non incommodant: ſunt enim ſpeculativæ, & hoc ipſo quod diverſa ſentiant, oſtendunt poſſibilitatem eorum pluribus modis agnoſci. Quæ ſola poſſibilitas in ſpeculativis quæſtionibus attenditur atque intenditur: in practicis autem uſus & finis, ſuppoſita poſſibilitate. Alexander *NATALIS* Theolog. Dogmat. Lib. I. Artic. VI. huic doctrinæ conſentanea ſcribit: Theophilus *RAYNAUDUS* De Morum diſciplina Diſtinct. IV. Num. 235. Sic habet: *Ex quo actus eſt malus, illico eſt contra naturam rationalem, ſive intrinſece ſive per accidens ſit malus. Nec item excipienda eſt malitia culparum, quibus virtutes ſupernaturales violantur, ut INFIDELITATIS, ac ſimiles. Nam hæc quoque malitia eſt contra naturam rationalem, quia adverſatur dictamini rationis rectæ.*

G 3 Add.

Add. V. P. Elbel Conferentia. Part. II. n. 23. ubi concludit: *Omnes adulti tam infideles quam fideles per ſe & directe tenentur ad præbendum aſſenſum internum Fidei, quamprimum myſteria fidei noſtra ſalvificæ iisdem fuere ſufficienter propoſita velut à DEO revelata. Ita communis & certa omnium Theologorum ſententia.* Quam probat ratione ipſa ſana.

5. *BERTI* de Theologicis diſciplinis Lib. XX. cap. IV. Propoſ. III. ait: *Hæ quoque virtutes* (Fides, ſpes, Charitas) *generatim conſideratæ ad legem naturalem pertinent, quatenus conforme eſt naturali rationi, ut, ſi prima veritas aliquid manifeſtet, cum mentiri non poſſit, fidem certiſſimam illi præſtes &c. Atque hoc tam certum eſt, quam, ſummum illud Bonum diligendum eſſe ſuper omnia. Nam niſi credideris, errorem tuum præfers veritati &c.* quæ prælatio utique naturæ ordini repugnat?

6. Hæc ipſa eſt doctrina Chriſti, ut videtur. Is ſuper Corozaim & Bethſaida væ pronuntiavit, quia ſignis & virtutibus in eorum regione à Chriſto oſtenſis non aſſenſerunt, quibus Tyrii ac Sidonii aſſenſuri fuiſſent. Ea *THOMASSINUS* expendit Theologicorum Dogmatum Tom. I. Lib. X. Cap. LX. adducens S. Auguſtinum Enchiridii cap. 95. qui ait: *Ex quo apparet, habere quosdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba vel ſigna ſuſpiciant. Et tamen ſi altiore DEI judicio à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent talia vel viderent &c.*

7. Huc pertinet illud Joannis X. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, OPERIBUS CREDITE, ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt.* Ubi notandus eſt ordo. Bis hic jubet credere; Primo *Operibus* ſeu miraculis oſtenſis; quæ fides ſive qui aſſenſus eſt naturalis, præceptus tamen. Secundo jubet credere *rebus* ſupernaturalibus, propter quæ miracula ediderat. Nimirum præcepit, ut crederent naturaliter operibus, quæ agnoſcebant à divina virtute tantum proficiſci poſſe: deinde ut crederent ſupernaturaliter virtutem illam divinam ſeu Patrem in filio manentem. Primum poterant implere ſenſu ipſo perceptum: alterum nec jam ſenſu nec intellectu poterant ſine gratia ſpeciali miracula conſequente aut comitante.

8. Et Matthæi XI. Quærenti Joanni Baptiſtæ per legatos: Tu es, qui venturus es, an alium exſpectamus? nihil aliud reſpondit, quam: *Renuntiate Johanni, quæ audiſtis & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.* Et Joan. XV. ℣. 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Denique totum vetus ac novum teſtamentum & omnes veteres ac novi Doctores in hoc conveniunt.

Exceptis Juris naturæ larvati doctoribus, qui à Jure hoc omnem revelationem divinam excludunt.

8. In Bibliotheca Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Franciſci Annibalis Comitis Turriani & Valſaſſinæ, Canonici hujatis quam lectiſſimam auget, incidi in Codicem veterem hoc titulo *THEOLOGIA NATURALIS ſive liber creaturarum ſpecialiter de homine & de natura ejus in quantum homo: eſt & de his quæ ſunt ei neceſſaria ad cognoſcendum ſe ipſum & DEUM: & omne debitum ad quod homo tenetur & obligatur tam DEO quam proximo. Compoſitus à Ven: viro Magiſtro Raymundo de Sabunde, in artibus & medicina doctore, in ſacra pagina egregio profeſſore.* Ex officina Martini Flach Argentin. An. MDL. Hic principia Juris naturæ tradit, maximamque libri partem, vel totum potius abſolvit in oſtendendo, Chriſtianæ religionis omnia capita Jure Naturæ eſſe credenda & ſervanda. Cum hic ante Grotium ſcripſerit, vel ſolus ſufficeret refutandæ calumniæ de jure naturæ Catholicis ignorato. Ejus principia haud paulo ſaniora ſunt Wolffianis.

Them. X.I In agnitionis divinæ ac religionis negotio prima ordine eſt auctoritas, ſecunda ratio. In Negotio religionis prior eſt auctoritas.

1. Tum quia divina tam alta ſunt ac ſupra naturam poſita, ut omnium confeſſione ac voto nemo verum penitus deprehendat, niſi à DEO ipſo nuntiatum, aut per homines à DEO illuminatos. Ad falſum quippe in religione deprehendendum multum valet ratio vel ſola: ad verum autem non item. Gentiles philoſophi agnoverunt falſitatem Idololatriæ, idque ratione agnoverunt etiam contra auctoritatem. Sed hac ipſa ratione uſi de vero DEI cultu pauciſſima invenerunt, ad quæ ipſa Plato aliique aſſidue fatentur ſe magis ſermone veteri hominum DEO origini pro-

ratio valet ad falſum.

non ad verum inveniendum.

propinquiorum, quam ſua ratione perveniſſe: unde optabat ſæpe Plato, ut aliquis de divinis ad ipſos veniret, doceretque verum de divinis ſenſum. Vid. Cap. XII. Them. VII. Eadem de cauſa omnes prope gentes ſicubi vident hominem, quem putant à DEO illuminatum, accurrunt, audituri ex ipſo nuntium divinum. Hinc conſtituti ubique gentium ſacerdotes, qui frequentius cum DEO agendo illuminati auctores fierent reliquis, quid de DEO ſentiendum, quidve erga illum agendum. Hinc denique ex Philoſophis manus faciles dedere Chriſto Platonici, qui auctoritati jam antè primas partes in divinis detulerant: difficiles aut nullas Peripatetici, qui putabant omnia ſe ratione emetiri poſſe. Hæretici, Athei, omnesque hodie infideles ideo aberrant à vero, quod *rationem ſuam* præferant auctoritati. Legatur Evangelium de cœco nato, Joan. cap., V. Hæc hactenus dicta jam obſervavit *Lactantius* Divin. Inſtit. Lib. II. *Impugnatæ ſunt*, inquiens, *à prudentioribus falſæ religiones, quia ſentiebant eſſe falſas: ſed non eſt inducta vera, quia qualis & ubi eſſet ignorabant.* Cauſam profert Lib. I. *Quin veritas, id eſt arcanum ſummi DEI, qui fecit omnia, ingenio ac propriis ſenſibus non poteſt deprehendi; alioqui nihil inter DEUM hominemque diſtaret, ſi conſilia & diſpoſitiones illius majeſtatis æternæ cogitatio aſſequeretur humana. Quod quia fieri non potuit, ut homini per ſe ipſum ratio divina innoteſceret; non eſt paſſus hominem DEUS lumen ſapientiæ requirentem diutius aberrare, ac ſine laboris effectu vagari per tenebras inextricabiles: operuit oculos ejus aliquando, & notionem veritatis munus ſuum fecit, ut & humanam ſapientiam nullam eſſe monſtraret, & erranti ac vago viam conſequendæ immortalitatis oſtenderet.* Quæ via non alia fuit quam fidei, quæ auctoritate conſtat non ſcientia. Et rurſus Libro VII. ait: *Cauſa errorum omnium philoſophis hæc fuit, quod rationem mundi, quæ totam ſapientiam continet, non comprehenderunt. Ea vero ſenſu proprio & interna intelligentia non poteſt comprehendi, quod illi SINE DOCTORE PER SE IPSOS facere voluerunt, itaque in varias ſibique ſæpe contrarias ſententias inciderunt. - - - - Nulla eſt humana ſapientia, ſi PER SE ad notionem veri ſcientiamque nitatur. Homo autem non cogitando aut diſputando aſſequi eam poteſt, ſed DISCENDO & AUDIENDO AB eo, qui ſcire ſolus poteſt & docere.* Sanctus quoque *Thomas* his conſentanea loquitur 2. II. Qu. II. art. IV. in Corp. *Ratio enim humana in divinis eſt multum deficiens: cujus ſignum eſt, quia Philoſophi de rebus humanis naturali inveſtigatione perſcrutantes in multis erraverunt & ſibi ipſis contraria ſenſerunt. Ut ergo eſſet indubitata & certa cognitio apud homines de DEO, oportuit, quod divina eis per modum fidei traderentur, quaſi à DEO dicta, qui mentiri non poteſt.*

Probatur ſenſu communi.

2. Quid quod ne humana quidem cognitio ulla acquiratur, niſi auctoritate præcedente. S. *Thomas* id loco mox citato oſtendit, & nos experientia magiſtra oſtendimus Cap. III. Them XVII. & in *Larva detracta.*

Humanas cognitiones ordinarie præcedit auctoritas.

3. *Lamindus Pritanius* in primo Libro de moderamine ingeniorum in negotio religionis cap. I. decernit, Rationem præcedere debere, auctoritatem ſequi. Si attendo, quam ipſe rationem vocet, non teneo, quomodo ſecum cohæreat. Cap. III. ait: *Rationis nomine hoc loco intelligimus vim & lumen intellectus ad dignoſcendum verum & falſum, bonum & malum: ſimulque eam vim, per quam rationalis anima e certis ſibique notis præmiſſis certum aliquid argumentando deducens ſibi illud ac aliis perſuadet.* Pauloque poſt docet Humanam rationem quædam ſemina continere veri & boni inſita ab ipſa natura, idque in pueris patere, qui decepti doleant. Tum ex conſuetudine librorum ac hominum illas ideas aut latentes excitari aut immitti peregrinas & novas.

Pritanius viſus contraria ſentire.

4. Igitur Rationis nomine Pritanius jam ſubjectum ratiocinationis, ſeu intellectum humanum; jam ipſas ideas ſeu objecta formalia intellectus; jam etiam habitum dialecticum vel ſaltem facultatem diſcurrendi intelligit. Verum de Ratione hoc modo ſumpta nemini poteſt eſſe dubium, quin ea præcedat fidem, omnis enim potentia prior eſt actu: fides autem eſt actus potentiæ intellectivæ, ſeu animæ.

5. Propius ergo ad rem accedit Pritanius, quando Rationem diſtinguit in rationem *intrinſecam* & *extrinſecam.* Et hoc modo ratio ſumpta non eſt intellectus, neque ſimpliciter objectum intellectus, ſed aliquid in rebus ſitum. Ratio enim *intrinſeca* eſt connexio phyſica aut metaphyſica rerum, intellectui repræſentanda. Ratio *extrinſeca* eſt connexio moralis & convenientia indiciorum cum perſona indicante. Sive, ut ipſe Pritanius explicat, ratio exterior conſiſtit in *credulitate & perſuaſione prudente*, hoc eſt in extrinſecis argumentis talibus, quibus credi poſſit.

6. Quid

Reipſa non eſt contrarius.

6. Quo rite poſito nobiſcum plane Pritanius ſentit. Is enim primum negat, rationem intrinſecam præcedere debere fidem ſeu aſſenſum rebus divinis præſtandum; quia connexionem metaphyſicam divinorum capere non eſt noſtrum, niſi ſingulari dono DEI. Deinde docet, Rationem *extrinſecam* debere præcedere fidem illam ſeu aſſenſum divinorum, quæ ratio extrinſeca cum nihil ſit aliud, quam *credulitas*, credulitas autem ex auctoritate proficiſcatur; manet profecto, auctoritatem in negotio religionis præcedere.

De motivis credibilitatis.

7. Aliàs Pritanius rationes extrinſecas vocat conſueto ſuo nomine *Motiva credibilitatis*: motivum autem ſeu principium credibilitatis non eſt ratio; ratio enim eſt principium ſcientiæ aut opinionis. Eſt vero motivum credibilitatis auctoritas, ideo enim credibilis ſit ſeu credi poteſt aliqua res, quia auctoritas illud aſſerit, ſicut credibile eſt Julium Cæſarem Romæ imperaſſe & occiſum eſſe, quia ejus rei tot nobis ſunt auctores.

Theologi late tractant,

8. Hoc argumentum ante Pritanium auctiſſime ac copioſiſſime pertractarunt celeberrimi Theologi ſcholaſtici, neque ita lubricum reliquerunt, ut aliquibus incautis eſſe poteſt Pritanii liber non ſatis ſeparans ſeparanda. Quærunt itaque Theologi: Quid ſit illud, quod nos moveat ad credendum ipſi alicui doctrinæ aut propoſitioni divinæ? Et reſpondent uno ore, hoc motivum non eſſe rationem intrinſecam ſupra explicatam, ſive repræſentatam noſtro intellectui connexionem metaphyſicam prædicatorum eſſentialium DEI &c. Quia hæc intellectui naturaliter plerumque eſt impoſſibilis. Sed dicunt Theologi, motivum, cur aſſentiamur objecto alicui divino, eſſe Revelationem, manifeſtationem, locutionem aliquam, verbo auctoritatem DEI, quæ animo ita firmiter obverſatur, ut captivum ſe huic ſubmittat, quemadmodum diſcipulus ſe ſubmittit auctoritati dicentis magiſtri apprehenſæ; etiam ubi nihil rationis videt, cur aut quomodo ſe habeant magiſtri præcepta. Atque hæc denique auctoritas ſeu veracitas DEI loquentis ſeu Revelantis eſt ac dicitur *Motivum formale credendi*. Quicunque enim animo ſuo apprehendit, hoc vel illud ſibi eſſe à DEO dictum aut revelatum (undecumque demum hanc revelationem didicerit, ſive interno quodam illapſu numinis, ſive externo ſignificatu) is DEO auctori negare aſſenſum ſine piaculo nequit.

Motivum CREDENDI quodnam?

9. Altera autem jam naſcitur quæſtio: unde homini conſtare poſſit de revelatione facta? An ratione intrinſeca ſeu formali, an extrinſecis ſignis & teſtimoniis probanda ſit? Et quæſtio inſtituitur de nobis, qui jam non immediate à DEO accipimus tales revelationes, ſed revelationes ac manifeſtationes aliis atque olim factas accipimus per eosdem per manum ſecundam, tertiam, decimam, aut centſiemam?

10. Nam illi, qui primi acceperunt revelationem, paulo aliter ducebantur quam nos: v. g. Mulier Samaritana cum Chriſto loquens ipſamet audivit & plane ratione experimentali intellexit, Chriſtum ſciviſſe abſcondita: & ex hac ſcientia intulit, ipſum eſſe virum divinum. Hæc ſcientia non fecit Chriſto auctoritatem apud mulierem, ſed fuit medium agnoſcendi. Contrà nos, qui eandem hiſtoriam legimus in libris, audimus ex ſuggeſtibus eccleſiæ, diſcimus hanc divinæ virtutis manifeſtarionem ſeu locutionem, non ſcientia aliqua experimentali, non demonſtratione per cauſas ducta, ſed auctoritate dicentis eccleſiæ. Revelatio enim eſt *Facti*: Facta autem his tantum duobus modis in noſtram notitiam perveniunt: experimento ipſo, aut teſtibus, aut effectuum exiſtentia.

Facta non poſſunt ratione probari.

11. Quidquid igitur eſt tale, quod nobis probet, Revelationem divinam nobis veraciter per media tradi, illud dicere ſolemus *motivum credibilitatis*, quia hæc ſunt media, per quæ nobis humano modo poſſibile ſit, ut fidem deinde ipſis revelationis objectis adhibeamus. Quodſi enim hæc motiva nobis non adeſſent, non poſſemus ulterius ad credendum procedere.

Motivum CREDIBILITATIS quodnam?

12. Quidquid jam de his motivis credibilitatis diſputetur, dico, in noſtra hodie fide, qui mediate accipimus revelationem, ordinarie ſemper auctoritas ante rationem eſt. Ordinarie ſemper credimus primo teſtimonio referentis eccleſiæ: deinde demum ſapientiores ſaltem diſquirunt & librant, unde, quam magna aut gravis ſit hæc auctoritas, & quibus momentis ſtet? quod tamen non infrunite, imo cum magna circumſpectione eſt agendum. Nec Pritanius ipſe aliter ſe ad divina perveniſſe dicere poterit.

Miracula &c. nobis innoteſcunt non ratione ſed auctoritate:

13. Imo ipſa momenta, per quæ teſtimonium eccleſiæ videtur probari & quaſi ratione ſulciri, in noſtra hodie cognitione non præcedunt auctoritatem: qualia ſunt *miracula* Chriſti & Apoſtolorum, *Martyrum* certamina & victoriæ, prædicatio in omnem terram

dif-

diffuſa, *ſucceſſio* continua ſacerdotum, *unitas* doctrinæ per tot loca ac tempora. Hæc quidem nos præceſſerunt: & omnia ſunt *facti*: itaque ad noſtram cognitionem veniunt per teſtimonium, id eſt per auctoritatem. Unde enim in animo meo concepi, martyres occubuiſſe? in India prædicari Chriſtum? doctrinam hodiernam eſſe eandem quæ fuit ante annos mille? Hos libros eſſe Matthæi, Pauli, Irenæi, Auguſtini, Gregorii? Nequeunt hæc ratione mihi demonſtrari, ſed auctoritate teſtium nituntur, qui cum ſint tanti, & divina aliqua virtus eis vim addat, nequeo dubitare de eorum aſſertione. Sicut nequeo dubitare, niſi ſim ſtolidus, extra meam patriam dari agros & homines & aërem, quamvis id nec experimento viderim, nec quisquam ulla ratione demonſtrare id valeat.

quia ſunt facti.

Theologi *evidentiam* aut *probabilitatem* credibilitatis exigentes

14. Ceterum Theologi pro foecunditate ingenii ſui non pro neceſſitate diſputant: utrum credibilitas hæc revelationis factæ debeat homini eſſe *evidenter* propoſita, an ſufficiat *probabiliter* propoſita credibilitas. Si recte perſpiciatur, videtur lis de nomine: nam *evidentiam* talem, quæ ſit ratione demonſtrata & ſcientifica, nemo unus deſiderat in vaſculo tam infirmo. Rurſus *Probabilitatem* talem, quæ ſit conjuncta cum formidine oppoſiti, atque adeo ſit mere opinativa, nemo unus admittit ſufficientem eſſe in re tanti momenti. Igitur omnes petunt *certitudinem* talem; quæ ſit major omnibus oppoſitis, & hæſitationem excludat, aut infirmitatem aſſenſus. Seu ergo illam certitudinem dixeris evidentiam, ſeu probabilitatem, ſeu prudentiam, de nomine nihil intereſt, dum conſtet de re. Et quisquis pugnat, auctoritatem ſeu motiva hæc credibilitatis in religione nihil aut minus valere, is impugnat vim *TRADITIONIS*, quæ tamen poſt divinam immediatam illuminationem eſt medium unicum ordinarium ad fidem. Vid. *Pouget* Doctrina Chriſtiana ſeu Inſtitutiones Catholicæ Part. II. Sect. II. Cap. II. §. 4. *Suarez* de Fide Diſput. V. & diſp. IX.

non ſunt contrarii.

Certitudinem moralem omnes exigunt.

Suarezii probatio.

12. *Suarez* ergo Diſput. III. de Fide, Sect. VIII. num. 5. ait: *Quando Fides proponitur mediate per prædicatores, certum de fide eſt, & experimento cognitum, non eſſe neceſſariam evidentiam divini teſtimonii; quia conſtat, ſimplices fideles, & omnes ſic* (id eſt, mediate) *credentes non habere hanc evidentiam ipſius revelationis, ſed ſolum credibilitatis ejus.* - - - - *Ex his ergo ſatis conſtat, non eſſe de neceſſitate fidei, ſecundum ſe ſpectata, evidentiam DEI revelantis, ſeu quod revelatio ſit à DEO.* - - - - *Nam quod per ſe alicui convenit, ſemper & ubique convenit.* Et quando idem Suarius Diſput. IV. num. 5. videtur evidentiam requirere, loquitur ibi non de evidentia revelationis factæ; ſed de evidente propoſitione ipſius *objecti* fidei, quæ diverſa ab hac quæſtio eſt.

Scotiſtarum.

13. Scotiſtæ quoque communiter tenent cum Scoto in III. ſentent. Chriſtianam religionem eſſe quidem evidenter credibilem, ſive evidentia morali conſtare de auctoritate divina eidem religioni inhærente. Non autem ſemper neceſſarium eſſe ad judicium practicum de credendo ſeu aſſentiendo, ut *evidentia* morali conſtet. Quia major fidelium pars eſt incapax ad obtinendum naturæ ſuæ viribus (de his ſolis hic eſt ſermo) talem evidentiam; cum tot res ac tot argumenta, quæ ad hoc probandum requiruntur, non poſſit complecti. Fieri enim poteſt, ut aliqui etiam ſacerdotum non habeant ſemper in promptu ſufficientia argumenta ad probandam clare revelationis exiſtentiam, ut ait *Maſtrius* in III. Sentent. Diſp. VI. Qu. X. art. II. Quibus hæc non ſufficiunt, ii conſulant etiam *Contenſonum* Thomiſtam in Theologia Mentis & cordis Lib. VII. Diſſert. II. Cap. II. Speculatione II. & alios paſſim doctores.

Pritanius *prudentem* aſſenſum juſte exigens.

14. Nec valet Pritanius multum, quando urget: *Prudentem* eſſe debere aſſenſum fidei, & hinc præcedere debere dubitationem, & dubitationes *rationibus* tollendas eſſe. Nam *prudens* eſt aſſenſus etiam ſine evidentia & ſine dubitationum *ultro* excitatarum reſolutione per rationes; modo tanta ſit certitudo, qua majorem *reſpective* ad tempora & perſonas &c. non poteſt habere. Vid. *Maſtrius* loc. cit. num. 305. *Suarez* de Fide diſput. IV. Sect. V. num. 8. & 10. Exemplum eſto Codex Juris civilis. Is recipitur à noſtris civibus, advocatis, judicibus, doctis, indoctis. Eas leges eſſe à Conſtantino, Theodoſio, Honorio, Juſtiniano, denique ab Imperatoribus latas, & Imperatorem *locutum eſſe* multis etiam judicibus non *evidenter* conſtat; quorum ſunt forte perpauci, qui ratione vel una aut argumento id probare auſint, nec forte unquam talem probationem audiverint. Prudenter tamen credunt *locutum* eſſe auctoritative Imperatorem: & ex hac auctoritate credita ſine ulla hæſitatione conformiter his locutionibus & ferunt ſententias & admittunt, & vitam civilem ſecundum hanc auctoritatem ordinant, ſecundum hanc hominum fortunas vitam ſangui-

nemque regunt: non ordinaturi, niſi certo crederent.

Non debuiſſet forte de bitationibus januam aperire.

Dubitandum autem eſſe ad hoc ut certo credas, paradoxum videri poteſt. Simplicioribus hoc Pritanii conſilium eſt magno periculo, neque hoc iliis ipſe ſuadet: at illi tamen ex decem eccleſiæ partibus ſaltem novem cum dimidia eſficiunt. Sapientes & docti ipſi viderint, num tantum ipſis in ratione ſua fiduciæ ſit, ut huic ſe pelago tuto committant. Viderint autem, ne evaneſcant in cogitationibus ſuis, neu dum rationem, quæ nihii profuit philoſophis & hæreticis, ſectantur, amittant fidem, quæ ſola prodeſt. Vereor certe, ne D. Pritanius, dum *regnum rationis* hodie invaleſcens etiam in aiiis libris ſuis tantopere prædicat, puſillis multis aut ſemidoctis occaſio ruinæ ſit. Non enim omnes paſſim, imo Phœnicis inſtar, pauciſſimi ſunt in orbe terrarum tam ſublimi vaſtoque ingenio, quanto magnus ille vir: cujus arma ſuo pede dimenſa non congruunt nobis puſilis & humi reptantibus. Nam qui dubitat de ipſis motivis credibilitatis, unde dubia reſolvet? Ex ratione ſua? At *qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit*. S. Bernard Ep. 87. *Cunctis pene Sapientibus contingere ſolet, in rebus videlicet dubiis plus alieno ſe quam proprio credere judicio*. idem Epiſt. 82.

Quod Manichæi promiſerant.

15. Manichæi hæretici, ut populum à Catholica religione averſum ad ſe pertraherent, criminabantur, Catholicos irrationabiliter credere, quia rationem credebilium non antè reddebant, quam fides eſſet accepta. Illi vero promittebant, nihil ſe tradituros, cujus rationem credendi non ante redidiſſent: profitebantur adeo *regnum rationis*. Id quidem Mancihæi neutiquam præſtare potuerunt, ſed aut frivoia tradiderunt, aut inter ſe pugnantia, aut ad hoe redacti plerumque ſunt, ut auditorem *prius* credere multa juberent; aut in aliis refutandis diſerti in ſuls probandis infirmi fuerint. S. Auguſtinus Ratione præcipue in juventute delectatus hac velut eſca ab his ſeductus fuerat, ut Manichæorum ſe diſcipulum profiteretur. Profeſſus hanc hæreſim: rationem promiſſam nequaquam invenit: tranſiit igitur in caſtra ſaluberrimæ auctoritatis, librumque ea de re conſcripſit, qui eſt de *Utilitate credendi*, ubi ampliſſime probat, Fidei præcurſorem non eſſe rationem ſed auctoritatem ante rationem, non tamen excluſa ratione.

Confutati à S. Auguſtino.

16. Perſonatus aliquis *Phereponus* qui & ipſe ob aliqualem Critices (ideſt de omnibus dubitandi, ut hodiernus mos fert) ſcientiam viſus eſt ſibi *regnum rationis* adeptus eſſe, cœpit tum Patres reliquos, tum præcipue Auguſtinum traducere, velut hominem aſinorum anteſignanum, Crimini ergo ei dabat, proditam veritatem, hoc eſt, velle Auguſtinum, ut ſtupida ſit, & aſinina religio Chriſtiana, quæ credere juberet excluſa ratione, forte etiam contra illam. Sub Phereponi larva Joannem *Clericum*, criticum Batavum latere, ipſe non inficias ivit Angelo *Quirino* nunc Eminentmo Cardinali epiſcopo Brixienſi; unà profeſſus, Auguſtino ſe pretium ſummum omnium Patrum facere, Phereponianas autem notas ſe confeciſſe *non ex doctrinæ Auguſtinianæ contemptu; ſed quod res omnino iniqua ſibi videretur, Batavos magiſtratus ejuſdem doctrinæ auctoritatem obtendentes fas ſibi eſſe arbitrari, quosvis ad parendum Dordracenæ ſynodi decretis adigere, perinde ac ſi in ea regione poſt detractum Romanæ Inquiſitionis jugum, aliud & quodammodo durius conſcientiis incolarum imponi per ea decreta, æquo animo tolerare quis poſſet*, *E. C. QUIRINUS* Commentar. de Reb. pertinentibus adipſummet. Part. I. Lib. I. Cap. III. p. 47. Itaque non contemnendam adeoque nec falſam & futilem Auguſtini doctrinam agnovit Clericus, ſed veram: & tamen eam impugnavit, cauſa non populi, non animarum, non virtutis, ſed metu, ne *regnum rationis*, id eſt ſpiritum ſuum privatum ſequendi infinita libido everteretur, quæ libido frœnum eccleſiæ Catholicæ ab Auguſtino explicatum excuſſerat.

Phereponus, ſeu J. Clericus.

Auguſtinum traduxit.

pravo amore regni rationis ſpurij.

17. In hunc conſurrexit Pritanius, ejusque imprudentiam caſtigavit. Verum quoniam *regnum rationis* etiam ipſi res videtur magna & ceteris eminentior, voluit in ipſa confutatione huic conſultum. Hinc factum eſt, ut, cum alii dicunt fidem Chriſtianam præcedi debere à motivis credibilitatis, traditione & auctoritatibus; ipſe Pritanius maluerit dicere, præcedere debere *rationem* extrinſecam; quamquam revera ratio extrinſeca aut ſit ipſa auctoritas; aut per auctoritatem naſcatur. Ita factum eſt, ut Pritanius adverſarium ſibi fecerit Auguſtinum, quem defendendum ſuſcepit. Si enim Pritanius dixiſſet, auctoritatem præcedere, notitiam & agnitionem qualemcumque ſequi, dixiſſet idem quod Auguſtinus: Nunc Pritanius maluit pro voce auctoritatis uti nomine *rationis*,

Pritanius illum confutans, in regnum rationis & ipſe proclivior.

nis: igitur occaſionem præbuit aliis ſuſpicandi, Ipſum ab Auguſtino diſſentire. Auguſtinus enim paſſim & conſtanter, illo præſertim libro, adeo rationem antecedentem rejicit & auctoritatem antecedentem requirit, ut damnare Pritanium videatur, qui rationem, nomine ſaltem talem, præcedere debere contendit.

Auguſtinus Pritanio adverſus videtur.

18. Auguſtinum porro rationem in genere poſteriorem ſtatuere, nec eam ante fidem requirere ſed auctoritatem, planum eſt ex toto libro, ut Cap. VII. num 14. &c. & Cap. VIII. Suummet quondam aberrantis exemplum refert, & concludit: *Vera religio, niſi credantur ea, quæ quisque POSTEA, ſi ſe bene geſſerit dignuſque fuerit, aſſequatur atque percipiat, & omnino ſine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto poteſt.* Neu vero Pritanius contendat, Auguſtino hic intelligi rationem *intrinſecam* poſtea aſſequendam; obſervandum eſt, hic non poſſe intelligi rationem intrinſecam rerum credendarum naturalem, quæ nec ante nec poſt Fidem haberi de divinis myſteriis poteſt; ſed talem quæ bonæ vitæ concedatur ac donetur: id eſt ſupernaturalem quandam illuminationem.

Patrum quædam dicta huc pertinentia.

19. Poſt longam hanc tibi forte inutilem digreſſionem juvat pauca quædam Patrum in hanc rem monita ſubnectere, docentia, ne in religionis negotio curioſius quæras rationem præ fide & auctoritare ſectari; quod faciens *& tibi eris auctor periculi, & ceteris temeritatis exemplum.* S. *Auguſt. de Util. Cred. Cap. X. fin.*

Sanctus *Ambroſius* Lib. 1. de Abraham. Cap. III. n. 21. *Bonum eſt, ut rationem præveniat Fides, ne tanquam ab homine ita à Domino noſtro rationem videamur exigere. Etenim quam indignum, ut humanis teſtimoniis de alio credimus, DEI oraculis de ſe non credamus?*

Idem Ambroſius Lib, I. de Fide Cap. XIII. n. 84. *Aufer hinc argumenta, ubi Fides quæritur. In ipſis gymnaſiis ſuis jam dialectica taceat. Non quæro quid loquantur philoſophi, requiro quid faciant? ſoli in Gymnaſiis ſuis remanſerunt. Vide, quam fides argumentis præponderet. Illi quotidie à ſuis conſortibus deſeruntur, quia copioſe diſputant: iſti quotidie creſcunt, qui ſimpliciter credunt. Non creditur Philoſophis, creditur piſcatoribus; non creditur dialecticis, creditur publicanis.* Philoſophi non tantum impugnabant rationes intrinſecas, ſed & rationes extrinſecas ſeu motiva credibilitatis. Hi debellati ſunt non rationibus extrinſecis, non intrinſecis, ſed auctoritate & fide.

S. *Auguſtinus* varie id argumenti perſequitur, ut Lib. I. de Trinitate Cap. I. n. 1. & 3. Item Lib. XIII. contra Fauſtum, maxime Cap. XIV. & XVIII. & ibidem Lib. XII. Cap. XLV. aliiſque multis locis. Et Libro de Utilitate credendi Cap. XVI. moratam plane ſententiam dicit. Cum enim Cap. XIII. probaſſet, hominem ſtultum, id eſt nondum ſapientem non poſſe neque ipſam ſapientiam agnoſcere, neque certum doctorem ſapientiæ, donec purgetur ejus animus. Si enim ipſi ineſſet ſana ratio, qua verum doctorem à falſo diſcernere evidenter poſſet, non eſſet ſtultus, nec indigeret doctore; tum C. XVI. pergit: *Sola eſt auctoritas, quæ commovet ſtultos* ,, ut ad ſapientiam feſtinent. Quamdiu intelligere ſincera poſſumus, authoritate quidem decipi miſerum eſt, ſed certe miſerius non moveri. Si enim DEI ſapientia non præſidet rebus humanis, nihil eſt de religione ſatagendum. Sin vero & ſpecies rerum omnium, quam profecto ex aliquo veriſſimæ pulcritudinis fonte manare credendum eſt; & interior neſcio quæ conſcientia DEUM quærendum Deoque ſerviendum meliores quosque animos quaſi publice privatimque hortatur; non eſt deſperandum, ab eodem ipſo DEO authoritatem aliquam conſtitutam, quo velut gradu certo innitentes attollamur in DEUM. ,, *Hæc autem ſepoſita ratione, quam ſinceram intelligere, ut ſæpe diximus, difficillimum ſtultis eſt, dupliciter nos movet partim miraculis, partim ſequentium multitudine.* Deinde facit aliquem objicientem: *Nihil horum eſt neceſſarium ſapienti.* Et mox reſpondet: *Quis negat? Sed id nunc agitur, ut ſapientes eſſe poſſimus, id eſt, inhærere veritati: quod profecto ſordidus animus non poteſt. Sunt autem ſordes animi, ut brevi explicem, amor quarumlibet rerum præter animum & DEUM: à quibus ſordibus quanto eſt quis purgatior, tanto verum facilius intuetur. VERUM IGITUR VIDERE VELLE UT ANIMUM PURGES, CUM IDEO PURGETUR UT VIDEAS, PERVERSUM CERTE ATQUE PRÆPOSTERUM EST. Homini ergo non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, auctoritas præſto eſt; quam, ut paulo ante dixi, partim miraculis, partim multitudine valere, nemo ambigit.*

Idem *Auguſtinus* Libro de Vera Religiooe Cap. 34. *Animæ*, inquit, *medicina diſtribuitur in Auctoritatem & rationem. Auctoritat fidem flagitat, & rutioni præparat bominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quamquam neque auctoritatem ratio penitus deſerit, cum conſideratur, cui ſit credendum: & certe ſumma eſt ipſius jam cognitæ atque perſpicuæ veritatis auctoritas.*

Paucis pro more rem abſolvit S, *Thomas*: 2. II. Qu. II. Art. I. ad 1mum *Fides*, ait, *non bабet inquiſitionem rationis naturalis demonſtrantis id quod creditur; babet tamen inquiſitionem quandam eorum, per quæ inducitur bomo ad credendum: puta quia ſunt à Deo dicta & miraculis confirmata.* Quæ tamen ipſa non niſi per auctoritatem & traditionem diſcimus Adde S. *Ambroſium* Lib. I. de Jacob Cap. I. & Pritanium Lib. I. Cap. XI. fin. & Cap. XII. init.

Fides infuſa præcedit rationem omnem.

20. Hæc hactenus de fide & aſſenſu naturali jure naturæ debito etiam Chriſtianæ religioni. Nam fides divinitus infuſa per illapſum ac motionem internam, omnino poteſt ac ſolet præcedere ratiooem & externam & intrinſecam. Idem enim DEUS, qui animæ ante non intelligenti dedit, ut intelligere poſſet naturalia, dat etiam aſſentiri ſupernaturalibus ante quam intelligat. Ut Saulo accidit, qui ſpirans minarum & cædis in Chriſti membra ſubita luce intus perſtrictus eodem momento ſervum ſe Chriſti profeſſus exclamavit: *Domine, quid me vis facere?* Nunquid hanc fidem ratio ulla præceſſit?

Objectio. Revelata eſſe ſupra naturam, nec credenda. Solvitur.

Thema XII. Vane objicitur: Revelata ſunt ſupra naturam: natura non poteſt ea capere: ergo naturaliter non obligamur ad iis aſſentiendum.

℞. 1. Cauſa prima eſt ſupra naturam & tamen tenemur eam agnoſcere.

℞. 2. Quando DEUS aliquo modo ſe communicat cum creatura, tum jam *non omnino* eſt ſupra illam. Communicat autem ſe per ipſam revelationem, per miracula, per auctoritatem & perpetuitatem Eccleſiæ ſuæ datam: quæ ſunt media manifeſtativa extraordinaria, ſicut gubernatio mundi eſt ordinarium.

℞. 3. Argumentum probat nimium, ergo nihil: nempe probat hominem *ne poſſe* quidem credere ſeu aſſentiri: ſine miraculo.

℞. 4. Sophiſma eſt in æquivocatione verbi capio. Sicut hoc: avicula non poteſt capere fontem: ergo nec bibere de fonte. Sic idiota non capit demonſtrationes philoſophi, illas tamen credit. Vid, S. *Thomas* contra Gentes Lib. I. cap. III. & 2. II. Qu. II. art. III. V.

Tenemur cavere agnitioni divinæ contraria.

Them. XIII. Jure naturæ obligamur cavere ea, quæ Fidei & agnitioni divinorum ſunt contraria, aut nobis poſſunt vicinum periculum errroris procreare:

Qualia ſunt 1. In dubium vocare, quæ confirmata auctoritate vera de DEO didicimus, 2. Diſputationem ſuſcipere cum infidelibus, niſi probe munitus ſis. Vid. S. *Thomas* 2. II. Qu. X. art. VII. *Suarez* de Fide Diſpot. XX. Sect. I. 3. Legere aut oon prohibere libros atheorum, Naturaliſtarum, hæreticorum & indifferentiſtarum. *Suarez* loco cit. Sect. II. 4. Juri naturæ aliquorum heterodoxorum ſtudere, quorum ſcribendi ſcopus fuit fidem revelatam deturpare & ex animis ejicere. 5. Multo magis fidem, DEUM ac divina abjicere. Jdololatriam committere &c.

Dubia. Diſputationes incautas, Libros infideles, Jus naturæ larvatum. Idololatriam &c.

Probatur.

1. Juris naturæ eſt & quidam negativi præcepti ſemper obligantis, abſtinere ab iis quæ ſervituti noſtræ graviter adverſantur, & quæ ab ultimo fine abducere nos propinquo periculo poſſunt. Hæc autem, quæ numeravimus, ſunt ejusmodi. Igitur ea jure naturæ tenemur vitare.

2. Quapropter S. Paulus & Eccleſia divinè conſtituit, ne ordinarie ſaltem pro epiſcopis aſſumantur neophyti ſeu recens ad fidem converſi; quia ordinarie poſſet eſſe periculum, ne noo ſatis ſint in fide confirmati, & doceant prava.

Platonis lex de impiis excommunicandis.

3. Ideo Plato etiam in ſuis legibus Lib. X. cooſtitoit, ut male de divinis ſentientes excommunicarentur. *In correctionis carcerem non minus quam quinquennium permanſuros judex conjiciat. Quo in tempore nullus cum ipſis civium colloquatur, præter eos, qui nocturni cætus participes ſunt, bi vero admonentes ad ſalutem animæ colloquantur. Cum autem vinculorum tempus exactum fuerit, qui modeſtior factus eſt, una cum modeſtis babitet: quodſi rurſus impietatis crimine condemnabitur, morte plectatur.* Hæcque conſtituis in eos, qui io ſe ſolis ita deſipiunt.

4. De illis autem, *qui ad ſe multos alliciunt attrabuntque* & lenocinio idiotas, domos item & civitates univerſas conantur perdere, jubet in abſtruſis carceribus vinciri, nec ullum liberum unquam ad eum accedere. Et ſi moriatur, cadaver extra fines regi-

onis

Google

onis projici inſepultum, quin cuiquam liceat eum humare. Quodſi enim nummorum adulteratores plecti fas eſt eorumque fraus arcenda, quanto magis id convenit in adulteratores doctrinæ divinæ?

De libris circa mores edendis.

5. Idem etiam Plato damnat vetatque in Requblica legi Homerum & Heſiodum & ſimiles iis Poëtas, qui ſoli tunc apud Græcos morum erant ſcriptores? quod DEO! inconvenientia canerent. Lib. II. De Republ. At heterodoxi aliqui ſcriptores inconvenientia DEO etiam ipſi ſcribunt vel principia juris talia ſtatuunt, ex quibus ſequi poſſit, hominem ſic factum à DEO, ut finem in commodis hujus vitæ habeat: ut præmia boni nulla; ut pœnæ injuſtorum qui tota vita potentes fuerunt, nullæ ſint: ut improvidus argui DEUS injuſtusque poſſit: ut præcepta naturæ ſervari nequeant: ut Chriſtus quamquam DEUS Juris conſtituendi vim in alios prorogare non potuerit, ſed Eccleſiæ Chriſti jura hinc à conventiculis hominum, hinc à tolerantia principum proficiſcantur: aliaque quæ alibi exagitavimus, in *Larva detracta.*

6. Rurſus Plato vetat edi aut ſcripto communicari, legique, quæ ad mores pertinent, niſi à cuſtodibus legum examinata atque approbata. *Nemo poëta præter civitatis leges & juſta vel honeſta vel bona fingere quidquam audeat Nec liceat, quæ compoſuerit, ulli privatorum oſtendere, antequam conſtituti hac de re judices legumque cuſtodes & viderint & approbaverint.* L. VII. de legibus.

7. Hæcque omnia Plato non ex ſacris noſtris literis didicis, aut divina revelatione, ſed naturali lumine rationis; ut ſrivola ſit & temeraria heterodoxorum inſultatio, cum Catholicam eccleſiam incuſant tyrannidis, ut quæ contra rationem & co-.ra naturæ jura prohibeat conſortium falſa & impia docentium, eorumque libros legere & ſcholas peſtilentiæ frequentare prohibeat. Imo contra naturæ jura delinquunt, qui ea non prohibent, ſi periculum appareat.

8. De vitiis autem & peccatis contra DEI agnitionem ac cultum vid. ampliſſima Doctrina S. Thomæ 2. II. Qu. X. uſque ad XV. & Theologi in illam partem.

CAPUT IX.

De Officiciis Spei in DEUM.

Illicitum ſpem ſummam in ſe aut creatura ponere.

Thema. I. JUre naturæ illlcitum eſt ſpem ſummam ac ultimam ponere in ſeſe, aut in alio homine, aut qualibet creatura, aut fortuna ac fato tanquam diverſis à volnntate DEI.

1. Omnis enim homo, omnis pura creatura agnoſcitur ſerva, ſubjectaque altiori domino: ſumma autem ſpes non poteſt ſine injuria poni in ſubdito, ſed debet poni in ſummo. Vid. Cap. IV. de fine ultimò.

2. Fortuna ſi à DEO diſtinguatur ſive à DEI providentia ac gubernatione, nihil eſt præter inane nomen. Idem de ſato.

3. De ſpe in homine collocanda vid. S. Thomas II. 2dæ Quæ. XVII. Art. IV De Præſumptione ſui vid. idem ibid. Quæſt. XXI. Qua ſui præſumptione peccat ſtoica cacoſophia. Non enim tantum ſuis ſolis viribus omnes paſſiones deprimere, ſed & puritatem DEO æqualem aut omnino majorem conſequi, jactabant. *Hæc dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus, Erit enim quaſi myrica in deſerto - - - Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit* Dominus *fiducia ejus &c.* Jerem. XVII. ℣. 5.

Them. II. Bonum qualecunque principaliter à DEO tanquam primo auctore omnis boni, jure naturæ ſperandum eſt. Sed in DEO.

1. Id agnoverunt & hodie agnoſcunt omnes gentes, qui bona à DEO primaria petunt.

2. Senſus communis eſt, ut in rebus maxime arduis & ab omni creata ſpe depoſitis homo naturaliter aſpirêt ad auctorem Optimum maximum. Quod *TERTULLIANUS* in libro, Teſtimonium animæ dicto, latius gentilibus oſtendit. Vid. P. Elbel Conferentiar. Part. II. num. 173. ſeq. *Natalis* Lib. V. Theol.

Thema III. Jure naturæ obligamur à DEO ſperare non tantum hujus vitæ bona ac commoda, ſed etiam alterius. à quo bona hujus & alterius vitæ ſperanda:

 1. Sen-

1. Senſu communi conſtat animam corpori ſupereſſe: conſtat item animam in hac vita non ſemper accepiſſe commerita præmia, commeritaſue pœnas: conſtat, juſtitiam Infinitam & providentiam infallibilem non pati, ut aliquid mali ſit ſine pæna; aliquid boni ſine prœmio. Igitur conſtat, præmia animæ ſupereſſe poſt mortem.

2. Bonum naturâ petimus non qualecunque, ſed ultimum ae ſummum; inquieti & non contenti omni bono quod ſummum non eſt. At ſummum nullum inhac vita adipiſcimur: ergo naturâ ferimur ad alteram vitam. Vid. Cap. IV. Naturâ Igitur tenemur ſperare. Them. I. Cap. VIII.

3. Sed neque præmia neque bonum ſummum poteſt tribuere niſi qui ipſe eſt ſummus ac ſumme bonus DEUS. Ergo à DEO hæc ſperanda ſunt.

4. Sine hac autem ſpe non poteſt conſiſtere ſervitus proprie humana erga DEUM: nam qui in hac vita ſolum ſperant, aut ſolum res corporeas, beſtialem tantum ſpem haberent, & ſervirent ut jumenta pro pabulo ventris.

5. Pulcher eſt de ſpe futuri locus Platonis I. de Republica. *Certo ſcias, ò Socrates,* „ quod poſtquam eo devenit aliquis, ut brevi jam moriturum „ ſe opinetur, incidit in eum timor „ & cura quædam eorum, quæ in ſuperiori vita neglexit. Etenim fabulæ, * quæ de inferis dicuntur, „ quemadmodum eos, qui injuſte egerunt, pœnas dare opporteat, irriſæ „ hactenus movent tunc animum, „ ne forte veræ ſint ſuſpicantem. Atque ipſe ſive propter ſenectutis debilitatem, ſive quod alteri vitæ propinguior illa acutius inſpicit, ſollicitudinis & timoris plenus redditur, „ atque reputat examinatque, ſi quem „ injuriâ affecerit. Qui ergo invenerit multas ſuas in vita inquitates, ex „ ipſo ſomno tanquam pueri frequenter „ excitus extimeſcit, & peſſima in ſpe „ vivit. Qui autem nullius injuriæ ſibi „ conſcius eſt, huic jucunda ſpes ſemper „ adeſt. „ Quibus ſimilia multoties Plato aliique Philoſophi inſinuant, & Communis gentium ſenſus. *Eo pacto æquiſſimo* (inquit S. Auguſtinus) *ut qui mortalis talibus bonis paci mortalium accomodatis recte uſus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem eique convenientem gloriam & honorem in vita æterna.* De Civit. DEI Lib. XIX. C. XIII. Legatur *SUAREZ* de Spe Diſput. II. Sec. I. num. 6. affirmans noſtrum Thema.

Deſperatio eſt contra jus naturæ.

Thema IV. Deſperatio Igitur, cum in DEUM fertur, ſeu potius à DEO aufert hominem, eſt contra naturam: quia ſervituti erga DEUM repugnat.

Deſperabundi ſunt athei Epicurei. ſolam fidem ſufficere dicentes &c.

In tali deſperatione vel in via ad illam ſunt omnes. 1. Animam immortalem negantes: 2. Omnes Athei: 3. Omnes Epicurei, in voluptate corporis bonum ſummum collocantes: 4. Omnes, qui manus ſibi ultro Inferunt, quod apud Romanos poſt everſam rempublicam cœpit eſſe frequeus. 5. Illi etiam, qui præ acedia nullum conatum adhibent, nullam orationem, vota nulla ad conſequendam amicitiam DEI, ſed ſine ſuo labore confidunt, bonum omne venturum, contra gnomen gentibus notam: Dii omnia labore vendunt. 6. Qui cum Epicureis providentiam negant, ſed caſu ferri omnia ſomniant. 7. Qui dæmoniorum opem ſollicitant. 8. Qui ſola fide ſeu aſſenſione in divinas veritates perventuram ad DEUM animam ſperant, abſque ceterarum facultatum ſervitute. 9. Spe etiam in DEUM mala feruntur ii, quia ſine mutatione vitæ per aliqua mere externa veniam conſequi volunt; in quos multis locis invehitur Plato Lib. X. de Legibus, & alii. Et præcipue Chriſtus declarat: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Matth. VII. ℣. 21. 10. Ad deſperationem præparat timor ſeu puſillanimitas, ſuam *tantum* imbecillitatem conſiderans, neglecta bonitate ac potentia DEI.

Atque hæc omnia hisque plura accuratiſſime, uberrimeque pertractata ſunt à quibusvis fere Theologis. Qui quamquam ex ſacris ſæpe literis loquantur, Naturæ tamen in his jura non evertunt, neque negligunt, ſed rationibus exponunt. Negari enim nequit, quin eadem fides, eadem ſpes, eadem denique virtus utroque jure, naturali nempe ac politico, præcepta eſſe poſſit. plerumque ſit.

Pœnitentia poſt peccatum eſt Juris naturæ.

Thema V. Juris naturæ eſt, poſt peccatum pœnitentiam agere, id eſt, dolere ex animo: dolenda non iterum committere, & doloris remedium ſalutare à DEO ſperare: nempe veniam culpæ, & expiationem alicujus pœnæ, ſeu ſatisfactionem procurare.

1. Ita

* *Fabulas* plato non intelligit *figmenta*, ſed veterum ſermones & *Traditiones* orales, ut ex Gorgia & multis Platonis locis patet.

Probatur.

1. Ita docet fere concilium Tridentinum: Seſſio. XXIV. Cap. I. *Fuit quidem pœnitentia UNIVERSIS HOMINIBUS: qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, QUOVIS TEMPORE ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria.* Si neceſſaria, omni tempore, ergo Naturali, non poſitive tantum Jure.

2. Idem eſſe Juris naturalis docet *S. THOMAS* III. Part Q. LXXXIV. Art. VII. Alexander *NATALIS* Tom. I. Theol. Dogmat. Lib. II. Art. III. Propoſ. III. Theophilus *RAYNAUDUS* Moralis diſciplinæ Diſtinct. I. num. 282. &c. adducens multos. & Diſt. IV. num. 239 &c. Item idem Tomo IV. De virtutibus Lib. IV. Sect. III. num. 347. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. X. Qu. II. loquens quidem de Spe ſupernaturali: qui tamen omnino de ſpe ac pœnitentia naturali intelligi debet; cum loquatur de *mediis*.

3. *S. THOMAS* Lib. III. contra Gentes Cap. 158. prolixa, & accurata demonſtratione hoc comprobat. Nobis hic ſermo non eſt ad homines brutos ac ſtupidos, quales ſunt athei, quibus etiam aliunde evidentia demonſtranda tamen ob eorum cœcitatem ſunt; ſed agimus cum ingenuis & Europæis, prærerea Chriſtianis; itaque ſufficiat pro omni ratione, quod talem pœnirentiam delicti, talem reverſionem voluntatis; talemque fiduciam in DEUM exigat plane *Servitus noſtra eſſentialis* ac rationalis quam nobis incumbere omnes agnoſcimus. *Nemo enim poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam.* S. Ambroſ. Lib. 1. de Pœnitentia cap. I. n. 4. Quod autem attinet ad ſatisſactionem, ea eſt actus juſtitiæ vindicativæ, quam in internis aliquis etiam in ſe ipſum exercere debet. Vid. *Scotus* io IV. Sent. Diſt. XVI. Qu. I. & in Reportatis Lib. IV. Diſt. XIII. Qu. II. Ubi etiam probat., Pœnitentiam eſſe Juſtitiam. Et pulcre Quæſt. III. *Maſtrius* quoque in IV. Sentent. Diſp. V. Qu. III. Art. I. late probat, Pœnitentiam eſſe virtutem unam ex moralibus, & pertinere ad *Juſtitiam* partialem, conſormiter ſententiæ Scoti. Et cum *Cajetanus* aliique Thomiſtæ negant, pœnitentiam eſſe juſtitiam, non negant illud abſolute, ſed in certo quodam ſenſu: id quod eorum ratio prodit, quæ hæc eſt; quia inter hominem & DEUM non datur *rigoroſa* juſtitia. Ubi *rigoroſum* non eſt ita intelligendum, quaſi Thomiſtæ negarent, hominem rigoroſe ſubjici DEO: ſed quod juſtitia hominis erga DEUM non habeat *rigorem ſcholaſticum* definirionis juſtitiæ illius, quam ſcholaſticis placuit dicere in *rigore juſtitiam*, nempe eam, quæ perfectam æqualitatem induceret. Et in hoc ſane ſenſu Pœnitentia non eſt rigoroſe juſtitia; quia homo haud dubie nunquam perfecte æquale poteſt reſarcire aut ſatisfacere DEO. Quare nulla eſt inter duas ſcholas animorum ſed fere verborum & explicationum diſcrepantia. Quod ſalvo ſenſu ſapientiorum dixerim.

4. Hic porro eſt & fuit ſenſus non modo omnium philoſophorum, ſed omnium hodieque gentium. Vid. *STOBÆUS* ſermone 44. procemio legum Zaleuci & Charondæ *S. AUGUSTINUS* Epiſt. 234. alias 21. *PLATO* Lib. X. de Legibus. Baro Herbert de *CHERBURY* de Religione gentilium. Cap. XV. pag. 263. edit. Amſtelodam: *PICARD* Ceremonies & Coutûmes Religieuſes Diſſertatione de America. pag. 15. Anglus Alexander *ROSS* Religions du Monde. Ex cujus præfatione Num. 3. hæc transſerre juvat ad tepidos urgendos. *Animadvertere*, inquit, *licet*, *ſapientiores eſſe filios hujus ſeculi in generatione ſua filiis lucis.* „ Illi nullam detrectant pœnam, nullum onus, nec rejiciunt aut contemnunt rem ullam à ſacerdotibus ſuis aut ſapientibus ſibi imperatam. Nullum eſt medium, quod non exquirant ad beatitudinem. Vide, ut ſint alacres, devoti, & uſque ad ſuperſtitionem Zeloſi; ut prompti ad vigilandum, jejunandum, orandum, dandum eleemoſynas, caſtigandum corpus nonnunquam uſque ad mortem. Nos contra ita frigidi, negligentes, laxi, tepidique in rebus ad felicitatem noſtram æternam tantopere pertinentibus. Parum ipſis videtur, quidquid ad ſervitium falſorum deorum impenderint; nos autem quidquid veri DEI ſervituti impendimus, id omne in perditis numerammus. Illi Sacerdotibus ſuis honorem & obedientiam præſtabant; nos contemnimus noſtros. Illis non erat ſatis coram idolis in genua procumbere, ſed toto corpore proſtrati pugnis tundebant pectora, ſolo allidebant frontem, lacerabant cutem, carnem ſuam proſcindebant, exiſtimantes, hac ſe ratione diis ſuis reconciliandos, & nns &c. Falſi hi adoratores haud dubie contra nos in judicio conſurgent.

Ex ſenſu communi.

Ac præſertim contra ſpurios juris naturæ doctores, qui omnem religionem ſpuriis ratiunculis accommodantes aſpera quæque ad ſuperſtitiones & ſtultitias & exercitia Juri naturæ repugnantia ablegant.

5. DD. Proteſtantes in Relationibus Germanicis ipſorummet de Miſſione ſua Danica apud Malabares legere talia poſſunt Continuatione I. pag. 60. in ſcripto D. Ziegenbalk primi ibidem paſtoris; ex quo pauca verba Latino ſermone fideliter exprimam; „ Cum
„ plurimis, inquit, iſtorum pagano-
„ rum frequentiſſime colloquens ac
„ diſceptans affirmare nequeo vel
„ unum mihi occurriſſe Atheum, qui
„ DEUM vitamque futuram negaſſet.
„ Quin debeo adſeverare, valde mag-
„ nam ipſis ineſſe ſollitudinem acqui-
„ rendæ futuræ beatitudinis. Hinc
„ eſt, quod eorum multi futuræ vitæ
„ intuitu omnia bona ſua, domum,
„ prædia, uxores & liberos abnegant,
„ & in deſertis absconditi graviſſimam
„ pœnitentiam agunt. Vulgo autem
„ Malabares iſti gentiles adverſus ege-
„ nos admodum ſunt miſericordes
„ - - - - Hocque ipſo anno (1708.)
„ è vivis exceſſit regina Mankammahl
„ ditionis Diruwárirátschium non pro-
„ cul hinc poſitæ. De illa mihi eſt
„ relatum, magnum ab ea exſtructum
„ eſſe Brachmannum monaſterium, in
„ quo decem Brachmannum millibus
„ quotidianus præbebatur cibus: præ-
„ ter multas magnas ædes, ubi omnes
„ peregrini; & alias, ubi omnes pau-
„ peres alebantur. Id quod defunctæ
„ filia regina utut teneræ etiamnum
„ ætatis hactenus continuat. Profecto
„ ſiquis eſt populus, qui pretium
„ eleemoſynis ſtatuat, is certe eſt Ma-
„ labaricus, quique in hoc magnum
„ Chriſtianis nobis, ſed & Judæis &
„ Mahumedanis injicere pudorem poſ-
„ ſunt. Cauſa eſt ſpes beatitudinis.
„ Ex ſuis enim libris diſcunt, DEOS
„ ſæpe mendicorum habitu adipſos ve-
„ nire, periculum facturos miſericor-
„ dis animi &c.

Et in iisdem relationibus Continuatione XV. pag. 32. cum Malabarum nonnemo interrogâſſet, qua ratione homo à peccatis liberari poſſet, huicque Ziegenbalgius multa de Chriſto & aliis oſtendiſſet; repoſuit alius his verbis:
„ DEUM ſolum remittere & peccata
„ & peccatorum pœnas, certum eſt,
„ nec demonſtratione eget. DEUM
„ etiam clementem & benignum eſſe,
„ ad ſeſeque confugientibus libenter di-
„ mittere peccata æque inter nos eſt
„ certum. Rurſus DEI quendam fili-
„ um eſſe, illumque hominem factum
„ proque hominum peccatis eſſe paſ-
„ ſum, res eſt nobis non ignota,
„ quippe, qui id denus hiſtorias in-
„ ter nos habemus &c.

Quæro igitur DD. Proteſtantes præcipue (ex eorum enim numero teſtes malui adducere de Indorum ſenſu) num hic barbarorum ſenſus ſit ex revelatione divina formati, an ex lumine naturæ? Si ex revelatione; duo ipſos premunt incommoda. 1. Indorum libros divinitus revelatos fuiſſe. 2. Ex revelatione diſci poſſe naturæ officia erga DEUM, nec revelationem excludendam ab hac diſciplina. Si Indi non ex revelatione ſed ex ratione & auctoritate humana iſta didicerunt, ſequitur hæc eſſe Juris naturæ, quia ex ratione innoteſcunt. Si ſunt juris naturæ; cur illi heterodoxi hæc officia præcipua in jure naturæ omittunt, aut negant? Recte adeo S. Auguſtinus Libro de duabus animabus contra Manichæos, cap. XIV. *Vox eſt iſta naturæ. Neminem ſtultum rei hujus notitia deſeruit, Hoc nobis niſi penitus inſitum eſſet, periremus. Poteſt aliquis dicere, non ſe peccare: non autem ſibi eſſe, ſi peccaverit, pœnitendum, nulla barbaries dicere audebit.*

6. De naturali autem pœnitentia latius tractat *Raynaudus* Tom. IV. de virtutibus Lib. IV. Sect. III. à num. 347. ad 380. Videri etiam merentur ea, quæ meditatur *Contenſon* Theologiæ Tom. II. L. XI. Part. III. C. I. Coroll. I. fol. 534. &c. Et legenda *Platonis* diſputatio cum Polo, cum jam ad finem vergit de medicina injuſtitiæ, in *Gorgia*.

Thema VI. Quamvis naturaliter ſit obligatus peccator ad revertendum ſeu pœnitendum, tamen neque per hanc pœnitentiam naturalem, neque per ullum medium in natura pure creata ſitum poteſt gratiam ac amicitiam recuperare: ſed pendet hoc ex mere gratuita voluntate & per ordinariam providentiam indebito DEI munere. Sed per pœnitentiam ſaltem *aliquo modo* diſponitur, ut gratiam poſſit, non quidem mereri, ſed *recipere* gratuito dandam: id eſt non tali diſpoſitione, quæ ſit aliqua cauſa meritoria gratiæ, ſed tantum; quæ removeat impedientia ſaltem aliqua. Vid. *Aguirre* Theologiæ Anſelmianæ Tom. III. Diſp. CXVII. Sect. II.

Non tamen poteſt naturalibus mediis gratia amiſſa recuperari.

1. Rurſus is eſt ſenſus omnium gentium, qui veniam ſcelerum à Deo non aliter quam ſupplices ſervi à Domino rogant, ſeſe humiliando ſæpe uſque ad mor-

mortem : ſicut illi Indorum pœnitentes, qui curribus deorum ſimulacra deportantibus ſe ſubſternunt, ut iisdem conterantur.

2. *S. AUGUSTINUS* Epiſt. 157. aliàs 89. num. 15. *Chriſti gratia ſalvi ſunt omnes, ſive parvuli à lege peccati & mortis, cum qua nati ſumus : ſive majores, qui male utentes arbitrio voluntatis prævaricarunt legem naturalem ipſius rationis. Sive qui legem acceperunt, quæ dita eſt per Moyſen &c.* Et Epiſt. 140. ad Honoratum de gratia : num. 85. *Neceſſe eſt, ut parum diligat DEUM, qui non ab illo, ſed à ſe ipſo bonum ſe arbitratur effectum.* Et Enchiridii Cap. 82. *Non ſolum cum agitur pœnitentia, ſed etiam ut agatur, DEI miſericordia neceſſaria eſt.*

3. Videatur *S. THOMAS* Lib. III. contra Gentes Cap. 157. *BERTI* de Theologicis diſciplinis Tom. III. Lib. XVIII. Cap. III. & IV. *Maſtrius* in IV. Sentent. Diſp. V. Qu. IV. Art. I.

4. Sentêntia damnata ab Alexandro VIII. PP. an. 1690. hæc eſt : *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis, nullum accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam & inermem ſine omni gratia ſufficiente.* Quæ propoſitio videtur etiam noſtro themati repugnare. Et alia Michaëlis Baji damnata : *Quod pie, & juſte in hac vita mortali usque in finem converſati vitam conſequantur æternam, id non proprie DEI, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ, juſto DEI judicio deputandum eſt, nec in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani. &c.*

5. Porphyrius philoſophus Platonicus unus de poſtremis, qui nomen habent, poſtquam Philoſophos veteres, & hiſtorias etiam populorum anxie perſcrutatus eſt ad hoc, ut inveniret viam liberandæ animæ, Quid dicit autem ſe inveniſſe tum ex ſua ratione tum ex aliorum traditione? Dicit, *nondum RECEPTAM unam quandam ſectam, quæ UNIUERSALEM continet viam animæ liberandæ &c. nondumque in ſuam notitiam eandem viam hiſtoriali cognitione perlatam. Ita ei non ſufficiebat, quidquid de anima liberanda ſtudioſiſſime didicerat, ſibique, vel potius aliis noſſe ac tenere videbatur; Sentiebat enim adhuc ſibi deeſſe aliquam præſtantiſſimam auctoritatem, quam de re tanta ſequi oporteret.* Agnoſcebat Porphyrius, homo acutus, multa à Philoſophis ac gentibus tradita receptaque eſſe ad liberandam animam, putabat autem, hæc, quia humana, non ſufficere. Equidem poterat (cum tempore Diocletiani vixerit) agnoſcere viam Chriſti. Sed eodem tempore DEUS permiſerat, ad teſtium veritatis ſeu Martyrum numerum augendum, Eccleſiam Chriſti in crudeliſſima perſecutione eſſe. *Videbat iſta Porphyrius, & per hujusmodi perſecutiones cito iſtam viam perituram, & propterea non eſſe ipſam liberandæ animæ univerſalem putabat : non intelligens, hoc, quod eum movebat, & quod in ejus electione perpeti metuebat, ad ejus confirmationem robuſtioremque commendationem potius pertinere.* S. Auguſt. Lib. X. Civit. Cap. XXXII. Nulla ergo eſt via ab hominibus excogitabilis liberandæ à peccato animæ, niſi eadem ſecum ferat gratiam omnipotentis. Sed hanc ſecum ferre nequit, niſi qui ipſe eſt ex deitate, ut Chriſtus. Et audeat quis in ipſa Chriſtianitate ad hanc quærendam nos non naturæ jure obligari? quod in heterodoxorum confuſionem Porphyrius agnovit. Add. L. XIV. Cap. XI.

Altius autem hæc rimari non imbecillium, non eſt præſumptuoſorum, non curioſorum, non occupatorum vel aulicorum; ſed doctorum in lege DEI die ac nocte, qui & ipſi cautiſſimi debent hoc in negotio eſſe.

Thema VII. Jure naturæ tenetur homo in tentatione peccati cujuscunque conſtitutus, ad auxilium DEI confugere implorando, orando, credendo, ſperando, præſentiam ejus cogitando, vel ſimili aliqua animi converſione ad DEUM.

Jure naturæ in tentatione implorandum auxilium DEI.

1. Servi enim officium eſt ſe in ſervitute conſervare per eum, qui poteſt: at hominem ſervum in ſervitute conſervare ſolus DEUS denique poteſt : igitur ad illum ſe debet convertere, vel ad alios, qui DEO ſubordinati ſunt, ut ſapientes ac pios homines, eorum libros &c. V. S. Thomas 2. II. Qu. LXXXIII.

2. Ratio hoc dictavit *PLATONI*, qui Lib. IX. de Legibus eum, quem ſacrilegii tentatio ſubiit, alloquitur : O mirabilis vir! *non humanum te malum neque divinum ad ſacrilegia vertit, ſed exitiale quoddam noſtrum ex priſcis atque inexpiatis flagitiis innatum hominibus circumagitans, quod cunctis viribus effugere debes.* „ Quomodo autem effugies, audi. Cum talis oboritur in animo cogitatio, confuge ad expiationes, obſecro; confuge ad liberatorum deorum ſacrificia ſu-

Reipſa non eſt contrarius.

6. Quo rite poſito nobiſcum plane Pritanius ſentit. Is enim primum negat, rationem intrinſecam præcedere debere fidem ſeu aſſenſum rebus divinis præſtandum; quia connexionem metaphyſicam divinorum capere non eſt noſtrum, niſi ſingulari dono DEI. Deinde docet, Rationem *extrinſecam* debere præcedere fidem illam ſeu aſſenſum divinorum, quæ ratio extrinſeca cum nihil ſit aliud, quam *credulitas*, credulitas autem ex auctoritate proficiſcatur; manet profecto, auctoritatem in negotio religionis præcedere.

De motivis credibilitatis.

7. Aliàs Pritanius rationes extrinſecas vocat conſueto ſuo nomine *Motiva credibilitatis*: motivum autem ſeu principium credibilitatis non eſt ratio; ratio enim eſt principium ſcientiæ aut opinionis. Eſt vero motivum credibilitatis auctoritas, ideo enim credibilis fit ſeu credi poteſt aliqua res, quia auctoritas illud aſſerit, ſicut credibile eſt Julium Cæſarem Romæ imperaſſe & occiſum eſſe, quia ejus rei tot nobis ſunt auctores.

Theologi late tractant.

8. Hoc argumentum ante Pritanium auctiſſime ac copioſiſſime pertractarunt celeberrimi Theologi ſcholaſtici, neque ita lubricum reliquerunt, ut aliquibus incautis eſſe poteſt Pritanii liber non ſatis ſeparans ſeparanda. Quærunt itaque Theologi: Quid ſit illud, quod nos moveat ad credendum ipſi alicui doctrinæ aut propoſitioni divinæ? Et reſpondent uno ore, hoc motivum non eſſe rationem intrinſecam ſupra explicatam, ſive repræſentatam noſtro intellectui connexionem metaphyſicam prædicatorum eſſentialium DEI &c. Quia hæc intellectui naturaliter plerumque eſt impoſſibilis. Sed dicunt Theologi, motivum, cur aſſentiamur objecto alicui divino, eſſe Revelationem, manifeſtationem, locutionem aliquam, verbo auctoritatem DEI, quæ animo ita firmiter obverſatur, ut captivum ſe huic ſubmittat, quemadmodum diſcipulus ſe ſubmittit auctoritati dicentis magiſtri apprehenſæ; etiam ubi nihil rationis videt, cur aut quomodo ſe habeant magiſtri præcepta. Atque hæc denique auctoritas ſeu veracitas DEI loquentis ſeu Revelantis eſt ac dicitur *Motivum formale credendi*. Quicunque enim animo ſuo apprehendit, hoc vel illud ſibi eſſe à DEO dictum aut revelatum (undecumque demum hanc revelationem didicerit, ſive interno quodam illapſu numinis, ſive externo ſignificatu) is DEO auctori negare aſſenſum ſine piaculo nequit.

***Motivum CREDENDI* quodnam?**

9. Altera autem jam naſcitur quæſtio: unde homini conſtare poſſit de revelatione facta? An ratione intrinſeca ſeu formali, an extrinſecis ſignis & teſtimoniis probanda ſit? Et quæſtio inſtituitur de nobis, qui jam non immediate à DEO accipimus tales revelationes, ſed revelationes ac manifeſtationes aliis atque olim factas accipimus per eosdem per manum ſecundam, tertiam, decimam, aut centſiemam?

10. Nam illi, qui primi acceperunt revelationem, paulo aliter ducebantur quam nos: v. g. Mulier Samaritana cum Chriſto loquens ipſamet audivit & plane ratione experimentali intellexit, Chriſtum ſciviſſe abſcondita: & ex hac ſcientia intulit, ipſum eſſe virum divinum. Hæc ſcientia non fecit Chriſto auctoritatem apud mulierem, ſed fuit medium agnoſcendi. Contrà nos, qui eandem hiſtoriam legimus in libris, audimus ex ſuggeſtibus eccleſiæ, diſcimus hanc divinæ virtutis manifeſtationem ſeu locutionem, non ſcientia aliqua experimentali, non demonſtratione per cauſas ducta, ſed auctoritate dicentis eccleſiæ. Revelatio enim eſt *Facti*: Facta autem his tantum duobus modis in noſtram notitiam perveniunt: experimento ipſo, aut teſtibus, aut effectuum exiſtentia.

Facta non poſſunt ratione probari.

11. Quidquid igitur eſt tale, quod nobis probet, Revelationem divinam nobis veraciter per media tradi, illud dicere ſolemus *motivum credibilitatis*, quia hæc ſunt media, per quæ nobis humano modo poſſibile ſit, ut fidem deinde ipſis revelationis objectis adhibeamus. Quodſi enim hæc motiva nobis non adeſſent, non poſſemus ulterius ad credendum procedere.

***Motivum CREDIBILITATIS* quodnam?**

12. Quidquid jam de his motivis credibilitatis diſputetur, dico, in noſtra hodie fide, qui mediate accipimus revelationem, ordinarie ſemper auctoritas ante rationem eſt. Ordinarie ſemper credimus primo teſtimonio referentis eccleſiæ: deinde demum ſapientiores ſaltem diſquirunt & librant, unde, quam magna aut gravis ſit hæc auctoritas, & quibus momentis ſtet? quod tamen non infrunite, imo cum magna circumſpectione eſt agendum. Nec Pritanius ipſe aliter ſe ad divina perveniſſe dicere poterit.

Miracula &c. nobis innoteſcunt non ratione ſed auctoritate.

13. Imo ipſa momenta, per quæ teſtimonium eccleſiæ videtur probari & quaſi ratione fulciri, in noſtra hodie cognitione non præcedunt auctoritatem: qualia ſunt *miracula* Chriſti & Apoſtolorum, *Martyrum* certamina & victoriæ, prædicatio in omnem terram

dif-

diffuſa, *ſucceſſio* continua ſacerdotum, *unitas* doctrinæ per tot loca ac tempora. Hæc quidem nos præceſſerunt: & omnia ſunt *facti*: itaque ad noſtram cognitionem veniunt per teſtimonium, id eſt per auctoritatem. Unde enim in animo meo concepi, martyres occubuiſſe? in India prædicari Chriſtum? doctrinam hodiernam eſſe eandem quæ fuit ante annos mille? Hos libros eſſe Matthæi, Pauli, Irenæi, Auguſtini, Gregorii? Nequeunt hæc ratione mihi demonſtrari, ſed auctoritate teſtium nituntur, qui cum ſint tanti, & divina aliqua virtus eis vim addat, nequeo dubitare de eorum aſſertione. Sicut nequeo dubitare, niſi ſim ſtolidus, extra meam patriam dari agros & homines & aërem, quamvis id nec experimento viderim, nec quisquam ulla ratione demonſtrare id valeat.

quia ſunt facti.

Theologi *evidentiam* aut *probabilitatem* credibilitatis exigentes non ſunt contrarii.

14. Ceterum Theologi pro foecunditate ingenii ſui non pro neceſſitate diſputant: utrum credibilitas hæc revelationis factæ debeat homini eſſe *evidenter* propoſita, an ſufficiat *probabiliter* propoſita credibilitas. Si recte perſpiciatur, videtur lis de nomine: nam *evidentiam* talem, quæ ſit ratione demonſtrata & ſcientifica, nemo unus deſiderat in vaſculo tam infirmo. Rurſus *Probabilitatem* talem, quæ ſit conjuncta cum formidine oppoſiti, atque adeo ſit mere opinativa, nemo unus admittit ſufficientem eſſe in re tanti momenti. Igitur omnes petunt *certitudinem* talem; quæ ſit major omnibus oppoſitis, & hæſitationem excludat, aut infirmitatem aſſenſus. Seu ergo illam certitudinem dixeris evidentiam, ſeu probabilitatem, ſeu prudentiam, de nomine nihil intereſt, dum conſtet de re. Et quisquis pugnat, auctoritatem ſeu motiva hæc credibilitatis in religione nihil aut minus valere, is impugnat vim *TRADITIONIS*, quæ tamen poſt divinam immediatam illuminationem eſt medium unicum ordinarium ad fidem. Vid. *Pouget* Doctrina Chriſtiana ſeu Inſtitutiones Catholicæ Part. II. Sect. II. Cap. II. §. 4. *Suarez* de Fide Diſput. V. & diſp. IX.

Certitudinem moralem omnes exigunt.

Suareſii probatio.

12. *Suarez* ergo Diſput. III. de Fide, Sect. VIII. num. 5. ait: *Quando Fides proponitur mediate per prædicatores, certum de fide eſt, & experimento cognitum, non eſſe neceſſariam evidentiam divini teſtimonii; quia conſtat, ſimplices fideles, & omnes ſic* (id eſt, mediate) *credentes non habere hanc evidentiam ipſius revelationis, ſed ſolum credibilitatis ejus. - - - - Ex his ergo ſatis conſtat, non eſſe de neceſſitate fidei, ſecundum ſe ſpectata, evidentiam DEI revelantis, ſeu quod revelatio ſit à DEO. - - - - Nam quod per ſe alicui convenit, ſemper & ubique convenit.* Et quando idem Suarius Diſput. IV. num. 5. videtur evidentiam requirere, loquitur ibi non de evidentia revelationis factæ; ſed de evidente propoſitione ipſius *objecti* fidei, quæ diverſa ab hac quæſtio eſt.

Scotiſtarum.

13. Scotiſtæ quoque communiter tenent cum Scoto in III. ſentent. Chriſtianam religionem eſſe quidem evidenter credibilem, ſive evidentia morali conſtare de auctoritate divina eidem religioni inhærente. Non autem ſemper neceſſarium eſſe ad judicium practicum de credendo ſeu aſſentiendo, ut *evidentia* morali conſtet. Quia major fidelium pars eſt incapax ad obtinendum naturæ ſuæ viribus (de his ſolis hic eſt ſermo) talem evidentiam; cum tot res ac tot argumenta, quæ ad hoc probandum requiruntur, non poſſit complecti. Fieri enim poteſt, ut aliqui etiam ſacerdotum non habeant ſemper in promptu ſufficientia argumenta ad probandam clare revelationis exiſtentiam, ut ait *Maſtrius* in III. Sentent. Diſp. VI. Qu. X. art. II. Quibus hæc non ſufficiunt, ii conſulant etiam *Contenſonum* Thomiſtam in Theologia Mentis & cordis Lib. VII. Diſſert. II. Cap. II. Speculatione II. & alios paſſim doctores.

Pritanius *prudentem* aſſenſum juſte exigens.

14. Nec valet Pritanius multum, quando urget: *Prudentem* eſſe debere aſſenſum fidei, & hinc præcedere debere dubitationem, & dubitationes *rationibus* tollendas eſſe. Nam *prudens* eſt aſſenſus etiam ſine evidentia & ſine dubitationum *ultro* excitatarum reſolutione per rationes; modo tanta ſit certitudo, qua majorem *reſpective* ad tempora & perſonas &c. non poteſt habere. Vid. *Maſtrius* loc. cit. num. 305. *Suarez* de Fide diſput. IV. Sect. V. num. 8. & 10. Exemplum eſto Codex Juris civilis. Is recipitur à noſtris civibus, advocatis, judicibus, doctis, indoctis. Eas leges eſſe à Conſtantino, Theodoſio, Honorio, Juſtiniano, denique ab Imperatoribus latas, & Imperatorem *locutum eſſe* multis etiam judicibus non *evidenter* conſtat; quorum ſunt forte perpauci, qui ratione vel una aut argumento id probare auſint, nec forte unquam talem probationem audiverint. Prudenter tamen credunt *locutum* eſſe auctoritative imperatorem: & ex hac auctoritate credita ſine ulla hæſitatione conformiter his locutionibus & ferunt ſententias & admittunt, & vitam civilem ſecundum hanc auctoritatem ordinant, ſecundum hanc hominum fortunas vitam ſangui-

nemque regunt: non ordinaturi, niſi certo crederent.

Non debuiſſet forte dubitationibus januam aperire.

Dubitandum autem eſſe ad hoc ut certo credas, paradoxum videri poteſt. Simplicioribus hoc Pritanli conſilium eſt magno periculo, neque hoc illis ipſe ſuadet: at illi tamen ex decem eccleſiæ partibus ſaltem novem cum dimidia efficiunt. Sapientes & docti ipſi viderint, num tantum lpſis in ratione ſua fiduciæ ſit, ut huic ſe pelago tuto committant. Viderint autem, ne evaneſcant ln cogitationibus ſuis, neu dum rationem, quæ nihil profuit philoſophis & hæreticis, ſectantur, amittant fidem, quæ ſola prodeſt. Vereor certe, ne D. Pritanius, dum *regnum rationis* hodie invaleſcens etiam in aliis libris ſuis tantopere prædicat, puſillis multis aut ſemidoctis occaſio ruinæ ſit. Non enim omnes paſſim, imo Phœnicis inſtar, pauciſſimi ſunt ln orbe rerrarum tam ſublimi vaſtoque ingenio, quanto magnus ille vir: cujus arma ſuo pede dimenſa non congruunt nobis pumilis & humi reptantibus. Nam qui dubitat de ipſis motivis credibilitatis, unde dubia reſolvet? Ex ratione ſua? At *qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit*. S. Bernard Ep. 87. *Cunctis pene Sapientibus contingere ſolet, in rebus videlicet dubiis plus alieno ſe quam proprio credere judicio*. Idem Epiſt. 82.

Quod Manichæi promiſerant.

15. Manichæi hæretici, ut populum à Catholica religione averſum ad ſe pertraherent, criminabantur, Catholicos irrationabiliter credcre, quia rationem credebilium non antè reddebant, quam fides eſſet accepta. Illi vero promittebant, nihil ſe tradituros, cujus rationem credendi non ante reddidiſſent: profitebantur adeo *regnum rationis*. ld quidem Mancihæi neutiquam præſtare potuerunt, ſed aut frivola tradlderunt, aut inter ſe pugnantia, aut ad hoc redacti plerumque ſunt, ut auditorem *prius* credere multa juberent; aut in aliis refutandis diſerti ln ſuis probandis infirmi fuerint. S. Auguſtinus Ratione præcipue in juventute delectatus hac velut eſca ab his ſeductus fuerat, ut Manichæorum ſe diſcipulum profiteretur. Profeſſus hanc hæreſim: rationem promiſſam nequaquam invenit: tranſiit igitur in caſtra ſaluberrimæ auctorltatis, librumque ea de re conſcripſit, qui eſt de *Utilitate credendi*, ubi ampliſſime probat, Fidei præcurſorem non eſſe rationem ſed auctoritatem ante rationem, non tamen excluſa ratione.

Confutati à S. Auguſtino.

Pherepo nus. ſeu J. *Clericus*.

16. Perſonatus aliquis *Pherepomus* qui & ipſe ob aliqualem Critices (ideſt de omnibus dubitandi, ut hodiernus mos fert) ſcientiam viſus eſt ſibi *regnum rationis* adeptus eſſe, cœpit tum Patres reliquos, tum præcipue Auguſtinum traducere, velut hominem aſinorum anteſignanum, Crimini ergo ei dabat, proditam veritatem, hoc eſt, velle Auguſtinum, ut ſtupida ſit, & aſinina religio Chriſtiana, quæ credere juberet excluſa ratione, forte etiam contra illam. Sub Phereponi larva Joannem *Clericum*, criticum Batavum latere, ipſe non inficlas ivit Angelo *Quirino* nunc Eminentmo Cardinali epiſcopo Brixienſi; unà profeſſus, Auguſtino ſe pretium ſummum omnium Patrum facere, Phereponianas autem notas ſe confeciſſe *non ex doctrinæ Auguſtinianæ contemptu; ſed quod res omnino iniqua ſibi videretur, Batavos magiſtratus ejusdem doctrinæ auctoritatem obtendentes fas ſibi eſſe arbitrari, quosvis adparendum Dordracenæ ſynodi decretis adigere, perinde ac ſi in ea regione poſt detractum Romanæ Inquiſitionis jugum, aliud & quodammodo durius conſcientiis incolarum imponi per ea decreta, æquo animo tolerare quis poſſet*, *E. C. QUIRINUS* Commentar. de Reb. pertinentibus adipſummet. Part. I. Lib. I. Cap. III. p. 47. Itaque non contemnendam adeoque nec falſam & futilem Auguſtini doctrinam agnovit Clericus, ſed veram: & tamen eam impugnavit, cauſa non populi, non animarum, non virtutis, ſed metu, ne *regnum rationis*, id eſt ſpiritum ſuum privatum ſequendi infinita libido everteretur, quæ libido frœnum eccleſiæ Catholicæ ab Auguſtino explicatum excuſſerat.

Auguſtinum traduxit.

pravo amore regni rationis ſpuii.

Pritanius illum confutans, in regnum rationis & ipſe procivior.

17. In hunc conſurrexit Pritanius, ejusque imprudentiam caſtigavit. Verum quoniam *regnum rationis* etiam ipſi res videtur magna & ceteris eminentior, voluit in ipſa confutatione huic conſultum. Hinc factum eſt, ut, cum alii dicunt fidem Chriſtianam præcedi debere à motivis credibilitatis, traditione & auctoritatibus; ipſe Pritanius maluerit dicere, præcedere debere *rationem* extrinſecam; quamquam revera ratio extrinſeca aut ſit ipſa auctoritas; aut per auctoritatem naſcatur. Ita factum eſt, ut Pritanius adverſarium ſibi fecerit Auguſtinum, quem defendendum ſuſcepit. Si enim Pritanius dixiſſet, auctoritatem præcedere, notitiam & agnitionem qualemcumque ſequi, dixiſſet idem quod Auguſtinus: Nunc Pritanius maluit pro voce auctoritatis uti nomine *rationis*,

nis: igitur occaſionem præbuit aliis ſuſpicandi, Ipſum ab Auguſtino diſſentire. Auguſtinus enim paſſim & conſtanter, illo præſertim libro, adeo rationem antecedentem rejicit & auctoritatem antecedentem requirit, ut damnare Pritanium videatur, qui rationem, nomine ſaltem talem, præcedere debere contendit.

Auguſtinus Pritanio adverſus videtur.

18. Auguſtinum porro rationem in genere poſteriorem ſtatuere, nec eam ante fidem requirere ſed auctoritatem, planum eſt ex toto libro, ut Cap. VII. num 14. &c. & Cap. VIII. Suummet quondam aberrantis exemplum refert, & concludit: *Vera religio, niſi credantur ea, quæ quisque POSTEA, ſi ſe bene geſſerit dignuſque fuerit, aſſequatur atque percipiat, & omnino ſine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto poteſt.* Neu vero Pritanius contendat, Auguſtino hic intelligi rationem *intrinſecam* poſtea aſſequendam; obſervandum eſt, hic non poſſe intelligi rationem intrinſecam rerum credendarum naturalem, quæ nec ante nec poſt Fidem haberi de divinis myſteriis poteſt; ſed talem quæ bonæ vitæ concedatur ac donetur: id eſt ſupernaturalem quandam illuminationem.

Patrum quædam dicta huc pertinentia.

19. Poſt longam hanc tibi forte inutilem digreſſionem juvat pauca quædam Patrum in hanc rem monita ſubnectere, docentia, ne in religionis negotio curioſius quæras rationem præ fide & auctoritate ſectari; quod faciens *& tibi eris auctor periculi, & ceteris temeritatis exemplum. S. Auguſt. de Util. Cred. Cap. X. fin.*

Sanctus *Ambroſius* Lib. 1. de Abraham. Cap. III. n. 21. *Bonum eſt, ut rationem præveniat Fides, ne tanquam ab homine ita à Domino noſtro rationem videamur exigere. Etenim quam indignum, ut humanis teſtimoniis de alio credamus, DEI oraculis de ſe non credamus?*

Idem Ambroſius Lib. I. de Fide Cap. XIII. n. 84. *Aufer hinc argumenta, ubi Fides quæritur. In ipſis gymnaſiis ſuis jam dialectica taceat. Non quæro quid loquantur philoſophi, requiro quid faciant? ſoli in Gymnaſiis ſuis remanſerunt. Vide, quam fides argumentis præponderet. Illi quotidie à ſuis conſortibus deſeruntur, quia copioſe diſputant: iſti quotidie creſcunt, qui ſimpliciter credunt. Non creditur Philoſophis, creditur piſcatoribus; non creditur dialecticis, creditur publicanis.* Philoſophi non tantum impugnabant rationes intrinſecas, ſed & rationes extrinſecas ſeu motiva credibilitatis. Hi debellati ſunt non rationibus extrinſecis, non intrinſecis, ſed auctoritate & fide.

S. *Auguſtinus* varie id argumenti perſequitur, ut Lib. I. de Trinitate Cap. I. n. 1. & 3. Item Lib. XIII. contra Fauſtum, maxime Cap. XIV. & XVIII. & ibidem Lib. XII. Cap. XLV. aliiſque multis locis. Et Libro de Utilitate credendi Cap. XVI. moratam plane ſententiam dicit. Cum enim Cap. XIII. probaſſet, hominem ſtultum, id eſt nondum ſapientem non poſſe neque ipſam ſapientiam agnoſcere, neque certum doctorem ſapientiæ, donec purgetur ejus animus. Si enim ipſi ineſſet ſana ratio, qua verum doctorem à falſo diſcernere evidenter poſſet, non eſſet ſtultus, nec indigeret doctore; tum C. XVI. pergit: *Sola eſt auctoritas, quæ commovet ſtultos* „ ut ad ſapientiam feſtinent. Quamdiu intelligere ſincera poſſumus, authoritate quidem decipi miſerum eſt, ſed certe miſerius non moveri. Si enim DEI ſapientia non præſidet rebus humanis, nihil eſt de religione ſatagendum. Sin vero & ſpecies rerum omnium, quam profecto ex aliquo veriſſimæ pulcritudinis fonte manare credendum eſt; & interior neſcio quæ conſcientia DEUM quærendum Deoque ſerviendum meliores quosque animos quaſi publice privatimque hortatur; non eſt deſperandum, ab eodem ipſo DEO authoritatem aliquam conſtitutam, quo velut gradu certo innitentes attollamur in DEUM. „ *Hac autem ſepoſita ratione, quam ſinceram intelligere, ut ſæpe diximus, difficillimum ſtultis eſt, dupliciter nos movet partim miraculis, partim ſequentium multitudine.* Deinde facit aliquem objicientem: *Nihil horum eſt neceſſarium ſapienti.* Et mox reſpondet: *Quis negat? Sed id nunc agitur, ut ſapientes eſſe poſſimus, id eſt, inhærere veritati: quod profecto ſordidus animus non poteſt. Sunt autem ſordes animi, ut brevi explicem, amor quarumlibet rerum præter animum & DEUM: à quibus ſordibus quanto eſt quis purgatior, tanto verum facilius intuetur. VERUM IGITUR VIDERE VELLE UT ANIMUM PURGES, CUM IDEO PURGETUR UT VIDEAS, PERVERSUM CERTE ATQUE PRÆPOSTERUM EST. Homini ergo non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, auctoritas præſto eſt; quam, ut paulo ante dixi, partim miraculis, partim multitudine valere, nemo ambigit.*

Idem *Auguſtinus* Libro de Vera Religione Cap. 34. *Anima*, inquit, *medicina diſtribuitur in Auctoritatem & rationem. Auctoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quamquam neque auctoritatem ratio penitus deſerit, cum conſideratur, cui ſit credendum: & certe ſumma eſt ipſius jam cognitæ atque perſpicuæ veritatis auctoritas.*

Paucis pro more rem abſolvit S, *Thomas*: 2. II. Qu. II. Art. I. ad 1mum *Fides*, ait, *non habet inquiſitionem rationis naturalis demonſtrantis id quod creditur; habet tamen inquiſitionem quandam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum: puta quia ſunt à Deo dicta & miraculis confirmata.* Quæ tamen ipſa non niſi per auctoritatem & traditionem diſcimus Adde S. *Ambroſium* Lib. I. de Jacob Cap. I. & Pritanium Lib. I. Cap. XI. fin. & Cap. XII. init.

Fides infuſa præcedit rationem omnem.

20. Hæc hactenus de fide & aſſenſu naturali jure naturæ debito etiam Chriſtianæ religioni. Nam fides divinitus infuſa per illapſum ac motionem internam, omnino poteſt ac ſolet præcedere rationem & externam & intrinſecam. Idem enim DEUS, qui animæ ante non intelligenti dedit, ut intelligere poſſet naturalia, dat etiam aſſentiri ſupernaturalibus ante quam intelligat. Ut Saulo accidit, qui ſpirans minarum & cædis in Chriſti membra ſubita luce intus perſtrictus eodem momento ſervum ſe Chriſti profeſſus exclamavit: *Domine, quid me vis facere?* Nunquid hanc fidem ratio ulla præceſſit?

Objectio. Revelata eſſe ſupra naturam, nec credenda. Solvitur.

Thema XII. Vane objicitur: Revelata ſunt ſupra naturam: natura non poteſt ea capere: ergo naturaliter non obligamur ad iis aſſentiendum.

℟. 1. Cauſa prima eſt ſupra naturam & tamen tenemur eam agnoſcere.

℟. 2. Quando DEUS aliquo modo ſe communicat cum creatura, tum jam *non omnino* eſt ſupra illam. Communicat autem ſe per ipſam revelationem, per miracula, per auctoritatem & perpetuitatem Eccleſiæ ſuæ datam: quæ ſunt media manifeſtativa extraordinaria, ſicut gubernatio mundi eſt ordinarium.

℟. 3. Argumentum probat nimium, ergo nihil: nempe probat hominem *ne poſſe* quidem credere ſeu aſſentiri: ſine miraculo.

℟. 4. Sophiſma eſt in æquivocatione verbi capio. Sicut hoc: avicula non poteſt capere fontem: ergo nec bibere de fonte. Sic idiota non capit demonſtrationes philoſophi, illas tamen credit. Vid, *S. Thomas* contra Gentes Lib. I. cap. III. & 2. II. Qu. II. art. III. V.

Tenemur cavere agnitioni divinæ contraria.

Them. XIII. Jure naturæ obligamur cavere ea, quæ Fidei & agnitioni divinorum ſunt contraria, aut nobis poſſunt vicinum periculum erroris procreare:

Qualia ſunt 1. In dubium vocare, quæ confirmata auctoritate vera de DEO didicimus, 2. Diſputationem ſuſcipere cum infidelibus, niſi probe munitus ſis. Vid. S. *Thomas* 2. II. Qu. X. art. VII. *Suarez* de Fide Diſput. XX. Sect. I. 3. Legere aut non prohibere libros atheorum, Naturaliſtarum, hæreticorum & indifferentiſtarum. *Suarez* loco cit. Sect. II. 4. Juri naturæ aliquorum heterodoxorum ſtudere, quorum ſcribendi ſcopus fuit fidem revelatam deturpare & ex animis ejicere. 5. Multo magis fidem, DEUM ac divina abjicere. Idololatriam committere &c.

Dubia. — Diſputationes incautæ. — Libros infideles. — Jus naturæ larvatum. — Idolatriam &c.

Probatur.

1. Juris naturæ eſt & quidam negativi præcepti ſemper obligantis, abſtinere ab iisque ſervituti noſtræ graviter adverſantur, & quæ ab ultimo fine abducere nos propinquo periculo poſſunt. Hæc autem, quæ numeravimus, ſunt ejuſmodi. Igitur ea jure naturæ tenemur vitare.

2. Quapropter S. Paulus & Eccleſia divinè conſtituit, ne ordinarie ſaltem pro epiſcopis aſſumantur neophyti ſeu recens ad fidem converſi; quia ordinarie poſſet eſſe periculum, ne non ſatis ſint in fide confirmati, & doceant prava.

Platonis lex de impiis excommunicandis.

3. Ideo Plato etiam in ſuis legibus Lib. X. conſtituit, ut male de divinis ſentientes excommunicarentur. *In correctionis carcerem non minus quam quinquennium permanſuros judex conjiciat. Quo in tempore nullus cum ipſis civium colloquatur, præter eos, qui nocturni cætus participes ſunt, hi vero admonentes ad ſalutem animæ colloquantur. Cum autem vinculorum tempus exactum fuerit, qui modeſtior factus eſt, una cum modeſtis habitet: quodſi rurſus impietatis crimine condemnabitur, morte plectatur.* Hæcque conſtituit in eos, qui in ſe ſolis ita deſipiunt.

4. De illis autem, *qui ad ſe multos alliciunt attrahuntque* & lenocinio idiotas, domos item & civitates univerſas conantur perdere, jubet in abſtruſis carceribus vinciri, nec ullum liberum unquam ad eum accedere. Et ſi moriatur, cadaver extra fines regi-

onis

onis projici inſepultum, quin cuiquam liceat eum humare. Quodſi enim nummorum adulteratores plecti fas eſt eorumque fraus arcenda, quanto magis id convenit in adulteratores doctrinæ divinæ?

De libris circa mores edendis.

5. Idem etiam Plato damnat vetatque in Requblica legi Homerum & Heſiodum & ſimiles iis Poëtas, qui ſoli tunc apud Græcos morum erant ſcriptores? quod DEO inconvenientia canerent. Lib. II. De Republ. At heterodoxi aliqui ſcriptores inconvenientia DEO etiam ipſi ſcribunt vel principia juris talia ſtatuunt, ex quibus ſequi poſſit, hominem ſic factum à DEO, ut finem in commodis hujus vitæ habeat: ut præmia boni nulla; ut pœnæ injuſtorum qui tota vita potentes fuerunt, nullæ ſint: ut improvidus argui DEUS injuſtusque poſſit: ut præcepta naturæ ſervari nequeant: ut Chriſtus quamquam DEUS Juris conſtituendi vim in alios prorogare non potuerit, ſed Eccleſiæ Chriſti jura hinc à conventiculis hominum, hinc à tolerantia principum proficiſcantur: aliaque quæ alibi exagitavimus, in *Larva detracta.*

6. Rurſus Plato vetat edi aut ſcripto communicari, legique, quæ ad mores pertinent, niſi à cuſtodibus legum examinata atque approbata. *Nemo poëta præter civitatis leges & juſta vel honeſta vel bona fingere quidquam audeat Nec liceat, quæ compoſuerit, ulli privatorum oſtendere, antequam conſtituti hac de re judices legumque cuſtodes & viderint & approbaverint.* L. VII. de legibus.

7. Hæcque omnia Plato non ex ſacris noſtris literis didicis, aut divina revelatione, ſed naturali lumine rationis; ut frivola ſit & temeraria heterodoxorum inſultatio, cum Catholicam eccleſiam incuſant tyrannidis, ut quæ contra rationem & contra naturæ jura prohibeat conſortium falſa & impia docentium, eorumque libros legere & ſcholas peſtilentiæ frequentare prohibeat. Imo contra naturæ jura delinquunt, qui ea non prohibent, ſi periculum appareat.

8. De vitiis autem & peccatis contra DEI agnitionem ac cultum vid. ampliſſima Doctrina S. Thomæ 2. II. Qu. X. uſque ad XV. & Theologi in illam partem.

CAPUT IX.

De Officiciis Spei in DEUM.

Illicitum ſpem ſummam in ſe aut creaturâ ponere.

Thema. I. JUre naturæ illicitum eſt ſpem ſummam ac ultimam ponere in ſeſe, aut in alio homine, aut qualibet creatura, aut fortuna ac fato tanquam diverſis à voluntate DEI.

1. Omnis enim homo, omnis pura creatura agnoſcitur ſerva, ſubjectaque altiori domino: ſumma autem ſpes non poteſt ſine injuria poni in ſubdito, ſed debet poni in ſummo. Vid. Cap. IV. de fine ultimo.

2. Fortuna ſi à DEO diſtinguatur ſive à DEI providentia ac gubernatione, nihil eſt præter inane nomen. Idem de fato.

3. De ſpe in homine collocanda vid. S. Thomas II. 2dæ Quæ. XVII. Art. IV De Præſumptione ſui vid. idem ibid. Quæſt. XXI. Qua ſui præſumptione peccat ſtoica cacoſophia. Non enim tantum ſuis ſolis viribus omnes paſſiones deprimere, ſed & puritatem DEO æqualem aut omnino majorem conſequi, jactabant. *Hæc dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus, Erit enim quaſi myricæ in deſerto - - - Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus &c.* Jerem. XVII. ℣. 5.

Sed in DEO.

Them. II. Bonum qualecunque principaliter à DEO tanquam primo auctore omnis boni, jure naturæ ſperandum eſt.

1. Id agnoverunt & hodie agnoſcunt omnes gentes, qui bona à DEO primaria petunt.

2. Senſus communis eſt, ut in rebus maxime arduis & ab omni creata ſpe depoſitis homo naturaliter aſpiret ad auctorem Optimum maximum. Quod *TERTULLIANUS* in libro, Teſtimonium animæ dicto, latius gentilibus oſtendit. Vid. P. Elbel Conferentiar. Part. II. num. 173. ſeq. *Natalis* Lib. V. Theol.

à quo bona hujus & alterius vitæ ſperanda:

Thema III. Jure naturæ obligamur à DEO ſperare non tantum hujus vitæ bona ac commoda, ſed etiam alterius.

1. Senſu communi conſtat animam corpori ſupereſſe: conſtat item animam in hac vita non ſemper accepiſſe commerita præmia, commeritaſue pœnas: conſtat, juſtitiam infinitam & providentiam infallibilem non pati, ut aliquid mali ſit ſine pœna; aliquid boni ſine prœmio. Igitur conſtat, præmia animæ ſupereſſe poſt mortem.

2. Bonum naturâ petimus non qualecunque, ſed ultimum ac ſummum; inquieti & non contenti omni bono quod ſummum non eſt. At ſummum nullum inhac vita adipiſcimur: ergo naturâ ferimur ad alteram vitam. Vid. Cap. IV. Naturâ Igitur tenemur ſperare. Them. I. Cap. VIII.

3. Sed neque præmia neque bonum ſummum poteſt tribuere niſi qui ipſe eſt ſummus ac ſumme bonus DEUS. Ergo à DEO hæc ſperanda ſunt.

4. Sine hac autem ſpe non poteſt conſiſtere ſervitus proprie humana erga DEUM: nam qui in hac vita ſolum ſperant, aut ſolum res corporeas, beſtialem tantum ſpem haberent, & ſervirent ut jumenta pro pabulo ventris.

5. Pulcher eſt de ſpe futuri locus Platonis I. de Republica. *Certo ſcias, ô Socrates*, „ quod poſtquam eo devenit aliquis, ut brevi jam moriturum ſe opinetur, incidit in eum timor & cura quædam eorum, quæ in ſuperiori vita neglexit. Etenim fabulæ, * quæ de inferis dicuntur, quemadmodum eos, qui injuſte egerunt, pœnas dare opporteat, irriſæ hactenus movent tunc animum, ne forte veræ ſint ſuſpicantem. Atque ipſe ſive propter ſenectutis debilitatem, ſive quod alteri vitæ propinguior illa acutius inſpicit, ſollicitudinis & timoris plenus redditur, atque reputat examinatque, ſi quem injuriâ affecerit. Qui ergo invenerit multas ſuas in vita inquitates, ex ipſo ſomno tanquam pueri frequenter excitus extimeſcit, & peſſima in ſpe vivit. Qui autem nullius injuriæ ſibi conſcius eſt, huic jucunda ſpes ſemper adeſt. „ Quibus ſimilia multoties Plato aliique Philoſophi inſinuant, & Communis gentium ſenſus. *Eo pacto æquiſſimo* (inquit S. Auguſtinus) *ut qui mortalis talibus bonis paci mortalium accomodatis recte uſus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem eique convenientem gloriam & honorem in vita æterna.* De Civit. DEI Lib. XIX. C. XIII. Legatur *SUAREZ* de Spe Diſput. II. Sec. I. num. 6. affirmans noſtrum Thema.

Thema IV. Deſperatio Igitur, cum in DEUM fertur, ſeu potius à DEO aufert hominem, eſt contra naturam: quia ſervituti erga DEUM repugnat. **Deſperatio eſt contra jus naturæ.**

In tali deſperatione vel in via ad illam ſunt omnes. 1. Animam immortalem negantes: 2. Omnes Athei: 3. Omnes Epicurei, in voluptate corporis bonum ſummum collocantes: 4. Omnes, qui manus ſibi ultro inferunt, quod apud Romanos poſt everſam rempublicam cœpit eſſe frequens. 5. Illi etiam, qui præ acedia nullum conatum adhibent, nullam orationem, vota nulla ad conſequendam amicitiam DEI, ſed ſine ſuo labore confidunt, bonum omne venturum, contra gnomen gentibus notam: Dii omnia labore vendunt. 6. Qui cum Epicureis providentiam negant, ſed caſu ferri omnia ſomniant. 7. Qui dæmoniorum opem ſollicitant. 8. Qui ſola fide ſeu aſſenſione in divinas veritates perventuram ad DEUM animam ſperant, abſque ceterarum facultatum ſervitute. 9. Spe etiam in DEUM mala feruntur ii, quia ſine mutatione vitæ per aliqua mere externa veniam conſequi volunt; in quos multis locis invehitur Plato Lib. X. de Legibus, & alii. Et præcipue Chriſtus declarat: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Matth. VII. ṽ. 21. 10. Ad deſperationem præparat timor ſeu puſillanimitas, ſuam *tantum* imbecillitatem conſiderans, neglecta bonitate ac potentia DEI. **Deſperabundi ſunt athei Epicurei, ſolum fidem ſufficere dicentes &c.**

Atque hæc omnia hiſque plura accuratiſſime, uberrimeque pertractata ſunt à quibusvis fere Theologis. Qui quamquam ex ſacris ſæpe literis loquantur, Naturæ tamen in his jura non evertunt, neque negligunt, ſed rationibus exponunt. Negari enim nequit, quin eadem fides, eadem ſpes, eadem denique virtus utroque jure, naturali nempe ac politico, præcepta eſſe poſſit, plerumque ſit.

Thema V. Juris naturæ eſt, poſt peccatum pœnitentiam agere, id eſt, dolere ex animo: dolenda non iterum committere, & doloris remedium ſalutare à DEO ſperare: nempe veniam culpæ, & expiationem alicujus pœnæ, ſeu ſatisſactionem procurare. **Pœnitentia poſt peccatum eſt Juris naturæ.**

1. Ita

* *Fabulas* plato non intelligit *figmenta*, ſed veterum ſermones & *Traditiones* orales, ut ex Gorgia & multis Platonis locis patet.

Probatur.

1. Ita docet fere concilium Tridentinum: Seſſio. XXIV. Cap. I. *Fuit quidem pœnitentia UNIVERSIS HOMINIBUS: qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, QUOVIS TEMPORE ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria.* Si neceſſaria, omni tempore, ergo Naturali, non poſitive tantum Jure.

2. Idem eſſe Juris naturalis docet *S. THOMAS* III. Part Q. LXXXIV. Art. VII. Alexander *NATALIS* Tom. I. Theol. Dogmat. Lib. II. Art. III. Propoſ. III. Theophilus *RAYNAUDUS* Moralis diſciplinæ Diſtinct. I. num. 282. &c. adducens multos. & Diſt. IV. num. 239 &c. Item idem Tomo IV. De virtutibus Lib. IV. Sect. III. num. 347. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. X. Qu. II. loquens quidem de Spe ſupernaturali: qui tamen omnino de ſpe ac pœnitentia naturali intelligi debet; cum loquatur de *mediis*.

3. *S. THOMAS* Lib. III. contra Gentes Cap. 158. prolixa, & accurata demonſtratione hoc comprobat. Nobis hic ſermo non eſt ad homines brutos ac ſtupidos, quales ſunt athei, quibus etiam aliunde evidentia demonſtranda tamen ob eorum cœcitatem ſunt; ſed agimus cum ingenuis & Europæis, præterea Chriſtianis; itaque ſufficiat pro omni ratione, quod talem pœnitentiam delicti, talem reverſionem voluntatis; talemque fiduciam in DEUM exigat plane *Servitus noſtra eſſentialis* ac rationalis quam nobis incumbere omnes agnoſcimus. *Nemo enim poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam.* S. Ambroſ. Lib. 1. de Pœnitentia cap. I. n. 4. Quod autem attinet ad ſatisfactionem, ea eſt actus juſtitiæ vindicativæ, quam in internis aliquis etiam in ſe ipſum exercere debet. Vid. *Scotus* in IV. Sent. Diſt. XVI. Qu. I. & in Reportatis Lib. IV. Diſt. XIII. Qu. II. Ubi etiam probat., Pœnitentiam eſſe Juſtitiam. Et pulcre Quæſt. III. *Maſtrius* quoque in IV. Sentent. Diſp. V. Qu. III. Art. I. late probat, Pœnitentiam eſſe virtutem unam ex moralibus, & pertinere ad *Juſtitiam* partialem, conformiter ſententiæ Scoti. Et cum *Cajetanus* aliique Thomiſtæ negant, pœnitentiam eſſe juſtitiam, non negant illud abſolute, ſed in certo quodam ſenſu: id quod eorum ratio prodit, quæ hæc eſt; quia inter hominem & DEUM non datur *rigoroſa* juſtitia. Ubi *rigoroſum* non eſt ita intelligendum, quaſi Thomiſtæ negarent, hominem rigoroſe ſubjici DEO: ſed quod juſtitia hominis erga DEUM non habeat *rigorem ſcholaſticum* definitionis juſtitiæ illius, quam ſcholaſticis placuit dicere in *rigore juſtitiam*, nempe eam, quæ perfectam æqualitatem induceret. Et in hoc ſane ſenſu Pœnitentia non eſt rigoroſe juſtitia; quia homo haud dubie nunquam perfecte æquale poteſt reſarcire aut ſatisfacere DEO. Quare nulla eſt inter duas ſcholas animorum ſed fere verborum & explicationum diſcrepantia. Quod ſalvo ſenſu ſapientiorum dixerim.

Ex ſenſu communi.

4. Hic porro eſt & fuit ſenſus non modo omnium philoſophorum, ſed omnium hodieque gentium. Vid. *STOBÆUS* ſermone 44. proœmio legum Zaleuci & Charondæ *S. AUGUSTINUS* Epiſt. 234. alias 21. *PLATO* Lib. X. de Legibus. Baro Herbert de *CHERBURY* de Religione gentilium. Cap. XV. pag. 263. edit. Amſtelodam: *PICARD* Ceremonies & Coutûmes Religieuſes Diſſertatione de America. pag. 15. Anglus Alexander *ROSS* Religions du Monde. Ex cujus præfatione Num. 3. hæc transferre juvat ad tepidos urgendos. *Animadvertere*, inquit, *licet*, *ſapientiores eſſe filios hujus ſeculi in generatione ſua filiis lucis.* „ Illi nullam detrectant pœnam, nullum onus, nec rejiciunt aut contemnunt rem ullam à ſacerdotibus ſuis aut ſapientibus ſibi imperatam. Nullum eſt medium, quod non exquirant ad beatitudinem. Vide, ut ſint alacres, devoti, & uſque ad ſuperſtitionem Zeloſi; ut prompti ad vigilandum, jejunandum, orandum, dandum eleemoſynas, caſtigandum corpus nonnunquam uſque ad mortem. Nos contra ita frigidi, negligentes, laxi, tepidique in rebus ad felicitatem noſtram æternam tantopere pertinentibus. Parum ipſis videtur, quidquid ad ſervitium falſorum deorum impenderint; nos autem quidquid veri DEI ſervituti impendimus, id omne in perditis numerammus. Illi Sacerdotibus ſuis honorem & obedientiam præſtabant; nos contemnimus noſtros. Illis non erat ſatis coram idolis in genua procumbere, ſed toto corpore proſtrati pugnis tundebant pectora, ſolo allidebant frontem, lacerabant cutem, carnem ſuam proſcindebant, exiſtimantes, hac ſe ratione diis ſuis reconciliandos, & nos &c. Falſi hi adoratores haud dubie contra nos in judicio conſurgent.

Ac præſertim contra ſpurios juris naturæ doctores, qui omnem religionem ſpuriis ratiunculis accommodantes aſpera quæque ad ſuperſtitiones & ſtultitias & exercitia Juri naturæ repugnantia ablegant.

5. DD. Proteſtantes in Relationibus Germanicis ipſorummet de Miſſione ſua Danica apud Malabares legere talia poſſunt Continuatione I. pag. 60. in ſcripto D. Ziegenbalk primi ibidem paſtoris; ex quo pauca verba Latino ſermone fideliter exprimam; „ Cum plurimis, inquit, iſtorum paganorum frequentiſſime colloquens ac diſceptans affirmare nequeo vel unum mihi occurriſſe Atheum, qui DEUM vitamque futuram negaſſet. Quin debeo adſeverare, valde magnam ipſis ineſſe ſollitudinem acquirendæ futuræ beatitudinis. Hinc eſt, quod eorum multi futuræ vitæ intuitu omnia bona ſua, domum, prædia, uxores & liberos abnegant, & in deſertis absconditi graviſſimam pœnitentiam agunt. Vulgo autem Malabares iſti gentiles adverſus egenos admodum ſunt miſericordes - - - - Hocque ipſo anno (1708.) è vivis exceſſit regina Mankammahl ditionis Diruwárirátschiumnon procul hinc poſitæ. De illa mihi eſt relatum, magnum ab ea exſtructum eſſe Brachmannum monaſterium, in quo decem Brachmannum millibus quotidianus præbebatur cibus: præter multas magnas ædes, ubi omnes peregrini; & alias, ubi omnes pauperes alebantur. Id quod defunctæ filia regina utut teneræ etiamnum ætatis hactenus continuat. Profecto ſiquis eſt populus, qui pretium eleemoſynis ſtatuat, is certe eſt Malabaricus, quique in hoc magnum Chriſtianis nobis, ſed & Judæis & Mahumedanis injicere pudorem poſſunt. Cauſa eſt ſpes beatitudinis. Ex ſuis enim libris diſcunt, DEOS ſæpe mendicorum habitu adipſos venire, periculum facturos miſericordis animi &c.

Et in iisdem relationibus Continuatione XV. pag. 32. cum Malabarum nonnemo interrogâſſet, qua ratione homo à peccatis liberari poſſet, huicque Ziegenbalgius multa de Chriſto & aliis oſtendiſſet; repoſuit alius his verbis: „ DEUM ſolum remittere & peccata & peccatorum pœnas, certum eſt, nec demonſtratione eget. DEUM etiam elementem & benignum eſſe, ad ſeſeque confugientibus libenter dimittere peccata æque inter nos eſt certum. Rurſus DEI quendam filium eſſe, illumque hominem factum proque hominum peccatis eſſe paſſum, res eſt nobis non ignota, quippe, qui id denus hiſtorias inter nos habemus &c.

Quæro igitur DD. Proteſtantes præcipue (ex eorum enim número teſtes malui adducere de Indorum ſenſu) num hic barbarorum ſenſus ſit ex revelatione divina formali, an ex lumine naturæ? Si ex revelatione; duo ipſos premunt incommoda. 1. Indorum libros divinitus revelatos fuiſſe. 2. Ex revelatione diſci poſſe naturæ officia erga DEUM, nec revelationem excludendam ab hac diſciplina. Si Indi non ex revelatione ſed ex ratione & auctoritate humana iſta didicerunt, ſequitur hæc eſſe Juris naturæ, quia ex ratione innoteſcunt. Si ſunt juris naturæ; cur illi heterodoxi hæc officia præcipua in jure naturæ omittunt, aut negant: Recte adeo S. Auguſtinus Libro de duabus animabus contra Maniehæos, cap. XIV. *Vox eſt iſta naturæ. Neminem ſtultum rei hujus notitia deſeruit, Hoc nobis niſi penitus inſitum eſſet, periremus. Poteſt aliquis dicere, non ſe peccare: non autem ſibi eſſe, ſi peccaverit, pænitendum, nulla barbaries dicere audebit.*

6. De naturali autem pœnitentia latius tractat *Raynaudus* Tom. IV. de virtutibus Lib. IV. Sect. III. à num. 347. ad 380. Videri etiam merentur ea, quæ meditatur *Contenſon* Theologiæ Tom.II. L. XI. Part. III. C.I.Coroll. I. fol. 534. &c. Et legenda *Platonis* diſputatio cum Polo, cum jam ad finem vergit de medicina injuſtitiæ, in *Gorgia.*

Non tamen poteſt naturalibus mediis gratia amiſſa recuperari.

Thema VI. Quamvis naturaliter ſit obligatus peccator ad revertendum ſeu pœnitendum, tamen neque per hanc pœnitentiam naturalem, neque per ullum medium in natura pure creata ſitum poteſt gratiam ac amicitiam recuperare: ſed pendet hoc ex mere gratuita voluntate & per ordinariam providentiam indebito DEI munere. Sed per pœnitentiam ſaltem *aliquo modo* diſponitur, ut gratiam poſſit, nonquidem mereri, ſed *recipere* gratuito dandam a id eſt non tali diſpoſitione, quæ ſit aliqua cauſa meritoria gratiæ, ſed tantum; quæ removeat impedientia ſaltem aliqua. Vid. *Aguirre* Theologiæ Anſelmianæ Tom. III. Diſp. CXVII. Sect. II.

1. Rurſus is eſt ſenſus omnium gentium, qui veniam ſcelerum à Deo non aliter quam ſupplices ſervi à Domino rogant, ſeſe humiliando ſæpe uſque ad mor-

mortem : ſicut illi Indorum pœnitentes, qui curribus deorum ſimulacra deportantibus ſe ſubſternunt, ut iisdem conterantur.

2. *S. AUGUSTINUS* Epiſt. 157. aliàs 89. num. 15. *Chriſti gratia ſalvi ſiunt omnes, ſive parvuli à lege peccati & mortis, cum qua nati ſumus : ſive majores, qui male utentes arbitrio voluntatis prævaricarunt legem naturalem ipſius rationis. Sive qui legem acceperunt, quæ dita eſt per Moyſen &c.* Et Epiſt. 140. ad Honoratum de gratia: num. 85. *Neceſſe eſt, ut parum diligat DEUM, qui non ab illo, ſed à ſe ipſo bonum ſe arbitratur effectum.* Et Enchiridii Cap. 82. *Non ſolum cum agitur pœnitentia, ſed etiam ut agatur, DEI miſericordia neceſſaria eſt.*

3. Videatur *S. THOMAS* Lib. III. contra Gentes Cap. 157. *BERTI* de Theologicis diſciplinis Tom. III. Lib. XVIII. Cap. III. & IV. *Maſtrius* in IV. Sentent. Diſp. V. Qu. IV. Art. I.

4. Sententia damnata ab Alexandro VIII. PP. an. 1690. hæc eſt : *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis, nullum accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam & inermem ſine omni gratia ſufficiente.* Quæ propoſitio videtur etiam noſtro themati repugnare. Et alia Michaëlis Baji damnata : *Quod pie, & juſte in hac vita mortali usque in finem converſati vitam conſequantur æternam, id non proprie DEI, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ, juſto DEI judicio deputandum eſt, nec in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani, &c.*

5. Porphyrius philoſophus Platonicus unus de poſtremis, qui nomen habent, poſtquam Philoſophos veteres, & hiſtorias etiam populorum anxie perſcrutatus eſt ad hoc, ut inveniret viam liberandæ animæ, Quid dicit autem ſe inveniſſe tum ex ſua ratione tum ex aliorum traditione ? Dicit, *nondum RECEPTAM unam quandam ſectam, quæ UNIUERSALEM continet viam animæ liberandæ &c. nondumque in ſuam notitiam eandem viam hiſtoriali cognitione perlatam. Ita ei non ſufficiebat, quidquid de anima liberanda ſtudioſiſſime didicerat, ſibique, vel potius aliis noſſe ac tenere videbatur,* Sentiebat enim adhuc *ſibi deeſſe aliquam præſtantiſſimam auctoritatem, quam de re tanta ſequi oporteret.* Agnoſcebat Porphyrius, homo acutus, multa à Philoſophis ac gentibus tradita receptaque eſſe ad liberandam animam, putabat autem, hæc, quia humana, non ſufficere. Equidem poterat (cum tempore Diocletiani vixerit) agnoſcere viam Chriſti. Sed eodem tempore DEUS permiſerat, ad teſtium veritatis ſeu Martyrum numerum augendum, Eccleſiam Chriſti in crudeliſſima perſecutione eſſe: *Videbat iſta Porphyrius, & per hujusmodi perſecutiones cito iſtam viam perituram, & propterea non eſſe ipſam liberandæ animæ univerſalem putabat : non intelligens, hoc, quod eum movebat, & quod in ejus electione perpeti metuebat, ad ejus confirmationem robuſtioremque commendationem potius pertinere.* S. Auguſt. Lib. X. Civit. Cap. XXXII. Nulla ergo eſt via ab hominibus excogitabilis liberandæ à peccato animæ, niſi eadem ſecum ferat gratiam omnipotentis. Sed hanc ſecum ferre nequit, niſi qui ipſe eſt ex deitate, ut Chriſtus. Et audeat quis in ipſa Chriſtianitate ad hanc quærendam nos non naturæ jure obligari ? quod in heterodoxorum confuſionem Porphyrius agnovit. Add. L. XIV. Cap. XI.

Altius autem hæc rimari non imbecillium, non eſt præſumptuoſorum, non curioſorum, non occupatorum vel aulicorum ; ſed doctorum in lege DEI die ac nocte, qui & ipſi cautiſſimi debent hoc in negotio eſſe.

Thema VII. Jure naturæ tenetur homo in tentatione peccati cujuscunque conſtitutus, ad auxilium DEI confugere implorando, orando, credendo, ſperando, præſentiam ejus cogitando, vel ſimili aliqua animi converſione ad DEUM. Jure naturæ in tentatione implorandum auxilium DEI.

1. Servi enim officium eſt ſe in ſervitute conſervare per eum, qui poteſt : at hominem ſervum in ſervitute conſervare ſolus DEUS denique poteſt : igitur ad illum ſe debet convertere, vel ad alios, qui DEO ſubordinati ſunt, ut ſapientes ac pios homines, eorum libros &c. V. S. Thomas 2. II. Qu. LXXXIII.

2. Ratio hoc dictavit *PLATONI*, qui Lib. IX. de Legibus eum, quem ſacrilegii tentatio ſubiit, alloquitur : O mirabilis vir ! *non humanum te malum neque divinum ad ſacrilegia vertit, ſed exitiale quoddam noſtrum ex priſcis atque inexpiatis flagitiis innatum hominibus circumagitans, quod cunctis viribus effugere debes.* „ Quomodo autem effugies, audi. Cum talis oboritur in animo cogitatio, confuge ad expiationes, obſecro ; confuge ad liberatorum deorum ſacrificia ſup-

„ plex; confuge ad bonorum virorum „ conſuetudines, ubi partim audias, „ partim tu quoque dicas, juſta honeſtaque ab omnibus eſſe colenda. „ Malorum vero conſuetudines apprime fugias.

3. Idem Seleucus in procemio legum apud Stobæum ſerm. 44. *Si quis à malo genio aſſiſtente ſibi ad injuſtitiam inſtigetur, is ad templa, aras & delubra vertatur, fugiens injuſtitiam tanquam dominam impiiſſimam moleſtiſſimamque, & deos oret, ut opem ad propellendam ipſam ſibi ferant.* Hoc nempe eſt illud: *Ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos à malo.*

4. Similia fere Arrianus Lib. IV. Cap. IV. Si aliquem peccare videro cogitabo *num ſimiliter ego quoque peccem? & quo pacto à peccatis deſiſtam? Aliquando & ego quoque peccabam: nunc vero deſtiti: Gratia ſit DEO.* Et Charondæ lex. *A malis facinoribus abſtinendum eſt, idque maxime propter concordiam cum DEO: cum nullo enim injuſto DEUS commercium habet.*

5. Eadem *EPICTETUS*, eadem *MAXIMUS* Tyrius Vid. *RAYNAUDUS* Diſciplinæ moralis Diſt. III. n. 121 &c.

6. De vitiis & peccatis *Spei* oppoſitis accurate diſputat S. Thomas 2. II. Qu. XX. & XXI. De Oratione vero videatur ampliſſime *Suarez* Tom. II. de Religione. Tract. IV.

CAPUT X.

De Officiis Amoris erga DEUM.

Amor Concupiſcentiæ.

Thema I. AMor duplex eſt, 1. Concupiſcentiæ, quo DEUM diligimus ut noſtrum bonum: & hic fere congruit cum ſpe.

Benevolentiæ.

2. Amor *Benevolentiæ*, quo DEUM diligimus ut eſt in ſe optimus ac maximus.

Exemplum præbent interdum humana. Eſt aliquis aulicus magni ac præclariſſimi regis, v. g. Alexandri, Auguſti. Is nunc effertur amore in regem ſuum: quando conſiderat magna beneficia & honores ab eodem acceptos. Alia vice idem aulicus conſiderans regis affabilitatem, animi magnitudinem, prudentiam aliasque virtutes tam humanas quam regias, mire iterum effertur in ejus amorem, nihil cogitans jam de ſuis beneficiis: juratque forte etiam, ſe paratum huic regi etiam gratis ſervire tantum ob ejus præſtantiam.

Intenſivus.

Thema II. Amor aliàs iterum duplex eſt. 1. *Intenſivus*, quoad vehemantiam actus. 2. *Appretiativus*, quoad æſtimationem objecti.

Appretiativus.

Ita mater prolem ſuam magna animi intenſione diligit, ſed tempore ingentis ſamis fortaſſe eam mactat, ut illius carne veſcatur. Hæc intenſive plus aliquando dilexit prolem, appretiative plus diligit ſeſe.

DEUS amore Concupiſcentiæ & Benevolentiæ proſequendus.

Thema III. Juris naturæ eſt amare DEUM ſuper omnia amore concupiſcentiæ ac Benevolentiæ pro poſſibilitate. Contrarium Janſeniſmo vicinum eſt, aut plane Janſeniſticum.

1. Prius illud capite antecedente probatum eſt. Alterum ratione ac ſenſu communi conſtat. Optimaque ratio illud probandi eſt, ſeſe multum exercere in DEO optimo cognoſcendo tam per humilem inquiſitionem rationis naturalis. recolendo ipſius Gubernationem mundi, & admiranda opera; quam per divinam fidem, quæ ex S. Scripturæ miraculis, ex Pſalmo, ex Jobo, deinde etiam ex geſtis Sanctorum pro DEI amore, copioſiſſime firmatur. Nam hæc utraque qui fecerit, & atheorum, infidelium, hæreticorum quisquilias qui ex animo fugerit ac deteſtatus fuerit; is amoris DEI neceſſitatem optime in ſe comprobatam habebit.

2. Nec objicias: In præſenti ſtatu naturæ lapſæ homo ſine ſpeciali gratia nullum poteſt actum ſupernaturaliter bonum elicere. Item non poteſt etiam naturaliter tantum bonos actus conſtanter elicere ſine gratia ſanante, ut dictum eſt Cap. VII. Them. XVIII. n. 5. Ad *impoſſibile* autem nemo tenetur. Igitur &c. Nam ℟. Minor propoſitio habet ſuas explicationes; cum etiam nos debitores, qui ſolvendo non ſunt, includamus turri. Neque noſtra ſententia eſt, ut ſine mediis homo DEUM amet; alias obligaremus etiam amentem; ſed ſuppoſitis omnibus mediis. Ceterum argumentum ſine diſcretione

tione

tione ſumptum probaret etiam nimium. Homo ſine motione DEI non poteſt amare proximum, non abſtinere à furto, mendacio, homicidio: ergo jure naturæ non tenetur homo amare proximum, abſtinere à furto &c.

3. Quanta vero ſit poſſibilitas amoris pure naturalis erga DEUM, ampliſſime diſputatum invenies apud Card. *AGUIRRE* Theologiæ Anſelmianæ Tom. III. Diſput. CXIX. ubi nubem doctorum allegat. Præcipue Videatur ibidem Sectio III. & Diſput. CXX. in qua diſputatione tota aſſerit *Poſſibilitatem* amoris naturalis, eamque explicat. Sed hæc accuratius noſſe non credimus convenire illis, pro quibus nunc ſcribimus: ſunt enim magnorum Theologorum & Philoſophorum.

Natura integra non indigebat gratia gratuita &c.

Them. IV. Homo in ſtatu naturæ integræ ſeu ante lapſum non indiguit divinæ gratiæ gratuito auxilio viribus naturalibus ſuperaddito ad DEUM ſuper omnia *naturaliter* diligendum, quamquam DEI ad hoc moventis auxilio ei opus eſſet: at in ſtatu naturæ corruptæ indiget ad hoc gratia ipſam naturam interius ſanante.

Eſt totum S. Thomæ. I. 2. Quæſt. CIX. art. III. Add. Part. I. Quæſt. LX. art. V. & II. 2dæ Quæſt. XXVI. art. III. Recolenda quoque quæ ſupra Cap. IV. Them. VII. num. 5. &c. Vid. Card. *Aguirre* Theologiæ Anſelmianæ Tom. III. Diſp. CV. Probationes afferre omittimus; quia hæc *paſſim* ſciri non eſt neceſſe. Conſulantur Theologi, & vide ſupra cautelam Cap. *VII. fine. Cap. IX. Them. VI.*.

Deus appretiative ſumme diligendus.

Them. V. DEUS Jure naturæ diligendus eſt amore ſummo appretiativo.

1. Id eſt nihil aliud ita debet diligi, ut non ſtatim hoc dimittatur, cum primum apparuerit, DEI cauſa id eſſe dimittendum. Nempe commoda hujus vitæ, parentes, patria, ac vita propria.

2. Res probatione nulla eget, conſiderantibus, DEUM eſſe datorem ac dominum omnium, & nihil eſſe bonum, niſi participatum ex ipſo. Hoc autem ſolum adhuc neceſſe eſt, ſicut in omni doctrina morali, ut id reipſa exerceatur, Moralia enim, & virtutes obtinentur non ſpeculando, ſed magis exercendo.

3. Damnata eſt hæc ſententia à Gregorio XIII. & Urbano VIII. quæ mox ſequitur: *Amor naturalis, qui ex viribus natura exoritur, ex ſola philoſophia per elationem præſumptionis humana, cum injuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.* Addatur propoſitio Bajana 34ta damnata. Vid. *Suarez* de Charitate Diſp. V. Sect. I. num. 2. &c. & Sect. II. *Scotus* in III. Sentent. Diſt. XXVII. n. 13. &c.

Diligendus in tota latitudine.

Them. VI. DEUS jure naturæ diligendus eſt in tota latitudine *objecti* & *ſubjecti*.

1. Id eſt, quidquid agnoſcitur eſſe DEI, eſt diligendum: e. g. non tantum ejus miſericordia, ſed etiam ejus juſtitia &c.

2. Atque hæc eſt intrinſeca ratio, cur etiam homo, etiam inimicus homo ſit amandus; quia homo eſt DEI poſſeſſio & factura.

3. Item in homine, qui eſt *ſubjectum* amoris, nihil debet eſſe, quod non ad DEI amorem ſubordinetur, ſive ſaltem ab eo non deordinetur: non facultas ulla animæ & corporis, non ullus actus ac motus. Omnia enim ſunt DEI, & qui vel minimum ſurripuerit aliorſum avertens, injuriam fecit Domino ſummo; aliàs quidem leviorem aliàs graviorem. Eſt enim diligendus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus &c. Vid. S. *THOMAS* II. 2dæ Quæſt. XXVII. art. V. & VI. Alexander Natalis Theol. Dogm. Lib. III. cap. IV. Reg. LVII. *Suarez* de Charit. Diſp. V. Sect. II. *Scotus* in III. Sent. Diſt. XXVII. n. 16.

Intenſio amoris DEI tantum reſpective poteſt eſſe ſumma.

Them. VII. Intenſio ſeu vehementia gradus amoris *intellectualis* naturalis erga DEUM, non poteſt eſſe abſolute ſumma, ſed tantum reſpectu hujus vel illius ſubjecti.

1. Nam homo non eſt capax naturaliter ſummæ abſolutæ intenſionis.

2. Alius tamen alio plus & perfectius agnoſcit divinam bonitatem, & poteſt adeo ad reſpective ſummam, ſeu ſibi poſſibilem intenſionem pervenire. *Suarez* Diſp. V. Sect. III. Nec contrarius eſt *Scotus* loco mox citato. *Maſtrius* in III. Sentent. Diſput. VI. Qu. XXI.

cauteque eſt tractanda ne degneret in amorem proprium.

Them. VIII. Intenſio amoris naturalis *ſenſibilis* erga DEUM poteſt etiam ad ſummum *reſpectu* alicujus ſubjecti gradum pervenire: Sed niſi caute exerceatur, degenerat in amorem proprium ſuæ tantum dulcedinis, quæ in tali amore invenitur; & ſeducit aliquando in gravia pericula & impoſturas.

1. Legimus enim quoſdam amore DEI ſenſibili velut exarſiſſe; aliis cor ipſum eſſe ruptum.

Nec quiſquam hoc vituperet, ſed potius paria exoptet, ſi numini placeat.

3. Senſibilem autem amorem dicimus, quem comitantur commotio ſanguinis ac ſubtilium partium ejus, qui ſpiritus ſolent dici.

Præceptum amoris actualis eſt affirmativum:

Them. IX. Præceptum amoris DEI actualis eſt affirmativum: i. e. non obligat pro ſemper, ſeu omni momento.

1. Eſt enim impoſſibile homini, omni momento elicere actum charitatis. Si hoc ageret, nihil aliud poſſet agere; cum tamen multa alia agenda DEUS homini impoſuerit.

Habitualis negativum.

2. Habitualiter autem debet aſſidue in amore permanere, ita ut nihil deliberate agat, cogitet, velit, quod a ſummo bono ac ultimo fine *recedat*. Videantur ſuper hoc accuratæ diſputationes Cardinalis Aguirre Theologiæ Anſelmianæ Tomo III. Diſp. CXXIX. & ſeq.

Quando eliciendus actus amoris DEI?

Thema X. Tenetur homo actum charitatis DEI in ſe elicere tum alias in vita, tum 1mo poſtquam in peccatum grave lapſus eſt; quia tenetur ſe convertere ad DEUM ultimum finem, quod fit per amorem. Vide Cap. IX. Them V. 2do in gravi tentatione, quam aliter vincere non poteſt. 3tio Probabilius etiam in articulo mortis. Vid. S. *Thomas* II. 2. Qu. LXXXIX. Art. VI. *Suarez* Diſp. V. Sect. V.

1. Jus naturæ hoc exigit, ut loco citato diximus, & eodem capite IX. Them. VII.

2. Natura enim dictat, ſervo in neceſſitate recurrendum eſſe ad unicum Dominum: non recurrit autem, neque ei conjungitur niſi eo motu voluntatis, quo eum tanquam auctorem & finem Boni amplectitur.

3. In articulo autem mortis homo eſt in proximo acceſſu ad DEUM; atque dictat ratio, ut acceſſum hunc voluntarium per amorem faciamus.

Peccatum terribile in Jus naturæ Odium DEI.

Them. XI. Terribiliſſimum contra naturam peccatum eſt odium formale DEI, ita ut odio habeatur DEUS ut DEUS: ut juſtus, ut omniſcius, ut æternus &c. Vid. S. Thomas II. 2. Quæ. XXXIV. Art. I. II. III.

Amor fit ſupernaturalis ex ſolo dono DEI.

Them. XII. Hactenus dicta conveniunt amori DEI naturali. Supernaturalis autem fit ex nullo hominis conatu ſed ex dono gratuito extraordinario DEI. Per quod divinitus infuſum homo fit potens diligere DEUM ut ſummum bonum æternum arcaniore modo uniendum. De quo S. Joannes in Evangelio verba Chriſti myſteriis plena refert. Nihilominus poſt acceptam gratiam homo Jure naturæ tenetur ea uti.

1. Repugnat rationi mediis unicis non uti vel abuti. Eſtque hoc præceptum decalogi, qui continet jus naturæ. Eſt denique ſervituti rationali hominis erga ſummum dominum plane eſſentiale.

2. Ceterum Chriſtus in cruce exemplar eſt ingens tum naturalis tum ſupernaturalis amoris. Cui addi poſſunt Abraham, Joſeph aliique ſancti heroes, ac præcipue martyres Chriſtiani: quorum paſſiones legere debet, qui eſt in amore DEI tepidus.

Chriſtus ſchola amoris veri.

3. Quamquam enim Philoſophi & alii gentiles amorem DEI aliquo modo agnoverunt, & fortaſſe exercuerunt, tamen illæ tenuiſſimæ ſcintillæ ſunt. Chriſtus denique ſcholam amoris DEI erexit toti mundo patentem, & ignem venit mittere in terram, quo totus orbis correptus eſt: niſi quod ultimis temporibus refrigeſcet charitas multorum, ut ipſemet prædixit Matthæi XXIV. v. 12.

CAPUT XI.

DE Timore, Honore, Cultu DEI &c. ex Jure naturæ.

DEO debetur naturaliter Gratitudo.

Them. I. EX eo quod homo agnoſcat ſe & omnia eſſe à DEO ſeu ente primo ac ſummo, ſequitur maxime naturaliter *GRATITUDO*. Quæ idcirco eſt juris naturæ.

1. Nullus homo tam eſt truncus qui, id negare poſſit.

2. Et hæc beneficiorum agnitio multis gentibus cauſa fuit adorandi ſolem, lunam & alia; ut Ægyptii adorarunt Ibin avem & ſelem, quod illa ſerpentes ex inundatione Nili relictos, hæc mures devoraret. Utrum vero Ægyptii cultum ſuum in iſtis pecudibus terminaverint, inquiritur. Res geſtas legentibus apparet, craſſum vulgus feciſſe, quod videbat fieri, abſque ulteriore inquiſitione. Acutiores autem facile deprehendiſſe veritatem, & cultu tantum ſymbolico uſos; ſeu coluiſſe in his creaturis creatorem horum beneficiorum ac providentiæ auctorem & primum

mum principium Vid. *VOSSIUS* Theologia Gentilium.

Et Gratitudinis ſigna externa.

Them. II. Naturale eſt, hominem gratitudinis ſigna etiam exteriora erga DEUM edere, quæ autem & qualia, jure naturæ non eſt finitum: ſed pendebat ab hominum arbitrio: poſt revelationem autem ſpecialem pendet unice ab illa. Ingratitudo tamen, ſeu abuſus beneficiorum contra finem ultimum eſt præcepto juris naturæ negativo ſemper vetitus.

1. Homo enim, cum ſit compoſitus ex anima interiore, & ex ſenſu corporeo, qui fertur ad exteriora, naturalem & ex ſua eſſentia fluentem inclinationem habet ad ea quæ cognoſcit interius, etiam exterius prodenda. Unde fit, ut qui interius ſe obligatum ad gratias agendas ſentit, ſentiat naturaliter impetum ad exterius idem prodendum. Quod vel ideo juſte fit, quia exteriores vires non minus ac interiores beneficia ſunt DEI: utraque ergo referri debent.

2. Signa exteriora arbitraria eſſe naturaliter, probat experientia. Alius fructus terræ, alius animalia in conſpectu DEI abſumit, velut reddens quædam ex iis, quæ acceperat, alius parte acceptorum abſtinet continendo ſe, jejunando &c. Alius ultra laborem pro ſuo alimento impenſum imponit ſibi alium laborem, de ſuis viribus ſacrificium facturus, in gratitudinem de acceptis.

3. Unde ridiculus una & impius Puffendorffius, qui *irrationabile* exiſtimavit, DEO animalia immolare; is qui non dubitavit ventriculum omnis generis altilibus ingurgitare.

4. Modo, cum vivimus nos in ſtatu revelationis, habemus ſigna gratitudinis aliqua determinata ex revelatione, ut Sacrificium Euchariſticum, in memoriam Chriſti faciendum: alia ſunt ab Eccleſia, ex poteſtate à Chriſto accepta, determinata; ut feriæ diei Dominicæ, Orationes, Jejunia &c. Quæ omnia quoad ſpeciem determinatam, numerum, tempus, modum ſunt juris humani Eccleſiaſtici; quoad genus autem ſunt juris naturæ. Præter hæc autem cujusvis arbitrio permiſſæ ſunt aliæ oſtenſiones gratitudinis, ut fundationes piæ, genuflexiones, caſtigationes, eleemoſinæ copioſiores, aliaque opera pia.

5. Ingratitudo eſſet ſi v. g. bonum ingenium aliquis ultro, ſine alia graviſſima cauſa deſtrueret, aliaque ſimilia, vel ſi quis agnoſcens, ſe vitam & cetera à DEO habere, cogitaret ſe nullam ob ea gratiam debere, imo exprobraret, quod dederit &c.

DEO debitus honor.

Them. III. Ex intellecta DEI Summa dignitate & dominio naturaliter exigitur DEI honor intcrnus & externus.

1. Nulli dubio poteſt hoc eſſe obnoxium: & omnium gentium hiſtorias libroſque evolventi occurrit inſatiabile velut ſtudium ejus honoris conteſtandi.

2. Id enim ſignificant tot ceremoniæ orationes, cantiones, ſupplicationes, Sacerdotia, templa, maximique ſumptus & oblationes ab omnibus populis in iſta profuſi; ut certarent optimis ſuis rebus ſe ſpoliare, quo exornarent ſeu locum, ſeu rem, ſeu hominem DEI nomen gerentem, aut cui figuram ſymbolumve ac ſignificationem DEI ineſſe ſaltem ſuſpicabantur.

3. Internum autem ſolum non ſufficere probant *SUAREZ* Tom. III. P. III. D. 37. S. 8. *SIMANCAS* in Catholicis inſtitut. Tit. X. num. 5. Vid. *Raynaldus* Tom. IV. de virtutibus Lib. IV. Sect. III. n. 242. & Num. 284. &c. Legatur etiam Juden- und Heyden-Tempel. *Picard* de Ceremonies & coutûmes Religieuſes.

Honori DEI repugnantia Jure naturæ illicita.

Them. IV. Jure naturæ prohibita ſunt quædam honori DEI repugnantia, tam interna quam externa.

1. *Infidelitas, Idololatria, hæreſis, Superſtitio*, & ejusmodi voluntarii errores parva de DEO ac divinis ſentientes, eique tribuentes.

2. *CONTEMPTUS* DEI, res terribilis.

3 *TENTATIO* DEI, cum quis quid agit, tentaturus, an DEUS ſit potens, omniſcius, miſericors &c. Vid. *S. Thomas* II. 2. Qu. XCVII. *Suarez* de Relig.

4. *BLASPHEMIA*, ut maledicta in DEUM aliaque injurioſa verbis geſtibusque prolata. S. Thom. II. 2. Qu. XIII. *Maſtrius* Theol. Mor. Diſp. XI. Qu. III.

5. *JURAMENTUM*, ſeu invocatio DEI aut rei divinæ in teſtimonium, eſt contra jus naturæ (1 ſi deſit neceſſitas vel judicii vel alterius gravis cauſæ. (2 ſi deſit res juſta, licita, honeſta. (3. ſi deſit veritas ſaltem animo apprehenſa. Contra ſi hæc tria adſint, eſt potius actus religionis, tanquam invocatio religioſa ſummæ veritatis. Vid. S. Thomas II. 2. Qu. LXXXIX. & Qu. XCVIII. Alexand. *Natalis* Lib. IV. Th. Dogmat. Cap. IV. art. III. pag. 650. &c. *Suarez* Tom. II. de Religione Tractat. V. *Maſtrius* Theol. Mor. Diſp. XI.

6. *VOTUM* DEO mnncupatum de meliori bono, ut eſt pulcher actus Religionis, ita ejus violatio & inſraƈio cedit in contemptum & injuriam DEI. Oportet autem votum eſſe ab homine

libero ac voluntarie factum: nam qui alteri obligatus eſt, non poteſt de re obligata vovere. Voti autem infractio eſt perduellio & perfidia erga DEUM, tanto pejor perfidiâ erga hominem. Vid. *Raynaudus* de Virtutibus Lib. IV, Sect. III. n. 335. &c. S. *Thomas* II. 2. Qu. LXXXVIII. *Suarez* Tom. II. de Religione Tract. VI. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. XI. Qu. III. Art. III.

7. *ABNEGATIO* DEI aliæque ſimiles inſaniſſimæ nequitiæ.

8. Cultus *LATRIÆ* ſoli DEO tanquam ſummo Domino adorando debitus ſi impendatur vel creaturæ viventi, ut angelo aut homini; vel non viventi, ut imagini, graviſſimum eſt peccatum. Ac cedant tandem miſerabiles heterodoxorum miniſtri, mentientes contra propriam ſcientiam, à Catholicis hunc cultum impendi Sanctis, & Imaginibus. Adeo non impendimus, ut illum uno ore dicamus eſſe graviſſimum ſcelus juri naturæ repugnans. Vid. S. Thom. 2. II. Qu. LXXXIV.

Cultus externus jure naturæ arbitrarius eſt aliquo modo.

Jure civili reſtrictus

Thema V. Signa, ſeu externa ratio cultus DEI, ſeu religionis, jure naturæ puræ de ſe ſunt arbitraria, modo non alteri dictamini legis æternæ repugnent. In *ſtatu* autem *civili* adventitio arbitrium hoc naturale reſtringitur per conventionem publicam vel ad poteſtatem magiſtratus politici; ut apud pauciſſimos eſt factum: vel ad poteſtatem ſacerdotum, augurum &c. ut pleræque omnes gentes fecerunt, interdicto tam ſingulis, quam etiam magiſtratibus jure ſacrorum. In *ſtatu* aut *revelato* arbitrium tam magiſtratuum ac Principum quam totarum civitatum, imo omnium omnino hominum reſtrictum eſt ad normam revelationis.

Jure revelato præſcriptus.

1. Thema hoc quoad omnes ſuas partes tam videtur manifeſtum ut ejus probationem nemo deſideret: Priora enim duo capita congruunt libertati humanæ, quæ manet, quamdiu eam non circumſcribit altior dominus. Tertium congruit Servituti eſſentiali hominis, ac eminentiſſimo juri dominioque DEI.

Cui repugnant Larvati Juris naturæ Scriptores.

2. Atque in horum ſtatuum inter ſe mira confuſione vehementer peccant Larvata heterodoxorum ſcriptorum Jura naturæ. In Statu enim revelato æque ac puro volunt omne jus ſacrorum competere ſolis magiſtratibus civilibus, adeo ut etiam falſum & DEO repugnantem cultum Introducentibus parendum ſit, alii rurſus alio errore ſtatuunt, plane nulli hominum competere jus ſacrorum, ſed ſoli DEO in extremo judicio de religione reſpondendum fore; nempe ut excludant poteſtatem ſacerdotum. Alii alia partim ridicula ſomniant; ut nunquam, cum à vera regula ſemel eſt receſſum, error tantum ſimplex committitur, ſed alius ex alio naſcitur: quod in heterodoxorum doctrinis manifeſtum. Vid. *Larva detracta*.

3. Sicut enim contra rationem eſt, ſi velis Pariſiis ita vivere ſicut viveretur in Iaponia; ita multo magis contra rationem eſt, ſi velis Pariſiis ita vivere, quemadmodum vivebatur in Paradiſo, aut ante diluvium; injuſtiſſimum autem eſt, ſi revelata de Religione præcepta agnoſcas, & iis contemptis ſequaris ea, quæ homuniconum arbitrio conſtituta ſunt. Quodſi vero præcepta Chriſti revelata eſſe non agnoſcant, perperam inter Chriſtianos cenſentur, nec ſunt aliter legendi quam ethnici.

Timor DEO debitus.

Thema VI. Ex Dominio, providentia ac juſtitia DEI agnita naturaliter ſequitur in anima *TIMOR* DEI tanquam vindicis malorum, isque præcepto affirmativo juris naturæ eſt neceſſarius, ut natura coërceatur à peccato.

Id adeo agnoverunt Gentiles Philoſophi ac populi, ut nullæ uspiam leges etiam humanæ conderentur, quibus non timor DEI pro fundamento ſubſterneretur. Adeo ut quidam dixerit: *Primus in orbe Deos fecit timor.* Quod non male dictum eſt, ſi ita accipitur, quod timor fuerit primum fere medium perveniendi in agnitionem ſupremi dominii DEI: cum nempe viderunt homines res maximas, & punitiones hominum fieri, ab hominibus non ordinatas ſed à ſuperiore vi.

Debet eſſe non Servilis

Thema VII. Timor alius eſt *Servilis*, alius *filialis*, alius *mixtus* ſeu potius conjunctus. *SERVILIS* timor eſt tantum formido pœnæ: atque iſte malus eſt, ſi excludat amorem, ſive non ducat ad DEUM ſed potius recedere faciat, & ducat ad inhærendum rebus mundanis.

Sed filialis,

FILIALIS timor metuit non pœnam ſed culpam ſeu offenſam numinis tanquam Patris. Et hic eſt perfectus. Isque principaliter debetur DEO, qui non tantum dominus, ſed ideo dominus eſt, quia nos genuit.

Aut medius.

Timor conjunctus ſeu *MEDIUS* eſt, quem S. Thomas initialem vocat: cum tam pœnæ quam culpæ metus urget animum jam ad perſiſtendum in bono, jam ad recedendum à malo. Et hic ſalubris eſt, ſoletque initium eſſe pœnitentiæ, debetur hic DEO, tanquam medium ad perfectum filialem.

1. De omnibus videatur ampliter S. Thomas II. 2dæ Quæſt. XIX. & Theologi

dque jure naturæ-

logi vulgo in illum locum. Ubi notandum, quamvis Theologi loquantur de Timore ut ſupernaturali; non tamen omittunt de eodem etiam loqui ut naturali. Quod in omnibus iſtis eſt obſervandum. Nam Amor, Timor, fides, ſpes, religio omneſque virtutes morales naturaliter ſunt debitæ DEO: Supernaturales fiunt per novam infuſionem à DEO, aut quia emanant ab infuſa charitate ſupernaturali: quæ charitas, obligationes naturales non tollit, ſed perficit: cum naturales obligationes ſint quædam diſpoſitiones ad ſupernaturalia. Unde recte utraque à Theologis tractantur, contrà quam imperent heſterni heterodoxi Juris naturæ ſcriptores.

2. Idque elucet ex Salvatoris ipſius doctrina, jubentis in hunc modum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Matthei X. v. 28. Quæ doctrina adeo naturalis eſt, ut cuicunque genti etiam non Chriſtianæ expoſita ſtatim videatur vera: exceptis aliquot heterodoxis Juris naturæ ſcriptoribus, quibus nihil videtur verum naturaliter, quidquid eſt in ſacris litteris comprehenſum. Si enim vidtrentur hæc illis naturaliter vera, non poſſent ea excludere à jure naturæ diſcendo aut docendo.

CAPUT XII.

Reflexiones quædam ſupra Officia hominis erga DEUM.

Præcepta divini cultus non nimia ſunt.

Thema I. NOn ſunt nimia præcepta juris naturæ, quæ de DEI notitia, amore, cultuque indicavimus.

1. Equidem ea paucis verbis enuntiari poſſunt: *Diliges DEUM tuum ex toto corde* tuo. Vel: *Dominum DEUM tuum adorabis & illi ſoli ſervies.* Sed tamen ob hominum nondum doctorum uſum, quales ſunt plerumque juvenes, aliique, neceſſe erat aliqua diſtinctius & magis ſigillatim exponere.

2. Lex naturalis erga proximum etiam ipſa paucis verbis efferri poteſt: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum:* Et tamen nemo vituperat, ſi ad hanc legem particulatim exponendam integræ bibliothecæ ſcriptis implt antur. Et quis vituperio dignum cenſebit, ſi ſaltem tantundem in officia erga DEUM impendatur; quæ ſi nulla eſſent, ceſſarent neteſſario omnia erga homines officia cum ipſis hominibus.

Jus naturæ ſpurium eſt, ubi off c's erga DEUM excluduntur omittuntur, negliguntur poſthabentur, nec pro fundamento ponuntur.

Them. II. Hæc eſt certa nota Juris naturæ nequiter ſcripti ubi officia erga DEUM ab eo excluduntur. Omniſque liber aut homo male docet naturæ jus, qui aut omittit officia hæc erga DEUM; aut negligenter ea prætervolat; aut ea poſtponit aliis velut aliquid acceſſorium: aut in illis non collocat ſummam ac fundamentum Juris naturæ.

1. Hoc dudum hactenus probavimus Cap. I. II. &c.

2. Si per impoſſibile fingamus alicujus provinciæ homines *jure regio* ita pendere à ſuo rege, ut nihil omnino in ipſis ne concipi quidem poſſet independens à rege: & deinde aliquis vellet deſcribere illud *jus regium* ſic, ut aut nullum eſſe erga regem officium aſſeveret, aut officia regia neglectim, inter ultima & acceſſoria memoraret: quæro isne homo bene deſcripſiſſet *Jus regium*? Jam jus naturale eſt *Jus divinum*, à DEO ſolo cum ipſa natura conſtitutum: igitur qui officia in DEUM neglectim aut perperam tractat, nequaquam *Jus divinum* ſeu *naturale* tractat.

Thema III. Heterodoxi juris naturæ Scriptores partim nequiter, partim negligenter, ac perperam tradunt officia erga DEUM.

Quale eſt Heterodoxorum.

Hoc thema multis modis probatum dedimus in *Larva detracta* Dedit illud probatum C. P. *SCHWARTZ* in ſuo Jure Naturæ & Gentium *Leibnitzius* & alii.

Them. IV. Totus conatus heterodoxorum Juris naturæ ſcriptorum ad hoc tendit, ut religionem, præſertim Chriſtianam ſeu veram è medio tollant, & in ejus locum inducant libertatem ſentiendi aut quidlibet, aut nihil, aut male.

Ad libertatem adverſus religionem ducentium.

1. Ad hoc primo auferunt è jure naturæ *auctoritatem.* Quam ſi admitterent, hæc libertas effrænis ſtare non poſ-

Cum à J. Naturæ tollunt auctoritatem.

poſſet. At nos docuimus, auctoritatem jure naturæ eſſe neceſſariam, quia ſine ea eſt impoſſibile ordinarie pervenire ad agnitionem juris. Quod partim nec ipſi heterodoxi negare poſſunt. V. *Larva detracta.* & hic ſupra *Cap. III. Th. XXI.*

Et traditionem.

2. Cum auctoritate è medio etiam tollunt *traditionem.* Quæ tamen eſt Juris naturæ. Sine hac enim nemo ordinarie, neque ipſi heterodoxi ſcriptores poſſent officia juris naturæ agnoſcere. Omnis retro ætas, omnes philoſophi plurimum auctoritate veterum in doctrina morum nitebantur, hi ſoli heterodoxi cur tanto ſtudio eam impugnant?

Antiquos traducunt, quod repugnat Juri naturæ. Charitati, Prudentiæ.

3. Cum traditione rejecta ſcurrilitet etiam temerant famam antiquiorum doctorum ac Patrum, quorum multi vitam pro vera doctrina profuderunt. Repugnat hoc juri naturæ: nempe gratitudini; cum ab his nos acceperrimus doctrinam: repugnat veritati; cum falſiſſimum ſit, illos Doctores eſſe ignorantes, ut mentiuntur hæretici. Repugnat præcepto honorandi majores. Repugnat charitati proximi; cum juvenes incauti inducantur ad ſpernenda monita majorum iisque præponenda ſua propria inventa. Certe ſcandaloſa res eſt: Nulla gens ſeu culta ſeu barbara veteres ſuos doctores unquam tanto contemptui, deriſui, ac ludibrio habuit, ut heterodoxi iſti, qui Chriſtianos ſe fatentur, ſugillant veteres Chriſtianos doctores. Repugnat hoc prudentiæ: quippe ſtolidus eſt, qui ſe ſolum ſapere putat, ceteros omnes inſanire: ſtultus eſt, qui lumina diſtributurus in alios, non ea inde accipit, unde poſſet accipere, ſed potius extincta vult. Improvidus eſt, qui promittit doctrinam meliorem omnibus antiquis, & tamen ei fundamentum auctoritatis, quo conſiſtere ea doctrina poſſet, ultro ſubtrahit. Itaque jure contemptum diſcipulorum expertus eſt Puffendorffius & alii, debueruntque à diſcipulis ſuis audire, ipſos fundamenta nulla aut inepta poſuiſſe, atque omnia tenebris velut data opera involviſſe. Vid. *Larva detracta.* Qui enim contempſerant magiſtros, contemnuntur à diſcipulis.

Ad evertendam religionem inducunt ſolam rationem, ut regulam vitæ, etiam civitatum.

4. Ad evertendam religionem hac via procedunt: primo dicunt, Jus naturale eſſe regulam, ſecundum quam primario ordinari debeat tum ſingulorum hominum vita, tum regna ac civitates: At jus naturæ conſtare *Sola ratione.* Ex his duabus præmiſſis, quas totis libris defendunt, neceſſario ſequitur, hominum ſingulorum & omnium, vitam dirigendam eſſe *ſola ratione.* Tametſi vero hanc conſequentiam non audeant palam adſerere, vel interdum fraudulenter contrarium dicant, tamen nemo non admiſſis eorum præmiſſis poteſt ac debet eam conſequentiam adadmittere; & ipſorum contrarium ſonantia quædam dicta ſunt proteſtationes actui contrariæ, quemadmodum Juris conſulti loquuntur. Hæc autem conſequentia, *ſola* ratione, eaque humana totam hominum vitam regi, præſertim ſi hujus vitæ commoda pro ſcopo hujus juris naturæ ſeu ſolius rationis ponantur, animæque immortalitas relinquatur in medio, & inſuper Revelatio divina à jure naturæ, conſequenter à regimine vitæ humanæ penitus excludatur; hæc omnia ſi combinentur, fieri aliter vix poteſt, quam ut illa libertas omnia aut nihil ſentiendi vigeat, religio autem peſſum detur.

Et commoda temporanea pro fine ponunt.

Revelationem excludunt.

Them. V. Singularis heterodoxorum ſcopus eſt, *Catholicam* religionem ex animis Nobilium expungere per libros, quibus Juris naturæ nomen inſcribunt.

à Catholica Religione Nobiles abducunt.

1. Multis id oſtendit Cl. P. Schwartz in Jure Naturæ.

2. Catholica Religio tam ex ratione, quam ex imperio revelato docet, in vita humana, in republica primam vim, dignitatem ac poteſtatem eſſe in cultu divino, in officiis erga DEUM: atque cetera, quæ ad corpus, familias, cives ſpectant, negotia externa Religioni Revelatæ ſubordinata eſſe. Huic doctrinæ naturaliter ſanæ & ſanctæ, & divinitus mandatæ iſti neutiquam adſentiuntur, ſed eam, quia non placet, oppugnant. Quibus autem arietibus? Nempe negant aliqui in jure naturæ dari religionem, idque negant clauſis ad lucem, quæ etiam ethnicos illuſtravit, oculis: idque negant ii, qui in jure naturæ docent omnia ſola ratione ſtatuenda: quaſi vero non ratio ſed inſania quædam philoſophos ac populos docuerit agnoſcere DEUM ac colere.

Quibus mediis?

3. Alii dari aliquam ſed umbratilem, quæque in ſocietatum humanarum conſtitutione vix aut omnino non attenta fuerit, ſed quæ potius ad commoda externa vitæ ordinetur. Hi rurſus à ratione, quam ſolam in jure naturæ ſequendam decreverant, toto cœlo aberrant; & DEUM verbis loquuntur, rebus tollunt: nam per hos improvidus, injuſtusque eſt DEUS, neque adeo DEUS eſt, ut alibi docuimus *in Larva detracta.* Et ratio vetat rem nobiliſſimam DEI honorem, ſubordinari rei vili, commodis hujus vitæ. Ratio eadem

dem

dem vetat ab eo qui tamen ſe ſervum DEI agnoſcit, quique Atheus non eſt, ſervitium DEI poſtponi commodis ſuis.

Verbis admittunt religionem, re tollunt.

4. Alii deinde admittunt verbis aliquam religionem, imo verbis admittunt etiam Chriſtianam doctrinam: ſed eam nihil ad hanc vitam pertinere ſed ad futuram: in hac porro vita principem curam eſſe commodorum iſtorum externorum, vitam æternam ſola interna fide, acquiri nihilominus. Ideoque religionem etiam Chriſtianam in hac vita non debere dominari actionibus civitatum, ſed cives potius aliquos, nempe magiſtratus (qui certe & ipſi cives ſunt) poteſtatem Sacrorum Chriſtianorum habere. Ea autem quæ in prima Chriſtiana Eccleſia geſta ſunt, ubi Epiſcopi moderabantur religionem, clanculario ac furtim tentata fuiſſe. Vid. *Larva detracta*. Hoc, inquam, eſt verbis relinquere, re tollere religionem Chriſti. Quaſi Chriſtus non eſſet Dominus naturæ, & doctrinæ ſuæ; quaſi non deberet ejus doctrina per illos regi, quibus ipſe commiſit regendam; aut quaſi ulli principum aut magiſtratuum feciſſet poteſtatem in illam: aut quaſi poſſibile eſſet religionem eſſe unam, & univerſalem in toto orbe (quod Chriſtus voluit) ſi tot principum inter ſe per omnia pugnantium arbitrio relinqueretur?

5. Hoc autem, quod heterodoxi iſti faciunt, non eſt pugnare legitimis armis, ſed impetu tantum agere, qui in ipſos denique incurrentes recidit. Nam aut Principes Chriſtiani ſunt in omnibus ſubditi Chriſti aut non? Si ſubditi ſunt, parere debent mandatis Chriſti, & ſecundum ea per omnia regulari. Si non ſunt ſubditi: vel erunt plane ad eum nihil pertinentes, quod egregium dogma ſcilicet foret: aut erunt alterius ſummi Domini ſubditi; aut erunt tantum Chriſto confœderati? aut ipſi erunt domini Chriſti? Abſurdiſſima omnia & ſanæ rationi adverſa, ſecumque mire pugnantia, poſtremum autem blaſphemum & impium, quod tamen ſtatuunt heterodoxi, dum Principes faciunt dominos religionis Chriſtianæ, & poteſtatem à Chriſto non acceptam, ſed natura ſibi ipſis propriam, exercentes ſupra Chriſti mandata.

Tutius ſequimur SS. Patres, quam Puffendorfſium &c.

Thema VI. Tutior eſt, qui in officiis erga DEUM addiſcendis ſequitur S. Thomam & SS. Patres (ne dicam S. Scripturam) quam Puffendorffium, Thomaſium Wolffium &c, In negotio autem hoc, à quo, etiam naturali dictamine omnium populorum, pendet Beatitudo, ſecurior pars eſt eligenda; cum qui à Summo Bono aberravit, omnia perdiderit: ut rurſus ſana ratio omnes docet.

Qui cum illis nec in comparationem venit.

1. Quamquam Puffendorffius & omnes heterodoxi juris naturæ ſcriptores ſimul conjuncti in nullam comparationem venire debeant vel cum ſolo S. Thoma, quod manifeſtum eſt iis, qui vel Summam D. Thomæ legerint. S. Thomas viginti volumina magna ſcripſit ſtricta plerumque methodo, ubi nullæ ſtylo laxatæ habenæ, ſed argumentis & ratione omnia conferta: in quibus quidquid eſt Sacræ profanæque doctrinæ, accurate eſt pertractatum: Eaque omnia D. Thomas ſcripſit *ex ingenio*, & conformiter doctrinæ Patrum, Philoſophorum, ſenſuique communi.

S. Thomæ prærogativæ à ſoliditate:

2. Conferat aliquis cum hoc Puffendorffium & ceteros: hi pauca ex ingenio eaque dicacitatis infrunitæ, non ſtrictæ methodi. Pleraque eorum opera ſunt collecta ac velut dorſo comportata: aut abſolvuntur in materia jam præparata in alium ordinem digerenda, ut Heineccii labores: aut in recitandis à memoria vel archivo hiſtoriis.

Ab antiquitate & examine:

3. S. Thomæ doctrina à tot ſubtiliſſimis per quingentos annos viris ad ſyllabas usque examinata adeo omnium admirationem meruit, ut nemo unquam ſomniet, eum *nulla aut inepta principia* totius ſuæ doctrinæ poſuiſſe. Quod tamen Heineccius diſcipulus ſtatim in ſuis magiſtris deprehendit poſt annos vix triginta.

Ab auctoritate

4. S. Thomam in Conciliis generalibus propoſuerunt pro magno Doctore tot Epiſcopi tot Theologi, tot Principum ac gentium legati. Neſcio utrum, ſi hodie aliqua *Synodus Dordracena* convocaretur à proteſtantibus, Puffendorffium aut Heineccium aut Grotium pro ſuo doctore proponere vellent aut poſſent.

5. Deinde Heterodoxorum doctrina juris cum in ratione verſatur, plena eſt Sophiſticarum fallaciarum cum plerique ſint expertes logicæ ac metaphyſicæ diſciplinæ. Probavimus id *Larva detracta* Cap. XII. &c. & XVI.

6. Cum vero Religionem revelatam & Sacram Scripturam ex ſuo jure naturæ excludunt, produnt, quid horreant: nempe ne difformitas doctrinæ ipſorum cum doctrina divina facile deprehendatur. Contra S. Thomas concordiam rationis & Revelationis pulcre ubique oſtendit.

7. Ex hac ipſa divinæ doctrinæ excluſione, ex ingenii ipſorum tenuitate, ex laborum ignobilitate, ex Fallaciis quibus vel conſulto vel per inſcitiam

implicantur, videtur mihi manifeſto decerni poſſe, nullum hominem, nullam civitatem, nullum principem eſſe tutum in ſequenda doctrina Puffendorſſii ae ceterorum. Cum enim à regunda republica excludit doctrinas divinas, fieri vix poteſt ut non in eas ſæpe peccet. In quas ſi peccatum fuerit, quid prodeſt quantumvis apparenter bona reipublicæ directio? *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Hoc nos Chriſtus monuit Matth. XVI. ℣. 26. Quæ ſententia non ſolum revelatione ſupernaturali vera eſt, ſed totius humanæ naturæ confeſſione manifeſta: nullus enim eſt homo, qui cum moriendum eſt, non agnoſcat, nihil ſibi profuiſſe præterita, ſi poſt mortem male ſit.

8. Contra S. Thomas pulcherrimum habet à tota Chriſtianitate doctiſſima ac piiſſima teſtimonium. Ille doctrinæ ſuæ fundamenta ponit ſolida, ita ut ii, quibus ratio deficit, poſſint eam ex ipſo haurire ae diſcere: quibus ea adeſt, gaudeant tamen quod eam apud ipſum confirmatam inveniant: quibus autem ratio dubia & in ancipiti eſt, ex illo poſſint illuminari; quia & ipſe illuminatus erat ex antiquioribus tam Philoſophis quam Patribus, maxime vero à Spiritu divino, quem ſanctitate morum, ac orationis aſſiduitate ſibi conciliabat. Sicut autem homines rudiores multa diſcunt ex multo ſermone cum ſapientioribus habito, ita Sancti homines & à commodis corporis abſtracti longe plurima diſcunt ex ſermocinatione cum DEO. Præſertim cum de divinis docere digne nemo niſi DEUS ipſe poſſit. Valeat ergo Puffendorffius: ejus juri naturæ in hac ſaltem prima parte de officiis erga DEUM meritò inſcribitur: *Procul eſte profani.* Vid. Cap. XXII. Them. XXIX. ſeq.

Athei explodunt officia erga DEUM. *Them. VII.* Athei, Naturaliſtæ, indifferentiſtæ aliique hujus ſarinæ male ſugillant hæc officia, aut pro indifferentibus habent.

1. Multi fuerunt, qui Chriſtianæ pietatis officia contempſerunt, aut ſcriptis oppugnarunt. In omnibus autem id obſervatur, quod multos quidem cavillos quæſiverint objicere doctrinæ noſtræ: nullus autem eorum adhue potuerit excogitare meliora, & quæ non multo magis paterent objectionibus non tantum cavilloſis ſed etiam quæ ſenſum communem non offenderent. Proverbio dicitur: Stultum unicum una hora plus negare poſſe, quam à decem ſapientibus toto die probetur.

Qui tamen nihil ſanius poſſunt dicere.

Nihil facilius quam negare etiam evidentia, ſi ſemel petulantiam indueris phantaſiæ, & ſenſum communem omnem exueris.

2. Prodeat tandem aliquis Atheus & proponat ſyſtema vitæ humanæ remotum ab omni officio ac ſervitute erga ens aliquod ſummum, & quod cohæreat, nec ſeſe ipſum continuò deſtruat. Imo vero non prodeat, nec prodibit quouſque aliquis oſtenderit, hominem eſſe dominum independentem.

Thema VIII. Fides, ſpes, Amor, cultus DEI cognoſcuntur quidem naturaliter, ſed longe impari effectu, quam qualis ex notitia per Sacram ſcripturam & Chriſtum hauſta ſequitur. Quamobrem divina revelatio in jure naturæ gentibus tradendo infeliciter excluditur; quin potius debet omnibus officia erga DEUM penitus diſcere volentibus ſedulo exponi ac ſuaderi. Revelatio à Jure naturæ infeliciter excluditur.

1. Hoc apparet, cum tempora comparamus. Omnes gentes ac gentium ſapientes agnoverunt DEUM credendum, amandum, colendum eſſe: Sed tum in ipſa hac agnitione plurimum fluctuarunt, tum in ipſo dein cultu fœdiſſimos craſſiſſimoſque errores ac ſcelera etiam admiſerunt. Legatur Plato, Ariſtoteles, Seneca, Cicero: hi omnes clare perſpexerunt popularem religionem ſuis temporibus vigentem eſſe falſam, ridiculam, impiam. Id enim Plato permultis locis manifeſte profitetur, impietatis arguens Poëtas eorumque principem Homerum talia de diis confingentes. Seneca ae Cicero non continuerunt ſe, quo minus etiam jocis publice traducerent ſacra gentilia; id quod Plautus, Terentiuſque palam in Theatro Romano ſpectandum dederunt; & Lucianus atque Apulejus acerrimo addito ſale perfricuerunt. Probatur experientia Gentium & Philoſophorum.

2. Sed cum veniretur ad hoc, ut meliora ipſi de DEO deque officiis erga DEUM docerent, tum vero in incredibiles anguſtias conjecti ſunt. Ariſtoteles de Primo ſuo motore tam inconſtans eſt, ut etiamnum à non paucis Atheus habeatur. Socrates, qui videbatur pro vera divinitate mori, in ultimo articulo Æſculapio gallum imperavit, ſerio an joco, anceps: ſed ſi joco factum, vix decebat gravem philoſopum jocari tum & coram illis, qui venerant ex ejus morte intellecturi ultimam in DEO fiduciam. Plato de divinis magna quidem loquitur, ſæpe autem adeo timide, ut videatur doceri malle quam docere: cer-

re deſperat vulgo poſſe perſuadere quæ ipſe ſentiret: hæc eſt cauſa, cur toties auctoritatem ſua majorem ſuſpiret. De ceteris, ne prolixus ſim, omitto. Vid. Cap. VIII. Th. XI.

3. Illud omittendum non eſt, quod eſt hac in re caqut: neque ſingulos hos philoſophos, neque juratas in eorum doctrinam ſcholas & ſectas perſuadere potuiſſe vel uni Græciæ, italiæ, Aſiæ, aut Ægypti vico, ut ab idololatria deſiſterent; aut ut aliquis ab illa anxietate liberaretur planeque certus ſine formidine fieret de vero cultu; aut vel digitum eripi ſibi de manu pateretur in teſtimonium veritatis à ſe cultæ.

4. Id etiam in Plotino, Porphyrio, Celſo aliisque philoſophis conſpicere eſt, qui poſt Chriſti mortem vixerunt: qui quidem lumine à Chriſtianis literis mutuato adjuti longe excellentius de officiis erga DEUM ſenſerunt, quam eorum magiſtri Plato & Ariſtoteles; miris tamen modis implectuntur in ſeſe ideo, quia naturali tantum lumine freti etiam quæ divinæ erant revelationis, conabantur ad ſua decreta pertrahere; deſtituti enim illa gratia nec ſe nec alium quemquam certum reddere potuerunt.

5. Contra ubi Chriſtus venit, & tribus ſolis annis concionatus eſt, actusque poſtea in crucem; & paucos piſcatores absque literis miſit ad ignotas notasque gentes, ad barbaras & cultas, ipſosque rerum dominos Romanos, quid fit? Pueri puellæque, agreſtis turba, Philoſophi, milites, publicani, aulici, Principes ſemel iterumque audita doctrina nova conſentiunt non adducti diſputationis acumine ſed veritatis vi, quam ita avide exceperunt, ita fortiter adhæſerunt, tam procul ab omni dubio, anxietate, aut alterius doctrinæ vel auctoritatis deſiderio; tanta inſuper animi conſolatione, ſuavitate, ac fiducia, ut ignea & enſes non perſentiſcerent. Spes, fides, amor, hoaor, timor agniti tandem numinis veri, agnitique officii vicit dolorem, vicit tyranni metum, vicit voluptatem, vicit omnia quæ hujus ſunt mundi, ut agnito mundi Domino ſervirent omnibus viribus ſuis.

Deploranda, qui vetant jus naturæ diſcere ex divinis.

Thema IX. Deploranda itaque eſt cœcitas eorum, qui jura naturæ, quæ divina ſunt, vetant nos diſcere per illa ipſa tam ſalubria, fortia, ac certa media, per quæ gentes ad Chriſtum adductæ ſunt. Præſertim id deplorandum eſt, ubi Chriſti vox, & quidem agnita ut naturaliter juſta, non admittitur ad officia erga DEUM diſcenda: quaſi neſciſſet ille, ut colendus amandusque ſit DEUS.

DE OFFICIIS HOMINIS

erga

SE IPSUM.

CAPUT XIII.

Fundamenta Officiorum erga ſeſe

Nullum eſt officium hominis *pure* erga ſemet:

Them. I. NUllum datur hominis officium *pure* erga ſe ipſum, ſive ut per illud unice ſibi ſatisfacere homo debeat.

quia ipſe non eſt ſuus,

1. Ratio eſt manifeſta; quia homo non eſt ſuus nec ſummus Dominus.

ſed Domini.

Quidquid ergo ſibi debet, debet tantum ratione ejus dominii, quod ipſi communicatum aut participatum eſt à ſummo Domino. Hoc eſt, proprie non ſibi ſed ſuo Domino debet officia. Quia homo, ut agnovit Plato, *DEI poſſeſſio* eſt.

cui facit injuriam:

2. Quocirca lædens ſeſe aut omittens officia erga ſeſe, non tam ſibi quam Domino injuriam facit.

Sed & ſibi.

3. Facit tamen etiam ſibi, quia per hanc omiſſionem & violationem impedit, quo minus à Domino ea præmia conſequatur, quæ utique ſibi bona forent; & facit, ut pœnas experiatur, utique ſibi malas. Videatur *S. Thomas* 2. II. Qu. XXV. Art. IV. &c.

Jure naturæ DEO omnia habenda, exercenda;

Them. II. Jure naturæ tenetur homo omnes ſuas facultates & actiones, internas externasque ita *habere*, ita *exercere*, ita *non exercere*, ut vel *di-*

recte tendant ad finem à Domino propoſitum; vel ſaltem *indirecte*.

Directe.

Aut indirecte.

1. *Directe* dico tendere v. g. Intellectionem in finem à DEO propoſitum, cum intellectio mea fertur in DEUM ut Dominum ac finem meum. *Indirecte*, cum intellectio mea fertur in motum cæli, in animantium naturam, in negotia civilia; ſic tamen ut aut expreſſe per iſtam intellectionem ulterius tendam ad intellectionem DEI; aut ſaltem ulteriorem relationem non excludam, ſive ut illos cælos, illa negotia non ſtatuam pro fine & in illis quieſcam ita, quaſi nullus ulterior ſupereſſet finis. Talis enim creatura etſi ſerviret DEO ſicut & lapis & canis ſerviunt, non tamen ſerviret ut homo: ſive non expleret omnes partes, quas ei impoſuit DEUS.

Probatur.

2. Hanc autem eſſe hominis obligationem patet ab inductione omnium creaturarum. Lapidis naturæ & officium eſt tendere ad terræ centrum: ſi quis lapis aut averteret ſe à centro, aut in medio quieſceret, is mutatam haberet indolem; aut certe in tali quiete vel in tali averſione non exerceret officium ſeu vim lapidis, ſed diverſam & repugnantem. Idque in omnibus creaturarum functionibus agnoſcere eſt. Fundatur in Cap. II. & III.

3. In homine par ſane eſt ratio. Nam libertas arbitrii, qua præditus eſt, illum neutiquam abſolvit à ſervitute, ſed excellentius alligat. Omnia enim, quæ Creator addidit alicui creaturæ, ſunt totidem vincula, quæ eum ſervum conſtituant. Quo plura ergo accepit, eo pluribus vinculis eſt ſervus. Et quo fortiora ſunt accepta eo, fortius ſtringunt ſervum. Fortiora autem ſunt ea, quæ divinæ naturæ ſunt propriora & ſimiliora; cum per ea plus participetur divina natura. Inter hæc autem eſt libertas non propria hominis, ſed *accepta*.

4. Romani quoque ethnici aliquid huic quodammodo ſimile in ſua civitate agnoverunt. Servus enim apud ipſos à Domino manumiſſus, non omni obligatione erat liber, ſed cæco tantum ſervitio exemptus: exigebatur autem ab eo obligatio quædam eo ipſo excellentior, intimior, atque melior, quod ſimilior jam factus eſt Domino, & amore potius, quam cæco obſequio proſequi herum tenebatur. Ita creaturæ ſenſibiles ceteræ cæcam exercent ſervitutem & craſſam, ſuperficiariam. Homo libertatem nactus initio, exercere debet ſervitutem intimam. Hæc puto difficultate carere.

Deeſt officio, qui neceſſaria negligit, aut perdit.

Them. III. Sequitur, hominem illum deeſſe officio, qui facit, ne habeat, quod hominis natura debet habere; aut qui facit, ut habitum perdat.

Ratio eſt ſita in ſervitute hominis & Dominio DEI.

Peccatum grave eſt, ſi neceſſitas magna.

Leve, ſi contra.

Them. IV. Quodſi ea, in quibus homo deeſt ſuo officio dicto ſtatim modo, ſunt neceſſaria ita, ut ſine iis homo eſſe non poſſit aut vix, defectus & peccatum erit grave: ſecus culpa erit levis aut levior pro modo neceſſitatis. quæ hic moraliter & ſecundum æſtimationem ad finem accipienda eſt, non ſolum phyſice aut metaphyſice.

Ratio clara eſt. Hoc enim defectu facit, quantum in ipſo, ſervus, ut aut ſervus non exiſtat, aut non integer exiſtat, neque aptus ad ſervitium. De Neceſſitate autem. Vid. Cap. III. Them. XXVI.

Uſus facultatum quando peccaminoſus?

Them. V. Exercitium autem ſeu uſus neceſſarius eorum, quæ habet homo in ſua natura, ſi aut omittantur vel contra finem domini fiant; grave aut leve erit delictum: grave, ſi penitus contra finem: ſi penitus in mediis quieſcatur: ſi totum aut magna pars ſubtrahatur, ſi actus ejusmodi ſint, ut in illis aut cum illis ratio ſervitii erga DEUM non poſſit conſiſtere.

Hæc atque ſimilia alio modo jam expoſita ſunt Cap. VI.

Placet hic Schema officiorum hominis erga ſe ipſum ob oculos ponere, in tabella depictum: qui, omnia ad unguem exprimere voluerit, facile adjunget compluſculos articulos; ex iisdem tamen regulis judicandos.

In-

Quæ Homo habet à DEO, ſunt partim pertinentia ad

- Individuum hominis Quod eſt
  - Anima & in hac
    - Intellectus, fides, ſcientia &c.
    - Voluntas, liber apetitus boni & fuga mali.
    - Memoria.
  - Corpus
    - Senſus
    - Membra
    - Nutritio valentis.
    - Reparatio ægri.
  - Mixta
    - Paſſiones, ut amor, odium,
    - Spes, metus, triſtitia &c.
- Speciem humanam quæ conſideratur.
  - Ut in Omnibus.
  - Ut in Singulis.

Officium hominis erga ſe duplex: *Conſervatio* individui ac ſpeciei: *Them. VI.* Officium ergo hominis erga ſe duplex eſt. I. *CONSERVATIO*, quantum in ipſo eſt, ſeu cura, ne pereat individuum, aut ſpecies: item ne pereat unum ex acceptis: & ſi pereundum alteri eſt, nobilius Deoque proprius ſervetur præ ignobiliori.

***Uſus* acceptorum à Domino.** II. *USUS* acceptorum à ſummo Domino ad finem & ſervitutem ejusdem Domini.

1. Ratio apparet ex Cap. III. Omnia enim ſic accepta ſunt vel talia, ut per ipſam acceptionem conſtituatur homo ſervus DEI: vel talia, quæ ſunt inſtrumenta ſervitutis. At ſervus nec ſeſe nec inſtrumenta ſervitutis aliter habet in poteſtate, quam ut 1mo ea conſervet, & 2do iis ad nutum Domini utatur.

2. Per ipſam exiſtentiam homo conſtituitur ſervus; cum eam à nemine magis quam à cauſa prima accipiat. Effectus enim plus dependent à cauſa prima, quam à cauſa ſecuda, ut ait Ariſtoteles. de Cauſis Propos. I. Facultates autem & membra hominis ſunt inſtrumenta ſervitutis, ut gravitas in lapide, lux in ſole.

CAPUT XIV.

Officia Conſervationis individui proprii.

Juri naturæ adverſatur occiſio ſui. *Them. I.* JUri naturæ adverſatur occidere ſe ipſum, fame, enſe, præcipitio &c.

1. Repugnat enim hoc primo naturali inclinationi, nec illi ſimplici, ſed univerſali. Sagaciſſima eſt hominis natura ad mille modos ac media pro conſervatione ſui invenienda.

2. Homo invictis argumentis agnoſcit, ſe non eſſe dominum ſuum, ſed ſervum altioris Domini: injuriam ergo facit Domino huic, ſervum alienum è medio tollens. Vid. *S. THOMAS* II. 2. Q. LXIV. Art. V.

3. Socratis ea de re ſermo apud Platonem in Phædone non eſt contemnendus, ut hominis ethnici & parati tum maxime cicutam ab Athenienſibus imperatam haurire. Objicit primo *alia ejusmodi accidunt, ut quibusdam melius ſit mori quam vivere. Itaque mirum tibi forte videbitur, ſi his, quibus præſtat mori, non liceat, ſibimet prodeſſe, ſed alium oporteat exſpectare, qui proſit.* - - - „ Profecto ſermo ille, qui „ de hiſce rebus in arcano habetur, „ quod nos homines ſumus in quadam „ cuſtodia, neque decet quemquam „ ex hac ſeipſum ſolvere neque aufugere

,, gere, magnus quidem mihi videtur,
,, neque cognitu facilis. Veruntamen
,, id mihi ô Cebes recte dici videtur,
,, DEUM quidem curam habere noſtri,
,, nos vero homines unam quandam
,, ex poſſeſſionibus eſſe Deorum. - - -
,, Nonne igitur & tu, ſiquod ex man-
,, cipiis tuis ſeipſum perimeret, cum
,, tu minime ſignificaſſes velle te ut è
,, vita excederet, iraſcereris illi, &,
,, ſi poteſtatem haberes, pœna qua-
,, dam afficeres? omnino, inquit. For-
,, taſſe igitur hoc modo non præte-
,, rationem eſt, non prius decere ſe
,, ipſum interficere, quam DEUS ne-
,, ceſſitatem aliquam impoſuerit; qua-
,, lem nobis inpoſuit in præſentia.

4. Ampliſſime eo de ſcelere ex Philoſophis tractat Theophylus *Raynaud.* Tom. IV. De Virtutibus libro III. à n. 115. ad 130.

Nec excuſat gravitas ærumnarum. *Them. II.* Nec excuſatur occiſio ſui ex gravitate ærumnarum hujus vitæ. Niſi gravitas illa uſum rationis adimeret aut impediret.

1. Ultimum enim malorum naturalium, quæ poſſunt homini ab homine inferri, eſt mors. Et ideo inferre ſibi mortem ad alias hujus vitæ injurias evadendas, eſt majus malum aſſumere ad minoris mali vitationem. *S. Thomas* 2da II. Q. 2. LXIV. art. V. ad III.

2. Ærumnæ ſunt temporariæ, quoque majores, eo magis per ſe diſponunt ad finem. At mortem qui infert, quantum in ipſo eſt, æternum malum infert; quia omnes homines ſimul adlaborantes nullaque creatura poteſt reſtituere vitam, ut *S. Auguſtinus* de Civit. DEI obſervat Lib. XXI. Cap. XI.

Non pudicitia. *Them. III.* Similiter etiam non licet mulieri ſe ipſam occidere, ne ab alio corrumpatur. S. Thomas loc. cit.

1. Quia non debet in ſe admmittere crimen maximum, ut vitet minus crimen alienum.

2. Non enim eſt crimen mulieri per violentiam violatæ, ſi conſenſus non adſit.

3. Conſtat autem minus eſſe peccatum ſornicationem vel adulterium, quam homicidium, & præcipue ſui ipſius; quia ſibi ipſi nocet, cui maximam dilectionem debet. Sunt hæ rationes S. Thomæ. S. Auguſtinus Lib. I. Civitatis Cap. XXV. & XXVII. oſtendit, ne ob peccatum quidem declinandum licere ſibi mortem inferre. Non ſunt *facienda* mala, ut evitentur alia mala: *permitti* autem poſſunt, niſi ipſa permiſſio pro cooperatione habenda ſit.

4. S. Hieronymus quidem in Cap. I. Jonæ verſus ſinem habet: In perſecutionibus non licet propria perire manu *absque eo, ubi caſtitas periclitatur.* Verum hoc intelligendum eſt incluſive: ſicut illud Canticorum IV. ℣. 3. *Sicut fragmen mali Punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinſecus latet*; quaſi dicat: nequid dicam de eo quod intrincus latet. Niſi potius intelligendus eſt S. Hieronymus de *indirecte* ſubeunda morte, ad vitandum certum periculum & proximum peccati gravis contra caſtitatem. Quod licitum eſſe infra Themate VIII. defendimus. Vid. *S. Auguſtinus* de Civitate Lib. I. Cap. XVI. ſeqq.

Nec famæ. *Them. IV.* Nec ob infamiam vitandam, nec ob ſervitutis metum, nec ad teſtandum amorem mariti aut heri defuncti excuſatur peremptio ſui. Quæ genera ſcelerum apud Indos hodieque graſſantur, ubi uxores interdum infames declarantur, niſi in rogum mariti inſiliant &c.

Ratio eſt, quia hæc omnia mala minora ſunt morte; & quia hæc non faciunt hominem dominum vitæ ſuæ. Vid. *S. Thomas.* loc. cit. ad 5tum, ubi Raziæ factum vituperat II. Machabæor. XIV. & *S. Auguſtini* Lib. I. Contra Gaudentium Cap. 31. & Epiſt. 61. Hinc immanes fuere Numantini cives, & Xanthii, Cato Uticenſis Antonius, Cleopatra, qui ſibi ipſis necem intulerunt, ut ſervituti hominum ſe eximerent. Omnesque alii deſperati, ut Judas Iſcariotes. Vid. S. Auguſtinus Lib. I. Civit. Cap. XXII. ubi probat, *Quod nunquam poſſit mors voluntaria ad magnitudinem animi pertinere.* Et Exemplum catonis Uticenſis Cap. XXIII. Lucretiæ vero Cap. XIX. excutit.

Nec mandatum humanum. *Them. V.* Ne quidem juſſu poteſtatis ſupremæ humanæ, aut judicis, licite ſibi quisquam infert mortem, cujus ſententia in eum lata eſt.

1. Equidem hoc apud Japones in uſu eſt, ubi reis porriguntur gladii, quibus ventrem ſibimet conſcindant. Et Seneca ipſe ſibi rupit in balneo venas, accepta ab ingrato diſcipulo Nerone ſententia. Et ſub aliis tyrannis id ſæpius ſactum hiſtoriæ docent.

2. Verum ea cum horrore & deteſtatione naturæ fere ſemper fieri, ipſæ etiam illæ hiſtoriæ loquuntur, paucis exceptis, qui pervicacia animi aliaque pravitate naturam corruperint. Et Japonum ipſa à teneris educatio ſolet ad ſtoicam indolentiam ſeu apathiam in-

ſtrui

ſtrui, quæ in re non una ſenſum communem *ſepelit*.

3. Deinde ſufficit, hoc communiter immane ac plusquam tyranicum haberi, & à ſano *populorum* ſenſu abhorrens. Si enim à paucis pravis & belluinis viris ſumenda eſſet regula, illudque dicendum naturale, quod pauci *tale* faciunt, nihil jam erit naturaliter injuſtum: cum homo omnes feras beſtias ſuperare crudelitate, gula, luxuria, ipſa poſſit, ſi propoſitum accedat. Corruptio enim optimi peſſima: & inter ipſos homines deteriores illi ſunt, qui plus ingenio ac viribus valent, ſi omne illud ad prave agendum adhibeant. Vid. de ſenſu communi *Larva Detracta. Cap. VIII. & S. Auguſt.* Civit. DEI Lib. VI. Cap. X. Alexand. *Natalis* in Vtum. præceptum artic. IV. Reg. III.

4. Neque huc facit exemplum Socratis, imo S. Joannis Evangeliſtæ, qui ſententiâ latâ, etiam innocentes ebiberunt calicem venenatum: quo alter periit, alter divina tantum virtute ſervatus eccleſiæ eſt. Quippe bibere non eſt actio per ſe ad mortem apta, ſicut infigere pugionem cordi, aut in rogum inſilire. Cum varia poſſint impedire mortem ex hauſto veneno, ut vomitus, naturalis calor, debilitas veneni, antidoti etiam diu ante ſumpti vis. Deinde reus, vel etiam innocens condemnatus non tenetur, imo raro forte poteſt licite *reſiſtere* neci ſibi inferendæ: reſiſteret autem ſi non biberet, idemque videtur, non bibere, ac infundentibus venenum guttur vi clauſum tenere. Ut ſi carnifex rei dextram pugione inſtruat, eamque apprehenſam ducat in pectus rei, reus non tenetur reſiſtere dextrâ.

5. Non negaverim tamen, *poſſe eſſe circumſtantias*, quibus liceat reo placidiore morte à juſto judice imperata ſe perimere, ut effugiat crudelem per acerbiſſimas excarnificationes, præſertim cum periculo deſperationis. Vid. P. Elbel Conferentiar. Par. IV. n. 9.

Excuſat autem bona fides.

Them. VI. Excuſat non injuriam, ſed malitiam ſeu peccatum mortis ſibi illatæ ignorantia ſeu bona fides, paſſio deliberationem præcedens, aliaque, quæ involuntarium faciunt, ſupraque comemorata ſunt Cap. VI.

Injuria ſeu violatio juris alieni nihilominus eſt, materialiter, & teneretur ad reſtituendum, ſi poſſet. Ut qui alteri auferret centum aureos, putans eſſe ſuos: non peccat, injuriam tamen facit, debetque eam reparare. Hinc non videtur peccare peccato homicidii is, qui magnitudine tormentoum adactus faſſus eſt crimen non commiſſum, de quo vocatus eſt in quæſtionem, cum videatur dolore præventus fuiſſe. Peccat tamen peccato mendacii. Quamquam illud prius dubio non uni obnoxium ſit, pendeatque à circumſtantiis.

Aut mandatum.

Them. VII. Excuſat mortem ſibimet creatam violenter, tam ab injuria quam à peccato, mandatum divinum ita animo publicatum, ut animus de eo moraliter certus ſit.

1. Egregie de hoc diſputat S. *AUGUSTINUS* Lib. I. Civ. DEI. c. 26. Is enim qui abſolutus eſt Dominus vitæ, cum eam ſolus dederit, poteſt abſolute præcipere ut per quemcumque auferatur aut deponatur.

2. Ita Samſon, aliàs ſpiritu divino actus in negotiis ad rempublicam pertinentibus, eodem ſpiritu cenſetur actus, cum aliquot millia Philiſtæorum ſecum ruinâ domus oppreſſit. Ita alii quidam Sancti cenſentur divinitus inſpirati ad ruendum in mortem.

Periculo Mortis exponere ſe licet ob veram virtutem.

Them. VIII. Licet exponere te mortis *PERICULO* etiam proximo, ſi id fiat cauſa virtutis veræ, & non fucatæ. Vera autem erit, ſi poſſit referri ad finem ultimum. Id quod ex neceſſitate, aut permagna utilitate agnoſcitur.

1. Ratio eſt; quia hoc ipſo quod veræ virtutis motivum ſit, eſt de mandato interpretativo DEI. Omnis enim vera virtus, cum neceſſitate aliqua conjuncta, eſt de lege naturali. Vid. *Cap. VII. Th. V.*

Multa ejus exempla.

2. Ita miles poteſt corpus ſuum objicere telis, ut ſervetur Rex vel Dux. Ita idem tenetur ſtationem ſervare, etſi prævideat globos in ſe contorquendos. Ita poteſt ignem ſubmittere cuniculo, navi, ſi admodum grave & injuſtum damnum patriæ per hoc avertere ſperat. Ita licuit virgini Cypriæ ſuccendere navem Turcicam, qua ipſa vehebatur captiva, cum potuerit aliquo modo ſperare, tabula forte ſe enataturam. Ita pro amico gravi poteſt ſe amicus offerre ad mortem illius loco ſubeundam; aut ei tabulam in naufragio cedere. Ita reus accepta ſententia non tenetur fugere ac ſubducere ſe certæ morti. Imo ita is qui crimen commiſit poteſt ejusdem ſemetipſum apud judicem accuſare. In his omnibus enim ſubeſt motivum virtutis, nec abeſt omnis plane ſpes evadendi. Nempe in primo amor boni ſeu reipublicæ, ut & in ſecundo tertioque. In quarto virginitas; in quinto amicitia. In ſexto

oeco-

obedientia & amor juſtitiæ; in ſeptimo eadem & pœnitentia.

Ob integritatem corporis.

Them. IX. Poteſt quis, ſed non tenetur abſciſſione cruris ſubire periculum abbreviandæ vitæ.

Poteſt, quia ſpes eſt ſervandi totius. Non tenetur, quia ſpes non eſt indubia; & medium eſt plane extraordinarium.

Ob ſtudium pœnitentiæ.

Them. X. Poteſt aliquis ſtudio pœnitentiæ, aut carnis ſubigendæ & rebellium paſſionum reprimendarum, caſtigationes corporis, jejuniaque ſubire, non quidem directe mortem accelerantia, & per ſe ad hoc apta, ſed tamen periculum habentia.

1. Eſt hoc apud omnes gentes receptum, & in Eccleſia Chriſtiana vera uſitatum.

2. Ratio eſt primo, quia motivum adeſt veræ virtutis, intendentis ad ultimum finem aſſequendum. Tali enim modo non ſubtrahitur vita DEO Domino, ſed potius vindicatur. Cum vita non tam ſit carnis quam animæ, quæ per hæc in tuto locatur.

3. Deinde ſæpe adeſt moralis neceſſitas, ut ſine his non facile vinci queant tentationes: item ut pœnæ temporales pro peccato, omnium gentium conſenſu debitæ, aliquatenus exſolvantur. Tertio ut ex peccato relictæ inclinationes & habitus pravi aboleantur.

4. Regnum denique cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quod Chriſtus docet, & gentium perpetuus uſus tradit. *Vid. Cap. IX. Th. V. n.* 4. Sic illa Forojulienſis Ducis filia á Barbaris capta laudabiliter ſinui clam impoſuit carnes, ut eorum putreſcentium fœtore barbarorum libidinem à ſe averteret. Quam tantæ virtutis amore captus Garibaldus II. Bojorum rex connubio ſibi junxit. Vid. Paulus Diacon. Hiſtor. Longobard. Lib. IV. cap. XXXVIII. Sic aliæ moniales licite abſciderunt ſibimet naſos ut barbaris irruentibus nauſeam ſuorum corporum crearent.

5. Eſt etiam plane irrationabile, ut reges quidam & opimates multa poſſint exigere à ſuis etiam amicis obſequia, quæ vitam abbrevient, ut cum venatum, equitatum, haſtiludia, continuatas in obſequio vigilias agunt: DEUS autem creator totius hominis, cujus ſervi etiam reges maximi ſunt, non poſſit obſequia talia à ſua factura admittere, quod tamen nonnulli hæretici ſomniarunt, macerationem carnis Juri naturæ repugnantem aſſerentes: ii nempe, quorum finis ſunt commoda carnis, & quorum DEUS venter eſt.

6. Accedit, quod plerumque non ſatis probabile ſit vitæ abbreviandæ periculum. Hominum enim auſteriſſime etiam viventium non raro diuturnior eſt vita, quam viventium delicate utut ſobrie.

Ob ſtudium paupertatis.

Them. XI. Ex eadem ratione poteſt Religioſus paupertatis ſtudio reſpuere medicinas extraordinarias & valde pretioſas. Moribundus poteſt petere, ut humi ſuper cinerem & cilicium deponatur. Virgo aut matrona admodum verecunda poteſt recuſare chirurgum. Sacerdos, medici & alii poſſunt aſſiſtere peſte infectis, imo aliquando debent. Poſſunt aliorum doctores ſtudiis & vigiliis fatigare caput & ſpiritus vitales conſumere, ut ſatisfaciant: & aliquando debent, cum periculum ſanæ doctrinæ imminet. Poſſunt foſſores in fodinis & officinis, multos noxios halitus alentibus, laborare ad ſuſtentandam familiam. Poſſunt cives obſidionem diuturnam ferre & famem extraordinariam ſubire ad ſervandam regi aut reipublicæ fidem. Poſſunt mercatores, nautæ, claſſici mare frequentare, ut & ſuis & reipublicæ proſpiciant; aut alii ut Religionem Chriſtianam importent gentibus barbaris. Aliaque id genus plurima.

Ob Virginitatem. Charitatem &c.

Vita exponenda pro Virtute ſupernaturali.

Them. XII. Cum neceſſe eſt alterum è duobus perdere aut periculo exponere, nempe aut Vitam ac vires naturales, aut Virtutem ſupernaturalem, Fidem, ſpem, Charitatem; exponenda omnino eſt vita temporalis.

1. Id apud ratione utentes non poteſt eſſe anceps: cum nobilius ignobiliori præhaberi debeat, ſi utrumque ſervari nequit. Et ita ſancti *Martyres non reſiſtendo interfecti ſunt, ut potiorem eſſe docerent victoriam, pro fide veritatis occidi.* S. Auguſt. Lib. XXII. contra Fauſtum Cap. 76.

2. Idque locum habet etiam in iis, qui invincibili in errore verſarentur: v. g. in hæretico, ſi is ignoraret invincibiliter ſuam ſectam eſſe falſam. Deberet enim pro ea mortem ſubire. Quia lex naturæ obligat, ut eſt promulgata: at illi eſſet ſic promulgata, ut ſectam practice judicet eſſe veram, nec poſſit ignorantiam, defectu mediorum, vincere. Vid. Cap. VI. Them. VII.

Non licet per peccatum ſervare vitam, membra &c.

Them. XIII. Non eſt licitum ad vitam aut membra ſervanda, vel ad ſanitatem tuendam aut reſtituendam, committere ullum peccatum. Cap. VIII.

1. Quia

1. Quia non ſunt *facienda* mala ut eveniant bona. c. g. non licet mentiri.

2. Licet tamen medico præſcribere, ut æger certam vini copiam bibat, ex qua etiam ſequatur temporaria privatio uſus rationis. Quia privatio talis non eſt per ſe mala, ſed eſt dirigibilis omnino ad ultimum finem, ac reipſa ſæpe dirigitur; ut cum ſomnum nobis conciliamus ad vires reſtaurandas. Nec opponuntur iſta privative, temporarius non uſus rationis ac DEUS; ſicut opponuntur Deceptio falſa ac prima veritas.

Illicitum, valetudinem deſtruere per actiones alias licitas.

Them. XIV. Repugnat Juri naturæ deſtruere valetudinem, ingenium, memoriam, per actiones alias non illicitas, niſi ſit altius motivum, ut Them. X. dictum. Vid. Alex. *Natal.* Lib. IV. Theol. Dogm. de quinto præcepto art. IV. Reg. VII.

Quia nemo horum eſt Dominus, ſed adminiſtrator, & peccat in adminiſtratione magis vel minus, qui rem Domini deſtruit non ordinatam ad Dominum. Sic multi peccant nimium fortibus vinis, nimis variis cibis & condimentis, nimis largo Tabacæ uſu, nimia venatione, nimio uſu connubiali, nimia apud gynæceum conſtrictione corporis, nimium frequenti irâ tametſi alias juſta, medicinarum frequentiore uſu ſine cauſa.

Multo magis per actiones aliàs illicitas.

Them. XV. Multo magis repugnat juri naturæ, deſtruere vitam &c. per actiones etiam alio modo illicitas. Et ſi adſit advertentia, duplex in hoc peccatum admittitur.

Ut ſi infrunita libidine; aſſidue perpotando, aut chimicis operationibus ex avaritia aut mera curioſitate incaute ſuſceptis vitam decurtes; aut ſi ob avaritiam, odium, deſperationem recuſas medicinam vel alia ordinaria media ad ſervandam vitam, ſanitatem, animi præſentiam &c.

Them. XVI. Jure naturæ illicitum eſt duellum, niſi in publico bello juſto &c.

Quia hanc eſſe veram *ſtultitiam* nemo dubitat, ne ipſi quidem qui eam exercent. Et Bellarminus idalicubi in ſermone quodam ſacro pulcre oſtendit. Vid. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. X. Qu. IV. art. II, & Diſp. XI. Qu. VI. art. II. n. 113.

CAPUT XV.

Officia conſervandi ſui quoad ſpeciem.

1. POtiſſima quidem hæc officia poſſunt trahi ad alium. Unde forte vix alia ad hoc caput officia pertinent, quam ne in damnabilia illa peccata quis prolabatur, quæ per ſe apta ſunt ad ſpeciem humani generis delendam, ut Beſtialitas & ſimilia, quæ ſanctiſſimus Apoſtolus Paulus ſuadet *nec nominari* in nobis Chriſtianis, increpans gentes, quod DEI immemores in talia contra naturam vitia proruerunt.

Cœlibatus & vota Religioſa non ſunt contra officium J. Naturæ.

2. Docent heterodoxi cum Puffendorffio, ex hoc capite cœlibatum, virginitatis cuſtodiam, vota monaſtica repugnare juri naturæ; quia cum cœlibatu non poteſt conſervari ſpecies humani generis.

3. ℟. 1. Nos Chriſto & Apoſtolis (ſi per DD. Heterodoxos licet, ſcilicet) longe meliorem juris naturæ ſcientiam adeſſe exiſtimamus. Chriſtus Matthæi Cap. XIX. ℣. 11. non præcepit quidem virginitatem: ſed oſtendit hoc ſingulare eſſe donum ac margaritam à DEO: *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. - - - Qui poteſt capere capiat.* Paulus vero I. Corinth. VII. docet: *qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.* - - - & addit: *Puto autem, quod & ego Spiritum DEI habeam.* Huic ſpiritui cum adverſetur ſpiritus heterodoxus, ipſe viderit, cujus ſit. Nos Chriſtum ſequimur, imo ſenſum etiam communem omnium quaſi populorum, quorum prope nullus eſt, qui cœlibatum damnet: beati futuri, ſi Chriſti id cauſa facerent.

4. ℟. Haud dubie eſſet contra naturam, non quidem abſolute, ſed in moderna hypotheſi, ſi *omnes* homines vellent cælibatum colere; quia hoc tenderet per ſe ad extinctionem ſpeciei humanæ. Sed non eſt periculum, neque, adeo cauſa, cur tantopere pro genere humano ſoliciti ſint hac una in re DD. Proteſtantes.

5. ℟. Quin, ſi fingeremus, omnes homines abſtinere connubio usque ad tria aut ſex paria, quis mihi demon-

ſtrabit propinquum periculum extinguendæ ſpeciei humanæ? Igitur ne in hoc quidem caſu ceteri abſtinentes damnari poſſent peccati contra naturam.

6. ℟. 4. Igitur connubium pauciſſimorum, non omnium, hominum neceſſarium eſt ad conſervandam ſpeciem. Quod adeo manifeſtum eſt, ut nemo ejus demonſtrationem ſanus petere poſſit.

7. ℟. 5. Licitum eſt, uno officio naturæ ſuperſedere propter officium aliud nobilius & propter motivum ſublimius: v. g. licet vitam exponere propter virtutem. Ergo etiam licet ſuperſedere connubio propter virginitatem.

8. Reſpondet 6to S. Auguſtinus: *Ita jam ſe habet humanum genus, ut aliis, qui ſe non continent, non jam per nuptias occupatis, ſed multis etiam per illicitos concubitus luxuriantibus (bono Creatore de malis eorum faciente quod bonum eſt) non deſit numeroſitas prolis & abundantia ſucceſſionis, unde ſanctæ amicitiæ conquirantur. Ex quo colligitur, primis temporibus generis humani, maxime propter DEI populum propagandum, per quem & prophetaretur & naſceretur princeps & ſalvator omnium populorum, uti debuiſſe ſanctos iſto, non propter ſe expetendo, ſed propter aliud neceſſario bono nuptiarum: nunc vero &c. Sed novi, qui murmurent: Quid ſi, inquiunt, omnes homines velint ab omni concubitu continere, unde ſubſiſtet genus humanum? Utinam omnes hoc vellent duntaxat in caritate de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta: multo citius DEI civitas compleretur, & acceleraretur terminus ſeculi.* De Bono Conjugali num. 9. 10. Tom. VI.

9. Oſtendit etiam *Scotus* connubium non eſſe ſtricte de Jure naturæ. in IV. Sent. Diſt. XXVI. num. 9. & 18.

10. Neque Puffendorffius ex ſuo falſo principio *Socialitatis* poteſt probare duobus hominibus ſolis in terra exiſtentibus, ipſis præceptum eſſe connubium: cum ſocietas duorum optime poſſit ſervari ſine impedimento filiorum. Vid. Commentator Scoti in locum num. 9. mox citatum.

CAPUT XVI.

De officiis erga ſe quoad uſum facultatum.

Fundamentum officiorum eſt Dominium DEI & ſervitus hominis.

Them. I. Fundamentum horum officiorum, ſicut omnium omnino, eſt Dominium DEI in omnia, & omnium erga illum ſervitus. Cap. II. & III.

Otioſum verbum contra Jus naturæ.

Them. II. Chriſti doctrina, quæ hic ſequitur, eſt Juris naturæ: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Matth. XII. ℣. 36.

Fundatur in Cap. XIII. Them. I. & II.

Et otioſum factum.

Them. III. Eadem Doctrina non tantum de otioſo verbo, ſed de otioſo cujuscumque facultatis uſu intelligenda eſt.

Quia major ratio pugnat contra otioſitatem intellectionis, appetitionis &c. quam locutionis. Nobilioris enim inſtrumenti abuſus pejor eſt. Vid. *Suarez.* in 1. II. D. Thomæ Tract. III. diſput. IX. ſect. III. num. 6.

Quod nobilis præcipue juventus nocet.

Them. IV. Juventutem, præprimis nobilem iſta themata ante alios homines tangunt; iique majorem conatum adhibere debent in his obſervandis.

1. Qui enim magis ad otioſa, inutilia ac vana inclinatus eſt, magis tenetur ad reſiſtendum huic inclinationi. Juvenes autem magis ſunt inclinati; tum ob inexperientiam & improvidentiam, quia nondum experti ſunt, quantum damni ex vanitate ſequatur; nec provident, quam neceſſaria ſit ad vitam reliquam contentio & applicatio: Tum etiam ob mollitiem ætatis, ſanguinem præfervidum & cetera.

Nobilitas ad actionem inſtituta, non otium.

2. Nobilitati autem id præcipue neceſſe eſt; quia nobilitas tota ad *actionem* inſtituta eſt. Non enim ideo tot prædia & proventus ipſis adjecta ſunt, nec tot coloni ſubditi ipſis ſervire coguntur, ut ſudorem, lacrimas & ſanguinem miſerorum otiando abſumant & abliguriant; ſed ut rempublicam ope ſua ac ipſo ſanguine alacriter fuſo contutentur. ad quæ omnia redduntur inepti per vitam expertem laboris, ſtudii, & applicationis. Unde etiam fi-

une

unt indigni illis prædiis & honoribus. Qua de cauſa fit, ut tot familiæ olim laborando illuſtres factæ ac divites, per ſocordiam poſterotum jaceant contemptæ, exutæque facultatibus: eorum vero in locum ſubeant homines plebeji quidem ſanguine & carne, ſed animo, virtute & induſtria vere nobiles; atque adeo reſpublica ex juſtitia hiſce debet favores ac honores, quibus illi indigni ſunt, & nonniſi ob majorum bene meritorum memotiam tolerantur in republica, & fortaſſis ob ſpem, fore ut ſeſe emendent, ac priſtinos animos reſumant: quod ſi fiat, recte generoſi præhabentur novis hominibus. Quid Carolus Magnus ſcholas ingreſſus docuerit nobiles juvenes, decantatum eſt; nempe hoc ipſum, quod jam diximus. Hunc ergo tantum præceptorem, Chriſto ſimilia loquentem, audiant juvenes, ſi ſapiunt. Si non ſapiunt, ſpreti à DEO & hominibus reddent rationem in die judicii Matth. XII. 36.

Illicitus uſus ob ſolam voluptatem.

Them. V. Uſus facultatis cujuſcumque alias de ſe non illicitus, fit otioſus, & jure naturæ illicitus, ſi ſuſcipitur pure ob voluptaten.

1. Contraria ſententia videtur damnata, quia repugnat ſervituti DEO in omnibus debitæ. Non enim ſumus à DEO facti, ut porcorum inſtar volutemur in voluptate, ant indulgeamus curioſitati.

2. Qui ergo plena deliberatione ſic voluptatem quæreret, ut in illa plane quieſceret, excluderetque etiam implicitam ordinationem ad DEUM & Dominum, is graviter ſane peccaret: aliàs autem leviter.

3. Sententia ab Innocent. XI. PP. an. 1679. damnata his verbis expreſſa eſt: *Comedere & bibere usque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini; quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* Cauſa damnandi haud dubie fuit, quia naturæ rationali repugnat ſimpliciter frui appetitu, ſed neceſſe eſt frui ad finem auctoris naturæ. Recte S. Auguſtinus Lib. XXII. contra Fauſtum cap. 44. *Ebrietatem lex æterna damnat; quia cibum & potum ad ordinem naturalem non niſi gratia conſervandæ ſalutis admittit.*

Intellectu abutitur qui non utitur ad diſcendum neceſſaria.

Thema VI. Intellectu abutitur, contra jus naturæ, is, qui eo non utitur: iſt eſt, qui neceſſaria ad ſtatum ſuum non diſcit.

1. Cicero I. Offici. *Imprimis hominis eſt propria veri inquiſitio atque inveſtigatio. Itaque cum ſumus neceſſariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid, videre, addiſcere: cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad beate vivendum neceſſariam ducimus.*

2. Qui hoc officium negligit, præparat ſe ad multa peccandum, ad multa errandum, ac male agendum in reliqua vita. *Labi autem, errare, neſcire, & decipi, & malum & turpe ducimus.* Cicer. I. Offic. Malo autem præbere cauſam ac viam ſternere, æque malum eſt. Unde homicidii rei ſunt Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, ſi æger, cujus curam ſuſceperunt, eorum negligentia vel imperitia moriatur. Vid. Alexander *Natalis* Lib. IV. Theol. Dogmat. in quintum præceptum Regula XX.

Præcipue nobilis.

3. Quare juvenis nobilis, aut officia nobilia in republica geſturus, ut ſunt officia ſacra, militaria, judicialia, peccat, niſi addiſcat *fundamenta* vera artium ac ſcientiarum in laudabilibus ſcholis ad uſum reipublicæ introductarum.

4. Maxime autem debet diſcere *VERUM JUS NATURÆ*, quod impoſſibile eſt ex Puffendorffii ac ſimilibus condiſcere, ſed ex *Doctrina Chriſti Catholica ſola* verum ac ſalutiferum hauritur. *Ad hoc velle debet nec dolore moleſtari, nec deſiderio perturbari, nec morte diſſolvi, ut aliquid utile cognoſcat, & ſecundum eam cognitionem vitam moresque componat. Sed ne ipſo ſtudio cognitionis propter humanæ mentis infirmitatem in peſtem alicujus erroris incurrat, opus habet magiſterio divino, cui certus obtemperet, & adiutorio, ut libere obtemperet.* S. Auguſtinus de Civitate DEI. Lib. XIX. Cap. XIV. Alex. *Natalis* Theol. Dogm. Lib. III. cap. IV. Reg. 71.

Peccat ſuſcipiens munus, non inſtructus.

Them. VII. Qui munus aliquod accedit non inſtructus neceſſariis ad id ſcientiis vel facultatibus, peccat tum in jus naturæ, tum in juſtitiam particularem; & ſiquid per imperitiam nocuit, tenetur ad reſtituendum.

1. Ut ſi Dux ſuſcepit imperium exercitus, cum militiæ ſit imperitus.

2. Juvenes negligentes diſcere bonas artes, ſunt in tali peccato; quia jam ab adoleſcentia vel ipſi ambiunt, vel à parentibus deſtinantur ad munia reipublicæ: alius ad Canonicatum, ſorte & ad curam animarum; alius ad judicia; alius ad aulica. Quodſi ergo non diſcunt neceſſaria, & tamen per gratiam, importunitatem, pecunias aut vim obtinere illa munera ſperant, ſunt in aſſidua voluntate non ſatisfaciendi aliquando muneri adipiſcendo.

Digitized by Google

3. Huc poteſt accommodari illud Ciceronis. I. Officior. de ſtudio inquirendi veri ſic loquentis. *In hoc genere & naturali & honeſto duo vitia vitanda ſunt. Unum, ne incognita pro cognitis habeamus hiſque temere aſſentiamur. Quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad conſiderandas res & tempus & diligentiam.*

Juveneſque ſe non præparantes.

Juvenes autem Thema noſtrum non obſervantes imprimis nunc non adhibent diligentiam ad ea quæ deinceps expediant: & deinceps ſero nimis adhibebunt, ideoque non effugient, quo minus incognita pro cognitis ſæpe habeant, vitio in reipublicæ noxam vertente.

Qui nimium ſtudent non neceſſariis.

Them. VIII. Alterum eſt vitium, quod quidam nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras atque difficiles conferunt; easdemque non neceſſarias.

1. Eſt hoc Thema Ciceronis III. Officior. qui mox ita pergit: *Quibus vitiis declinatis, quod in rebus honeſtis & cognitione dignis operæ curæque ponetur, id jure laudabitur. Ut in Aſtrologia C. Sulpitium audivimus: in Geometria Sextum Pompejum ipſi cognovimus: multos in Dialecticis: plures in Jure Civili. Quæ omnes artes in veri inveſtigatione verſantur; cujus ſtudio à rebus gerendis abduci contra officium eſt.*

Ac vanis ludis.

2. Quid dixiſſet Cicero, quamque parum Officio ſeu Juri naturæ ſatisfacere dixiſſet homines illos, qui maximum ſtudium ponunt in ludis varii generis callide ludendis; in choreis & ſaltibus torquendis; in equo non qualicunque domando, ſed tali, qui ipſo equite ſit doctior; in ludicris quibusdam digladiationibus; in componendo ore, vultu, voce, geſtu ad falſas plerumque honoris ſignificationes, quæ complementa falſiſſimo nomine dicunt, cum ſint inania; denique in veſtis novandæ, in cæſariei fingendæ, & totius corporis ad delicias & fœmineam ſimilitudinem componendi cura, ſtudio, atque labore. Quibus merito accinit idem Cicero: *Vos etenim Juvenes animum geritis muliebrem.*

3. *Omnis autem cogitatio motusque animi aut in conſiliis capiendis de rebus honeſtis & pertinentibus ad bene beateque vivendum, aut in ſtudiis ſcientiæ cognitionisque verſabitur:* ut Cicero loco citato proſequitur. Inhoneſtam ergo jurisque naturæ repugnantem vitam degunt, qui contra faciunt, & fruges tantum conſumendo homines ſe fore, ne dicam nobiles, ſperant.

4. Hinc jure naturæ prohibitum eſt legere libros magicos, Romanenſes incaſtas fabulas, Atheiſticos, aut atheiſmo propinquos aliosque errores. Item juvenibus ad hoc non vocatis prohibitum jure naturæ eſt legere illos libros Theologicos, qui certas materias lubricas valde particulatim pertractant: aut libros hæreticos & alios cum periculo ſeductionis.

Quod intelligendum de abuſu etiam aliarum facultatum.

Them. IX. Quæ antea de uſu, non uſu, abuſu facultatis intellectivæ dicta ſunt, plane dicenda etiam ſunt de uſu aliarum omnium facultatum: ut non maneant otioſæ, non exerceantur ſine modo, ſine delectu, ſine fine, ſine fruge. Sed magno ſtudio applicentur ad Servitium DEI: utque hoc & unde diſcendum ſit?

1. Sicut enim verbum otioſum damnabitur, ita damnabitur memoria otioſa, appetitus otioſus, aſpectus, auditus, ambulatus, tactus omnisque alius motus otioſus, id eſt non factus ob aliquem finem qui ad DEI ſervitium referri etiam ex intentione operantis poſſit.

Doctrina facilis pro juvenibus.

2. Quoniam vero de his innumera dici poſſunt, nec poſſumus ea ſermone uno exponere, Juvenibus præſertim aliud remedium prodimus hoc: ut Seniorum proborum adhortationibus præbeant aurem & animum, & quæ ab iis facienda didicerint, ſtrenue magnoque ſtudio factis exſequantur: Id enim præcipuum adoleſcentis officium eſſe docet ex rerum natura Cicero I. offici: *Eſt igitur*, inquiens, *adoleſcentis eſt majores natu vereri, exque iis diligere optimos & probatiſſimos, quorum conſilio atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis inſcitia ſenum conſtituenda & regenda prudentiâ eſt. Maxime autem hæc ætas à libidinibus arcenda eſt, exercendaque in labore patientiaque & animi & corporis, ut eorum & in bellicis & in civilibus officiis vigeat induſtria. Atque etiam cum relaxare animos & dare ſe jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ, quod erit facilius, ſi in ejusmodi quidem rebus majores natu velint intereſſe.*

3. Hoc ſi rite obſervaverint, magnum habebunt compendium ad diſcendum, ut jura naturæ ſervanda ſint in uſu quotidiano facultatum. Sed & alterum generalius medium ac certius habemus, doctrinam Catholicam, deſcriptam in libellis, quos à puero diſcimus. Ubi Septem peccata capitalia nobis vitanda præſcribuntur, adeo neceſſarii juris naturæ, ut hæc à fine juris naturæ omnino nos & quemlibet hominem excludant. Quæ peccata Capitalia ſtatim enumerabimus; omiſſa interim *Invidia*,

quæ

Digitized by Google

quæ officiis *ad alium* repugnat, ſicut & *Iracundia* fere.

Thema X. Juri naturæ repugnat *SUPERBIA.* Cujus eſſentia in hoc conſiſtit, quod creatura excellentiam amet quaſi rem ſuam propriam nemini debitam. In quo fit injuria DEO auctori omnis boni; quaſi ille non dediſſet vel daret excellentiam, ſed homo ipſe eſſet auctor ſuæ excellentiæ. Quod divine explicavit Apoſtolus I. Corinth. IV. 7. *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Recte igitur *DEUS ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Jacob. IV. 6. I. Petri V. 5. *Depoſuit potentes de ſede & exaltavit humiles.* Cantic. B. V.

Superbia eſt contra jus naturæ.

Error Stoicorum.

1. Et in hoc Philoſophia vetus, cumprimis Stoica inſigniter peccavit contra naturam, quod Superbiam, niſi erga homines, non damnaverit, ſed etiam in bonis & virtutum velut apicem collocaverit. Quod nihil eſt aliud, quam humanam naturam inædificare ſabulo & arundini, rei nempe, quæ non modo infirma eſt, ſed prorſus nihil, ex ſe quidem. Vid. Cap. II. & III.

Et Machiavelli.

Humilitas Chriſtiana non facit animos dejectos,

2. Multo ſtolidior fuit Machiavellus, & cum ipſo non pauci de nobilitate. Ille enim Doctrinam Chriſti criminatur propterea, quod ea humilitatem doceat, ſuperbiamque damnet: ex hoc enim ait, Chriſtianorum animos dejectos fieri & ad res magnas gerendas, ut ad magna imperia, ineptos. Sed hæc ſapientia hujus mundi Machiavellica, ſtultitia eſt apud DEUM, id eſt, in veritate ſtultum eſt ita ſentire, quamvis carnalibus videatur grande & præclarum: eamque ſtultitiam ſapientiſſime exagitat S. Auguſtinus in Romanis pro inaniſſimo fumo laudis humanæ multa dura ferentibus. Lib. V. Civit. Cap. XVIII. & ſeqq. Nam quis majore fiducia nititur, an ille qui ſibi omnia adſcribit, ſuaque in virtute confidit, qui nec ad momentum ſecurus eſt de ſua morte? an potius is, qui veram fiduciam nullo modo in ſe ſed in immortali virtute repoſitam fixamque habet? Experientia docuit quanto major ſit animus & fortitudo Chriſtianorum, quam Machiavelliſtarum. Cum enim fortitudo in agendo magna difficilia & in patiendo conſiſtat, evidens eſt, neminem pro virtute plura gravioraque eſſe paſſum unquam, quam Chriſtum ejusque diſcipulos. Hi ipſi inermes aggreſſi non corpora hominum ſed ipſas inveteratas opiniones, & religiones &c. reipſa devicerunt, cum ceteri Imperatores non ſuo ſanguine & lacertis ſed plerumque aliorum ſtrage ſaltem corpora ſubigant. Et adhuc ipſorum belliducum confeſſione milites bonæ conſcientiæ, quanquam humiles, fortiores ſunt in periculis, quam thraſones illi, etiam qui præter ſuam vim in auxilium dæmonas vocârunt. Atque hinc, quia, qui in mundo nobilores & ſcientiores videntur, maxime dediti ſunt ſuperbiæ, DEUS illos vanos & nihili eſſe declaravit: *Non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit DEUS, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit DEUS, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit DEUS, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* I. Corinth. I. 26. Vid. Commentarius S. Chryſoſtomi in hunc locum.

ſed erectiſſimos

3. Eadem, quæ Machiavellus de Chriſtianis, jam improbus Callicles dixerat de Philoſophia meliore apud Platonem in Gorgia: inquiebat enim: *Natura ipſa, veluti puto, demonſtrat, æquum eſſe, ut præſtantiores potentioresque omnia ceteris habeant ſuperiora, oſtendit vero multis hæc modis tum in ceteris animantibus, tum in cunctis civitatibus atque gentibus, apud quas juſtum eſſe cenſetur, ut potentior infirmiori dominetur, plusque poſſideat. Nam quo jure Xerxes adverſus Græcos duxit exercitum, vel pater ejus contra Scythas, aut innumerabiles alii, quos referre quis poſſet? Sed hi, ut arbitror, juxta naturam juris ipſius, ac, per Jovem, juxta ipſius naturæ legem hæc agunt: non tamen fortaſſe juxta leges has à nobis conditas, per quas præſtantiſſimæ ac validiſſimæ indolis adoleſcentes ab incunabulis tanquam leones vincientes, quaſi quibusdam magicis carminibus faſcinamus, ſervilemque in modum ſubjicimus, dicentes, æquitatem eſſe ſervandam, idque pulcrum juſtumque eſſe.* Sed hujus Sophiſtæ cavillos, tametſi mire ſe ſerpentis in morem torqueret & elabi tentaret, pulcherrime compreſſit egregius Socrates, probans neminem præſtantem eſſe niſi hac ipſa erga juſtitiam ſubjectione: dominatum præterea nullum eſſe verum ac bonum, niſi ſibi quisque, ſuæ cupiditati, ſuo faſtui imperet: denique addit ipſam cupiditatem non eſſe niſi filiam & maniſeſtiſſimum argumentum *egeſtatis*; ita ut qui cupit honorem, ei deſit quod cupit: aliaque multa dicit Socrates *adeo naturaliter juſta, ut nec ab ipſa Chriſtiana doctrina, quæ naturalis juſtitiæ princeps eſt* melius dici fortaſſe poſſint, modo expreſſior quædam de DEO in-

Digitized by Google

culcatio accedat, quam tamen non negligit Plato, ſed in fine colligit quam belle iſtos ſuperbos caſtiget DEUS in altera ſaltem vita.

4. Nec tamen ille tantum ſuperbus eſt, qui poſitive judicat, aliquod bonum eſſe quod non ſit à DEO: hic enim atheus eſſet: ſed ſufficit ita ſibi in ſuis bonis complacere, ac ſi non deberet ea. Sicut ille mendicus ſuperbus eſt erga benefactorem, non ſolum qui ei dicit: Tu non dediſti eleemoſynam; ſed etiam ille ſuperbus eſt, qui eleemoſyna ita utitur & gloriatur, quaſi non eſſet gratuito data. Vid. S. Thom. 2. II. Qu. CLXII. Art. IV. ad Primum.

5. Quapropter in hanc ſuperbiam contra naturam incidunt cum Stoicis etiam illi Juris naturæ doctores, qui de hominum jure, obligatione, fine ac bonis ita agunt ac decernunt, ut à DEO in his abſtrahendum aut abſtrahi poſſe cenſeant. Gloriantur enim de juſtitia, quaſi non acceperint.

Superbia peccatum grave.

6. Eſt ſuperbia de ſe peccatum mortale, ſi deliberato animo fiat, aut ſi etiam proximo noxam gravem inferat. Ceterum ob inadvertentiam aliquam, aut rei tenuitatem poteſt eſſe peccatum levius. Vid. S. *Thomas* 2. II. Qu. CLXII. & Alexander *Natalis* eleganter de more Theolog. Dogm. Tom. II. Lib. III. Cap. V.

Remedium contra Superbiam.

7. Remedium adverſus ſuperbiam præſentiſſimum eſt viva in DEUM fides, & ipſum jus naturæ eſſentiale. Qui enim vere agnoſcit & quam poteſt ſæpiſſime recogitat, nihil plane ſe ex ſemetipſo habere, ſed quo plus habeat, eo plus eleemoſynæ ſe accepiſſe; quomodo poterit ſeu adverſus Dominum ſeu adverſus conſervos & commendices efferri? Vid. *Natalis* loco mox citato. Artic. VIII. &c.

Superbiæ filiæ.

8. Superbiam autem & Vanam gloriam ſequuntur innumera vitia & peccata, mundum conturbantia, DEI vindictam juſtiſſimam provocantia. Sequitur enim *Inobedientia* mandatorum DEI ac hominum, dum ſibi quisque ſapere vult. Sequitur *Jactantia*, Hypocriſis: *Contentio* & pugna: *Pertinacia: Diſcordia: Præſumptio novitatum: Ambitio.* De quibus accuratiſſime S. Thomas 2. II. variis Quæſtionibus, quæ facile inveniri poſſunt ab eum legere volentibus. Alexander vero Natalis omnia pulcre in unum collegit, ac Regulas ſane tutas elicuit, Juri naturæ egregie conformes. Tom. II. Theol. Dogm. Lib. III. Cap. V. ab Artic. XII. ad XXIV.

9. *Famæ* autem bonæ cura non eſt ſuperbia, ſed potius eſt officium ſibi ac proximo debitum. *Nec audiendi ſunt ſive viri ſancti ſive fœminæ, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam fit, ut in malam veniant ſuſpicionem, unde ſuam vitam longe abeſſe ſciunt, dicunt: ſibi coram DEO ſufficere conſcientiam, exiſtimationem hominum non imprudenter ſolum, verum etiam crudeliter contemnentes; cum occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium viam DEI - - - ſive etiam cum excuſatione imitantium non quod vident, ſed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi bene facit: quisquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra: & utique etiam quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat utilitatem.* S. Auguſt. De Bono Viduitatis cap. XXII.

Avaritia contra jus naturæ.

Thema XI. Juri naturæ repugnat *AVARITIA*, quæ eſt immoderatus amor acquirendi vel retinendi divitias.

1. Gentilibus id fuiſſe cognitum, mirum non eſt; quis enim non judicaret peccare hominem ſpem ſuam ponentem in rebus, quas tota gens mortalium perpetua experientiâ agnoſcit eſſe vaniſſimas, neminem ſatiantes, neceſſario amittendas, plurimis noxias? Ideo male audiit apud ceteros Philoſophos Ariſtoteles, quod divitias & potentiam hanc ſaltem in conſortium ſummi boni admiſerit. Vid. Cap. IV. & S. *Ambroſius* Lib. II. Officior. Cap. II. &c. multa adverſus Ariſtotelem diſputat.

2. Cur autem Philoſophi gentiles facile agnoverunt, peccaminoſam eſſe avaritiam; de Superbia autem tam parum agnoverunt? ℞. Quia intellexerunt, Beatitudinem ac ſummum Bonum ab homine naturaliter expeti: Beatitudinem autem eſſe perfectionem hominis: Perfectionem eſſe excellentiam: Excellentiam autem humanam non conſiſtere in rebus externis, ſed Internis aut ſolum aut maxime. Itaque omnes quidem Philoſophi ab excellentia naturaliter quærenda excluſerunt illa externa, & putarunt ſolam internam excellentiam quærendam eſſe. Hinc porta lata aperta eſt ſuperbiæ; præſertim cum de DEO tenuem notitiam & tenebroſam haberent, quibus tenebris per Chriſtum tandem diſcuſſis, intolerabilis eſt ſuperbia in Chriſtianis.

Avaritiæ filiæ.

3. Avaritiæ peſtis imprimis ipſum hominem implicat innumeris ſollicitudinibus, facit oblivisci DEI & rerum æternarum, unde ab Apoſtolo vocatur Idolorum ſervitus. Coloſſ. V. 3. Hæc con-

conturbat religionem & rempublicam, corrumpit judicia, opprimit pauperes, exſuſcitat bella & inimicitias, invidiæque eſt mater. Hinc naſcitur *Fraus*, *Proditio*, *Mendacium*, *Fallacia*, *Perjurium*, *Violentia*, *Obduratio* contra miſeros. De quibus omnibus S. Thomas 2. II. & Natalis Theolog. Dogmat. Tom. II. Lib. III. Cap. VI. toto pulcherrime. S. Ambroſius II. Officior. cap. XXVII. ait: *Ad ſummum novimus, quod pecuniæ contemptus juſtitiæ forma ſit; & ideo avaritiam declinare debemus.* Quia nempe juſtitiæ contraria eſt.

Uſura contra jus naturæ.

4. *USURA* quoque probabilius repugnat juri naturæ; cum Philoſophi ex ratione agnoverint, contra naturam eſſe, ut plus accipias quam dederis. Vid. *Natalis* Tom. II. cit. Lib. III. Cap. VII. Ulteriori ea de re diſputationi hic non eſt locus: libri toti his diſquiſitionibus alias implentur. Videatur nupera diſſertatio C. P. *Zech.* S. J. de moderato rigore circa uſuras, edita Ingolſtadii an. 1747. & C. P. Veremundi *Guſt* O. S. B. Diſſertatio de eodem Straubingæ 1748. Alexander *Natalis* Theol. Dogm. Lib. III. De avaritia. fol. 377. S. *Thomas* 2. II. Qu. LXXVIII.

5. Heterodoxorum autem jus naturæ, præſertim Puffendorffii occaſionem poteſt præbere huic vitio juri naturæ vero adverſanti. Quia finem juris naturæ facit commoda hujus vitæ: inter commoda autem hujus vitæ primum locum obtinere vulgo cenſent pecuniam, tanquam inſtrumentum acquirendorum omnium commodorum. Igitur poteſt deſiderium pecuniæ tanquam juris naturæ ſcopus, ad quem cetera referantur, ab incautis haberi

Luxuria contra jus naturæ.

Them. XII. Juri naturæ generaliter repugnat *LUXURIA.* aliqua autem etiam ſpecialiter. Eſt autem Luxuria appetitus venereæ voluptatis contra legem naturalem & divinam. Sicut autem cibus & talia de ſe licita ſunt, ſi ad *neceſſitatem* conſervandi individui ſpectant; ita licitus eſt uſus corporis, ſi neceſſarius eſt ad conſervationem ſpeciei. Vid. S. *Thomas* 2. II. Qu. CLIII. *Natalis* Theol. Dogm. Tom. II. Lib. III. cap. VIII. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. XI. Quæ. VII.

1. Neque dicas: connubium cum propinquis in hoc vel illo gradu &c. vetitum demum fuit per leges ab hominibus latas; ergo non repugnat naturæ juri. ℟. Non repugnare ſpecialiter, ſed generaliter tamen; quia leges humanæ juſtæ ſunt tantum explicativæ legis naturæ: Sicut dominia rerum particularia demum conſtituta ſunt legibus & pactis humanis, cum ab initio omnia fuerint communia; & tamen qui modo furatur rem alienam, legem naturalem violat. Leges autem poſitivæ non ſine ratione talia connubia prohibuerunt; quia experientia docuit, per ea reddi libidinem vagam, violari reverentiam filialem, conturbari rempublicam &c. Videatur de hoc pulcra epiſtola S. Ambroſii LX. in editione Mauriana. *ad Paternum.*

2. Luxuriæ filiæ ſunt *Cæcitas* mentis, qua homo luxurioſus dediſcit bonum finem ſibi proponere in rebus agendis, & bruto ſimilis redditur. *Senſualitas*, qua in ſenſuum oblectamenta fit pronus, eisque per omnia ſatisfacere quærit. *Scurrilitas, turpiloquium.* Luxuriæ filiæ.

3. Deinde ex Luxuria ſequuntur ſæpiſſime rixæ, & experientia docuit, nulla fere regna everſa fuiſſe, quibus non cauſam dederit mulier: ac nullam in Eccleſia hæreſim exortam, quin mulierum amor adjuverit.

4. Remedia luxuriæ ſunt (1 Fuga occaſionis. (2 Fuga otii. (3 abſtinentia à vino & cibo multo &c. (4 Cuſtodia oculorum aliorumque ſenſuum. *Ut vidi, ut perii.* (5. Humilitas. (6 Oratio, ac meditatio mortis, judicii, inferni, ac regni cœlorum. Remedia

Them. XIII. Naturæ repugnat vitium *GULÆ*, ſeu immoderata cibi ac potus receptio, aut delectatio. De quo jam ſupra Them. V. Gula contra naturam.

1. Equus, Canis, bos nec ſi multo verbere adigas, comedent aut bibent ultra quam ſatis ſit. Igitur Proverbiorum cap. XXIII. recte minatur Salomon: *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui fovea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino & ſtudent calicibus epotandis?*

2. Inordinatio autem cibi potusque variis modis contingit, ſecundum vulgatum verſiculum ſumptum ex S. Gregorio Lib. XXX. Moral: Cap. XIII.

Propropere, laute, nimis ardenter, ſtudioſe.

Natura paucis & obviis contenta: peccare igitur poteſt, qui quovis tempore gulæ vacat, quaſi ad hoc natus videatur: qui pretioſiora quærit, ſpernit parabilia; qui nimis ſe ingurgitat: canino more inhiat: menſam ut cælum ſuum complectens: qui ſtudioſius præpræparari facit, ut nemo fere coquus deſiderio ſaciat ſatis. Ezechiel ad Jeruſalem prophetavit, quod nunc quoque multis dici poteſt. *Hæc fuit ini-*

qui-

Digitized by Google

quitas Sodomæ ſororis tuæ: Superbia, ſaturitas panis, & abundantia. Cap. XVI. ℣. 49. Quidni Sodomæ fratres & ſorores ſint, qui frigida calidis, recentibus vetera, elementorum omnium ſpolia, ſub omni ſole nata vina, aromata, ſtercora miſta ventre uno abſcondunt, & mane, meridiem, veſperum, noctemque glutiendo continuant, & Bacchanalia vivunt. Ne quid dicam de temporis jactura, de ſudore & ſanguine pauperum in menſis expoſito, dilapidatione ſubſtantiæ, quæ reipublicæ, filiis &c. impendi debuit; de ære alieno aut mercede operarum non ſoluta, ut ventri ſerviatur. *Horum DEUS venter eſt*, cui omnia famam & vitam, animam ſacrificant: ad Philippens III. 19. *Eſca ventri & venter eſcis: DEUS autem & hunc & has deſtruet.* I. Corinth. VI. 13. *Non eſt enim regnum DEI eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium.* Rom. XIV.

3. Gulæ filiæ ſunt inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis. V. S. Thomas 2. II. Qu. CXLVIII. Art. VI. Populus Hebræus in deſerto *ſedit manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere* Exodi XXXII. ℣. 6. adorarunt vitulum aureum. Ita convivia comitantur aut ſequuntur cachinni, ſpectacula, indecori ſaltus, hiſtriones, veneres, vomitus, & ſexcentæ vanitatas, ſtultitiæ, & flagitia; quorum omnium pudere nos debet, ſi nos comparemus etiam bobus; ac pœnitere, ſi cogitemus DEUM. Videatur de Gula S. Thomas 2. II. Qu. CXLVIII. & Alexander Natalis To. II. Lib. III. Cap. X.

Acedia contra juris naturæ.

Them. XIV. Juri naturæ repugnat *ACEDIA*, quæ eſt triſtitia & languor in obtinendis aut exercendis iis, quæ ad DEUM & bona divina pertinent. *S. Thomas.* 2. II. Q. XXXV. Alexander *Natalis* loco mox cit. Cap. XII.

Acediæ ergo rei ſunt, qui non ſtudent animum ad DEUM componere, tentationibus reſiſtere, divina obſequia & cultum obire, qui pœnitentiam de die in diem differunt. Rei ſunt & ſuperiores & parentes & magiſtratus, qui contenti ſubditos bene paſci, veſtiri, in pace eſſe, non excitant ipſos ad bona divina. Qui ſomno, ludis, ac nugis multum tempus decoquunt. Quia hi omnes aut ſervitium DEO debitum ſubtrahunt, aut ad illud ſe ineptos faciunt, aut ad plura alia peccata ac vitia ſeſe diſponunt.

Vanitas contra jus naturæ.

Them. XV. Juri naturæ repugnat generatim *VANITAS* increſcens, deliberata ac ſtudioſa.

1. *VANITAS* ſive inane gaudium. Quæ quidem late patet, & in cætera vitia ſe exteodit; ſic tamen ut ſæpe dubites, cui eam accenſeas vitii generi? Qua de cauſa illam ſeorſim expoſuimus; eo maxime moti, quod nimium quantum noſtram præcipue Europam corripuerit hæc peſtis, aliarum etiam fœcunda mater. Atque ſi quid fructus nobilis juventus ex juris naturæ ſtudio domum & in aulas reportatura eſt, certe ſuaſerim, ut poſt DEI, Religionis Catholicæ, ac publicæ juſtitiæ curam, hanc vel maxime reportent mentem debellandæ exigendæque ex ſua patria *vanitatis*. *Quia per illicitas delectationes ſuas, & pompas, & perniciosam curioſitatem nobis dominari poteſt hic mundus, id eſt, ea, quæ in hoc mundo perniciosa delectatione colligant amatores rerum temporalium, & diabolo atque angelis ejus ſervire cogant.* S. Auguſtinus de Agone Chriſtiano cap. VI.

2. Eam autem contra naturam eſſe, facile ex poſt dicendis perſpicere licebit. Natura paucis contenta eſt, amat ſimplicia. Vanitati omnia contraria placent. Vanitate publici mores corrumpuntur, libertatis noxiæ ſtudium incenditur, DEI oblivio generatur, hominum, principum præcipue ac nobilium, adulationi poſtponitur DEI timor, & conſcientiæ remorſus retunditur: Vanitate ſternitur via ad converſionem rerumpublicarum, & ipſius religionis.

3. Legantur hiſtoriæ Græcorum veterum; tempore Socratis Athenienſibus everſionem reipublicæ ipſorum prædixerunt omnes ſapientes ex vanitatis ſtudio, quo omnes ebrii erant. Legatur Socratis Apologia apud Platonem, qua ſeſe io judicio defendit. Cum enim Athenas ſemper circumiens moneret ſingulos, ut à vanitate ad ſolidam virtutem ſe converterent, adeo impatiens fuit admonitionum civitas, ut tanquam corruptor juventutis accuſaretur, qui erat emendator, ac ſuffragio populi condemnatus eo quod nollet à doctrina ſalubriore deſiſtere, ſic divinavit:
„ Prædico enim equidem vobis ò viri
„ Athenienſes, ſi me interfeceritis,
„ ſupplicium vobis ſtatim poſt mortem
„ meam eſſe venturum, ac, per Jo-
„ vem multo durius eo, quo me af-
„ feceritis. Nunc enim id egiſtis,
„ putantes liberare vos, quo minus ra-
„ tionem vitæ veſtræ redarguenti cui,

„ quam

Digitized by Google

„ quam reddere compellamini. Id „ vero contra vobis accidet. „ Et vero non multo poſt Athenæ omni imperio exutæ, Macedonum ſervituti ſubmiſere collum, neque in hunc diem ſuo de ſepulcro conſurrexerunt.

4. Eadem vanitas attrivit primo, mox conſumpſit rem publicam Lacedæmonum, quando aurum primum, mox cum auro vanitatum cohortes civitate donarunt.

5. Romanam virtutem ipſorum confeſſione labefactavit Aſiatica victoria & vana ſupellex Attali teſtamento in civitatem illata. Hinc enim cœpit luxus & hæc quæ magnificentia falſiſſimo nomine dicitur; defecere contra ſeveritas morum, continentia, vita ad naturæ modum ac ſimplicitatem comparata. Cumque Craſſus, Lucullus, Apicius, Pompejus magnifici, ſcilicet, homines eſſent in republica, illa everſa eſt à Cæſare. Sequentium deinde Imperatorum & cum his civitatis luxu in dies creſcente (legi is poteſt apud Poëtas Martialem, Juvenalem, Perſium) crevere etiam, quæ rempublicam everterent; evertiſſentque ſtatim, niſi DEUS Religionis Chriſtianæ cauſa eam aliquamdiu mirabiliter ſuſtentaſſet. Quo vero tempore Roma, Italia, totumque Imperium barbarorum direptioni à DEO conceſſum eſt, luxus ille & vanitas etiam in Chriſtiano populo vires jam reſumpſerat: id quod S. Hieronymus & S. Auguſtinus de Civitate DEI non diffitentur.

6. Græci novi quo tempore vanitas eorum Conſtantinopoli cumprimis erat maxima (quod Hiſtoria Byzantina multis locis prodit præſertim Procopii anecdota) alias provincias ex aliis amiſerunt, aut Barbaris in prædam conceſſerunt, Mœſiam, Pannoniam, Thraciam, Italiam, mox Africam, denique Aſiam, Syriam &c. Et ſeculo XV. quando immanis Turca Conſtantini ſede eſt potitus, miſeri quidem ſed non ob hoc minus vani erunt Græci. Unde & reipublicæ & Chriſtianæ clades illata eſt maxima.

7. In Germania ſeculo XV. quam vana corruptaque fuerint omnia, ſi priora tempora ſpectarentur, docent hiſtoriæ; quamque multi tum è doctis tum è turba rerum converſionem vaticinati fuerint; præcipue cum ſæpius tentatæ morum inſtaurationes caſſæ & ſine fructu exciderent. Quid porro & Religioni & reipublicæ malorum paulo poſt evenerit, neminem latet. Idem in Gallia, Anglia locisque aliis obſervate licet.

8. Ea vero, quæ diximus tempora ſi cum noſtris comparemus, quæ à 60. fere annis labuntur, poſſint non magis ſancta fortan videri: adeo vanitas imperium in nos ampliſſimum nacta eſt. Illa & in aulas & in caulas, in fora & in ipſa templa, in gynæcea non magis quam in exercitus, in nobilium domos & in religioſorum clauſtra penetravit. Illa occupat veſtes, illa geſtus corporisque motus, illa vultus & oculos & ſermonem. Vanitatem quærimus in Philoſophia, vanitate in Jure præſertim naturæ, in ſcientiis omnibus: interque artes ipſis ars vanitatis principem fere locum obtinuit. Non placent, non emuntur, non laudantur, non quæruntur, niſi vana; idque pueri puellæque docentur.

9. „ Civitatum hoc multarum in „ Græcia interfuit, antiquum vocum „ ſervare modum, quarum mores „ lapſi ad mollitiem pariter ſunt immu„ tati cum cantibus: aut hac dulcedine „ corruptelaque depravati, ut qui„ dam putant; aut, cum ſeveritas „ eorum ob alia vitia cecidiſſet, tum „ fuit in auribus animisque mutatis „ etiam huic mutationi locus. „ Hoc eſt quod Sapientiſſimus dixit; *Amictus corporis & riſus dentium & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* Eccl. XIX. „ Quamobrem ille quidem ſa„ pientiſſimus Græciæ longeque do„ ctiſſimus valde hanc labem veretur: „ negat enim (IV. Reipub.) mutari „ poſſe muſicas leges ſine mutatione „ legum publicarum. Ego nec, tam „ valde id timendum nec plane con„ temnendum puto. Illa quidem, „ quæ ſolebant quondam com„ pleri ſeveritate jucunda Livianis „ & Nævianis modis, videtis nunc ut „ eadem exultent. cervices oculosque „ pariter cum modorum flexionibus „ torqueant. Graviter olim iſta vin„ dicabat vetus illa Græcia, longe „ providens, quam ſenſim pernicies „ illapſa civium animos malis ſtudiis „ malisque doctrinis repente totas „ civitates everteret: ſiquidem illa „ ſevera Lacedæmon nervos juſſit, „ quod plures quam ſeptem haberet, „ in Timothei fidibus demi. Cicero Lib II. de Legibus cap. XV.

10. Maximaque corruptionis cauſa in optimatibus ſeu ſacris ſeu profanis reperitur, à quibus etiam ſolis medicina ſperatur. „ Ut enim cupiditati„ bus principum & vitiis infici ſolet to„ ta civitas, ſic emendari & corrigi con„ tinentia. Vir magnus & nobis om„ nibus amicus L. Lucullus efferebä-

,, tur, quaſi commodiſſime reſpon-
,, diſſet, cum eſſet objecta magnifi-
,, centia villæ Tuſculanæ; duos ſe ha-
,, bere vicinos, ſuperiorem equitem
,, Romanum, inferiorem libertinum,
,, quorum cum eſſent magnificæ vil-
,, læ, concedi ſibi oportere, quod
,, iis, qui tenuioris ordinis eſſent, lice-
,, ret. Non vides Luculle, à te id ip-
,, ſum natum, ut illi cuperent? quibus
,, id, ſi tu non faceres, non liceret.
,, Quis enim ferret iſtos, cum videret
,, eorum villas ſignis & tabulis refer-
,, tas, partim publicis partim etiam
,, ſacris & religioſis? quis non frange-
,, ret eorum libidines, niſi illi ipſi,
,, qui eas frangere deberent, cupidi-
,, tatis ejusdem tenerenrur? Nec
,, enim tantum mali eſt peccare prin-
,, cipes (quamquam eſt magnum hoc
,, per ſe ipſum malum) quantum il-
,, lud, quod permulti imitatores prin-
,, cipum exiſtunt. Nam licet videre,
,, ſi velis replicare memoriam tempo-
,, rum, *qualescumque ſummi civitatis*
,, *viri fuerunt, talem civitatem fuiſſe:*
,, Quæcunque mutatio morum in prin-
,, cipes extiterit, eandem in populo
,, ſecuturam. Idque haud paulo eſt
,, verius, quam quod Platoni noſtro
,, placet, qui muſicorum cantibus,
,, ait, mutatis mutari civitatum ſta-
,, tus. Ego autem *nobilium vita vic-*
,, *tuque mutato mores mutari civita-*
,, *tum puto.* - - - Pauci enim at-
,, que admodum pauci honore & glo-
,, ria amplificati corrumpere mores
,, civitatis vel corrigere poſſunt. Ci-
,, cero Lib. III. de Legibus Cap. XIII.
,, & XIV.

11. Itaque rerum etiam indifferentium abuſus, ſi vel in ſingulis eſſet ſine ullo peccato, poteſt tamen peccato obſtringere Magiſtratus & ſacerdotes, niſi iſti hortationibus, illi legibus reſtringant. Quia poteſt nimium invaleſcente abuſu periculum reipublicæ ac pietati creari: idque non uno modo. *1mo* quia effœminantur animi, fiunt molliores ad ſervanda naturæ, DEI, ac legum precepta. *2do.* Quia hoc tranſit in corruptionem juventutis, cujus ab educatione grava omnia mala in rempublicam redundant. Effœminantur vires, ut hoſtibus præſertim infidelibus reſiſti non bene poſſit. Morbi quoque acuti & inſolentes generantur. *4to.* Opes dilapidantur, quæ ad uſum reipublicæ & defenſionem eccleſiæ eſſent conferendæ, & exportantur ingentibus ſummis extra provincias pro rebus nihili. *5to.* Quodſi vel tantum ſuperflua in hæc expenderentur, peccatum eſt; quia ſuperflua debentur pauperibus & indigentibus. *6to.* Quia per hæc incenditur ambitio & vincendi ſtudium, cum nemo deterior altero videri volet.

12. Conſideret aliquis quid v. g. Germania noſtra annis ſingulis expendat pro rebus certe non neceſſariis, quia ſi neceſſariæ fuiſſent, non ſine his vixiſſent majores noſtri. *Tabaca, Thea, Caffè, Chocolata, Vini exteri immenſa vis, Aromatis peregrini ac venenoſi* ingens copia, ſpretis indigenis præſtantiſſimis herbis; *panni ſerici, lanei molliores, linei, byſſini auro phrygiati, reticulati, dentati*, mille modis ab utilitate ad vanitatem deturpati, ejusque peregrini, & in ruſticam etiam plebem dividundi, maximæ moles, quarum rerum maxima pretia ad religionis veræ hoſtes & in fideles plerumque transportantur, aut pro his vanitatibus obtinendis ſubminiſtrantur infidelibus arma ad impugnandam eccleſiam, nempe æra, Chalybes &c.

Hæc ideo etiam deteriora ſunt, quod paſſim invaleſcat in infimo etiam hominum gradu, in ipſa infantia.

Itaque viderint Principes, qui aut ſumptuarias leges non decernunt, aut decretarum obſervantiæ non invigilant, aut abuſibus his connivent propterea, ut telonii aliquis fructus ad ipſos redeat pari aularum luxu iterum dilapidandus: viderint inquam, an non reos ſe faciant corruptorum publice morum, proditæque patriæ, quæ nequaquam ipſorum lubidini ſed ſollicitudini ac conſcientiæ ſeſe permiſit. Quærant hæc non ex ſimiliter vanis, ſed ex juris divini humanique peritis.

13. Hujus autem reprehenſionis, qua vanitas exagitatur, pleni ſunt Philoſophorum, omnium ac Poëtarum libri. Unde intelligi poſſit, non hoc à Theologis, non à Chriſto, ſed ab ipſa natura profectum eſſe.

Exſcribam hoc loco Propoſitiones aliquas moderni Theologi Laurentii *BERTI* Florentini, editi Romæ 1740. Ubi Tomo IV. Lib. XXIV. ſequentia decernit, decretaque ex veterum Philoſophorum Poëtarum, Patrum, Hiſtoriæque ſenſu confirmat.

Cap. I. Propoſ. II. Bacchanalia quomodo nunc celebrantur ab aliquibus, qui conniventia & conceſſione Principum abutuntur, connumerari nequeunt inter honeſta & licita oblectamenta.

Propoſ. III. Excedens atque immoderata Bacchanalium voluptas, quamvis expers pervicaſta malitiæ, Chriſti-

ano

ano homine, *etiam qua rationali duntaxat, indigna eſt.*

Cap. II. Propoſ. I. Major interdum apparet luxus & Inſaniens libido in quibusdam hodiernis theatris, quam in iis, quæ primum in cultum Veneris inſtituere gentiles.

Propoſ. IV. Ingredientes peccant graviſſime, niſi comœdia, quod raro contingit, ſit honeſtiſſima.

Cap. III. Prop. I. In perſonis larvisque penes nonnullos improbos immoderatior eſt ætate noſtra, quam regnante ſupperſtitione, luxuries.

Propoſ. II Deteſtabile eſt, mulieres habitu virorum perſonatas incedere, & viciſſim viros veſtimentis mulierum.

Cap. IV. Propoſ. III. Qui choreas (etiam honeſtas loquitur auctor) immodice agit & ſaltat, à culpa vix erit immunis.

Cap. VI. Propoſ. III. Ludus alearum tanquam omnis nequitiæ ſeminarium eliminandus & abjiciendus omniuo eſt.

Sic porro Theologus ſancit de Venationis, Veſtium, Conviviorum &. luxu. Legatur etiam *ROLLIN* Maniere d' enſeigener les belles lettres. Tom. III. Parte II. *Sur le goût de la ſolide gloire*, à pagina 10. usque ad 107, ubi ſtrenue & ex antiqua ſapientia hodiernam vanitatem deſtrigilat.

De ſpectaculorum peccatis vid. Alexander *Natalis* Lib. IV, Theol. Dogmat. in VItum præcept. Art. II. Regula VII. pag. 819.

14. Juvat tamen etiam Salomonem exaudire de vanitate ex ſuamet experientia dicentem, Eccleſiaſtis cap. I. &c. „ Ego Eccleſiaſtes fui rex in Jeruſaleu „ - - - Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas: feci hortos & pomaria, & conſevi ea cunĉti generis arboribus &c. Poſſedi ſervos & ancillas, multamque familiam habui; armenta quoque & magnos ovium greges, ultra omnes, qui fuerunt ante me in Jeruſalem. Coacervavi mihi argentum & aurum & ſubſtantias regum ac provinciarum. Feci mihi cantatores & cantatrices, & delicias filiorum hominum: ſcyphos & urceos in miniſterio ad vina fundenda - - - Et omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaveram: & hanc ratus ſum partem meam, ſi uterer labore meo. - - - Quis ita devorabit & deliciis affluet ut ego. ?

O beatum virum! O invidendam fortunam! Quid amplius? „ Cumque me convertiſſem ad univerſa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum & omnia vanitas. Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis? Melius eſt ire ad domum luctus. quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum ſit. Cor ſapientum ubi triſtitia eſt, & cor ſtultorum ubi lætitia. Solummodo hoc inveni, quod fecerit DEUS hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus. Et cuncta, quæ fiunt, adducet DEUS in judicium.

Them. XVI. Juris naturæ, officium eſt, uti homo omnibus, quæ hactenus vitia diximus, contraria facere laboret ac contendat; quæ contentio virtus dicitur, ſi fini ultimo ſubordinatur. Officium eſt, vitiis contraniti, & virtutem exercere.

1. Eſt autem virtus vera, generatim ſumpta uſus debitus rerum propter optimum, ſive illum malis *ſervitium DEI* dicere, ſive *amorem DEI*: nam ipſe amor noſter erga DEUM non niſi ſervitium eſt debitum; & ipſum ſervitium noſtrum, ſi non ſit ex amore, non eſt tale quale eſt debitum. *Vid. Cap. II. & III. Et Cap. XI. Them. VII.* In quem locum S. Auguſtinus Libro I. de Moribus Eccleſiæ Cap. XV. *Si virtus ad beatam vitam nos ducit* (quod profitentur Philoſophi omnes, hoc tantum diſſentientes, an hæc præſens, an alia ſit beata) *Nihil omnia eſſe virtutem affirmaverim, niſi ſummum amorem DEI. Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita ſit in mentibus vis ut nomina in ore ſunt omnium, ſic etiam definire non dubitem, ut TEMPERANTIA ſit amor integrum ſe prælens ei, quod amatur: FORTITUDO Amor facile tolerans omnia propter quod amatur: JUSTITIA Amor ſoli amato ſerviens, & propterea recte dominans: PRUDENTIA Amor ea, quibus adjuvatur, ab eis, quibus impeditur, ſagaciter ſeligens. Sed hunc Amorem non cujuslibet eſſedicimus, ſed SUMMI boni, ſummæ ſapientiæ, ſummaque concordia. Quare definire* Quid ſit Virtus?

finire etiam ſic licet, ut TEMPERANTIAM dicamus eſſe Amorem DEO ſeſe integrum incorruptumque ſervantem: FORTITUDINEM Amorem omnia propter DEUM facile perferentem: JUSTITIAM amorem DEO tantum ſervientem, & ob hoc bene imperantem ceteris quæ homini ſubjecta ſunt: PRUDENTIAM amorem bene diſcernentem ea, quibus adjuvatur in DEUM, ab iis, quibus impediri poteſt.

Prudentia J. Naturæ præcepta.

2. *PRUDENTIA* eſt virtus eligens apta media ad bonum finem. Igitur prudentia jure naturæ ſtricte & ſub gravi peccato debita DEUM pro fine habet, & ſervitium DEI pro mediis. Hic enim ſolus finis eſt denique bonus, & hoc ſolum medium naturale datur ad illum conſequendum. Quare Juri naturæ adverſari videntur illi de Jure naturæ ſcripti libri, qui alium finem alia media loquuntur. *PRUDENTIÆ* autem eſt docilitas ſeu libenter diſcere: *Solertia, diligentia: ſolicitudo* moderata, non anxia: *Conſtantia; circumſpectio: providentia* futuri. *PRUDENTIÆ autem contraria ſunt ſocordia; negligentia, incuria, inconſtantia; inconſiderantia* & *præcipitantia* junioribus maxime periculoſa; improvidentia. Præterea *Aſtutia, fraus, anxietas.* De quibus earumque indole ampliſſime diſputat *S. Thomas* 2. II. Qu. XLVII. ad LVI.

Temperantia quoque.

3. *TEMPERANTIA* eſt virtus modum & regimen tenens appetituum omnium. Quam juris naturæ eſſe nemo dubitaverit, niſi qui hominem feris ipſis deteriorem juſte eſſe poſſe conceſſerit. Hujus virtutis filiæ ſunt *Humilitas, caſtitas, ſobrietas, modeſtia, Manſuetudo, taciturnitas, affabilitas, honeſtas animi, Decor morum & tranquillitas.* De qua virtute pulcherrimas doctrinas tradit S. Ambroſius Lib. I. de officiis Cap. XLIII. & accurate Diſputat *S. Thomas* 2. II. Q. CXLI. usque CLXX.

Et Fortitudo.

4. *FORTITUTO* eſt virtus contendens vincere Difficultates aut tolerare, quæ curſum ad finem ultimum remorantur. Eſtque jure naturæ ſumme neceſſaria, & in nemine magis, quam in veris Chriſtianis elucet, qui DEI cauſa omnia commoda ſpernunt, omnia incommoda ſufferunt: in nemine autem minus reperitur, quam in iis, qui finem totius juſtitiæ & naturæ conſtituunt in commodis hujus vitæ, ut Athei, Naturaliſtæ, Epicuræi. *FORTITUDINIS*, pars eſt *Magnanimitas*, quæ ſtudet aggredi magna honore digna, honorem tamen humanum non magni facit, ſed divinum tantum. *Magnificentia* eſt, quæ magna efficit, aut ad ea efficienda confert, præcipue ad honorem DEI. Unde Philoſophus IV. Ethicorum dicit: *Honorabiles ſumptus ſunt Maxime, qui pertinent ad divina ſacrificia: & circa hoc maxime ſtudet magnificus.* Deinde ad Fortitudinem pertinet *Patientia* in omni vita cumprimis neceſſaria. Quam ſequitur *Perſeverantia*, ſpeciale DEI donum. Qui perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit, Inquit Chriſtus Matthæi X. ✝. 22. Finis enim eſt, qui beat. Vid. de Fortitudine *S. Ambroſius* Lib. Officior. *S. Thomas* 2. II. Qu. CXXIII. Usque ad CXL. ubi & Ariſtotelis meliores ſententias invenies. Cui addere licet & Ciceronis Officia, Epictetum, Senecam de Ira, de Clementia, de Tranquillitate &c. Sed quorum ethnicorum omnium verboſa diſputatio eſt, floſculis hinc inde nitet, radicem non habet, quia in DEO non fundatur, ſed evaneſcit in ſuperbis cogitationibus. Vid. de Fortitudine Alexander *Natalis* Lib. III. Theol. Dogm. De virtutibus Cap. III. art. IV. ſol. 527. *Pouget* in Inſtitutionibus Catholicis Part. II. Cap. V. Pulcra de his virtutibus collegit.

OFFICIA HOMINIS.

ERGA

HOMINES

CAPUT XVII.

Fundamenta omnium officiorum erga homines.

Nullum datur officium pure erga homines.

Thema I. NUllum datur officium hominis pure erga hominem: ſiveut per illud unice ſatisfiat homini, nec ulterius referatur.

1. Ratio eſt manifeſta; quia homo non eſt per ſe Dominus: nec per ſe finis, ſed per participationem. Vid. Cap. II. & III. & Cap. XIII. Th. I.

2. Igitur nemo ſubjicitur vel obſtringitur homini propter ipſum hominem, ſed propter ſuperiorem Dominum. Et qui violat hominem, injuriam facit principaliter hominis Domino naturali.

3. Facit tamen injuriam etiam ipſi homini, quia illum privat bono, quod ejus proprium factum eſt, quantumvis illud non à ſe habeat, ſed aliunde acceperit.

Officia erga hominem ſunt ex eodem fundamento, ex quo officia erga DEUM & ſeſe.

Them. II. Officia Juris naturæ erga hominem non naſcuntur ex alio fundamento, quam ex quo naſcuntur officia erga ſeſe, aut erga DEUM.

1. Jus naturæ habet finem univerſalem ſeu ſummum: officia autem fundantur in fine & ex eo prodeunt moraliter: Igitur officia Juris naturæ prodeunt ex fine univerſali: Finis autem univerſalis unus eſt: ergo officia Juris naturæ ex uno fonte manant; non aliud ex alio.

2. Non eſt igitur accurata & fundamentalis diſcretio hæc: Officia erga DEUM fundantur in amore DEI: officia erga ſe in amore ſui: officia erga alios in amore proximi. Sed omnia officia fundantur & oriuntur ex amore ſeu ſervitute DEI. Nam ipſa ratio conſervandi memet eſt ſervitus DEI. Et hæc ipſa eſt etiam ratio amandi & conſervandi proximum. Ratioque ultima amoris cujuscunque non eſt in me ipſo nec in alio. Atqui cum principium officiorum inquiritur non eſt ſiſtendum niſi in ultima ratione: maleque ſiſtitur & principium collocatur in rivis, & relativis. Sicut qui fundamentum domus vult indicare & ſtatuere non indicat aliud fundamentum tecti, aliud parietum.

3. Ille vero, qui profitetur diſciplinam juris non univerſalis ſeu naturalis, ſed particularis, v. g. civilis, poteſt inquirere in fundamenta particularia & ſeparata, & prima ſupponere ſicut faber lignarius, ſuppoſito fundamento domus, facit aliquem lectum & fundamentum particulare pro contignatione ſui tecti, quia profitetur non architectonicam totam totius ædis, ſed tantum partis. Contra fit in Jure naturæ: nam qui ejus diſciplinam profitetur, ille totum Jus ſummum profitetur & particularia ſibi ſubordinat: igitur debet fundamentum collocare, cui omnia etiam particularia debent inniti: & hoc Fundamentum eſt unum: nec poteſt alicunde præſupponi, ſicut faber lignarius aliunde præſupponit fundamentum totius domus.

4. Hæc eo etiam ſpectare poſſunt, ut intelligatur, Puffendorffium nullo pacto docuiſſe *Jus naturæ*, ſed tantum particulare; quia primum fundamentum, DEUM, tantum alicunde & extra ſuam diſciplinam præſuppoſuit; totum autem ædificium ſuum ſuperſtruxit fundamento ac lecto, quod non eſt univerſale, ſed particulare, nempe *ſocialitati* humanæ: in qua tantum *aliqua* officia, non omnia fundari poſſunt; imo nulla omnino poſſunt fundari in ſocialitate ipſa, niſi ipſa ſocialitas fundetur in alio ulteriore & univerſali: Sicut faber nullum tignum poteſt figere in ſtrato tecti, niſi ipſum ſtratum fundetur in pariete. Quamobrem ad Jus naturæ Puffenderffianum non vere tale, quia non univerſale, ut aliquid valeat, opus eſt alio jure naturæ univerſaliore, quod vere ſit jus naturæ & vere univerſam naturam originariam participatam conjungat.

Pertinens Puffendorffii.

Thema III. Omnia officia erga alium hominem non ſunt officia proprie Sta-

Officia erga hominem ſunt proprie adventitia.

tus naturæ primæ, ſed adventitiæ, & nituntur hypotheſi, quæ poſſet abeſſe.

1. Nam homo à DEO productus quomodocunque, non cum ipſa natura ſua accepit *alium* ſeu ſocium: ſed hic ei advenit facto: & poſſet abeſſe, manente jure naturæ primæ: quod jus naturæ vere eſſet, etiamſi unus tantum homo unquam exiſteret.

2. Ex quo liquet, Puffendorffium non deſcripſiſſe verum jus naturæ; quia ex *ſocialitate* ipſius non poſſunt deduci officia naturæ primigenia, ſed unice ac mera adventotia & hypothetica. Ipſe igitur profeſſus docere veram indolem juris naturæ, quam primus ipſe agnoverit, verſatur mere in hypotheſibus, & totumipſius opus eſt tautologicum: *Si ſocialitas eſt radix naturalis, officia ſocialitatis ſunt debita.* Quodſi autem neget ipſi aliquis illam ſuppoſitionem, ex nullo fundamento poteſt illam probare. Nam ſi ponantur duo homines ſoli exiſtere in terra; quo fundamento docebit Puffendorffius, ipſos obligari ad connubium ſeu ad ſocietatem propagandam? Si enim dicet: ſocialitas vos ad hoc obligat: illi reſpondebunt: at hoc ipſum eſt in quæſtione, an ſocialitatem præſtare teneamur. Si autem Puffendorffius aliunde repetit fundamentum, ex quo probet, ſocialitatem eſſe obligatoriam, ſive juris naturæ; hoc ipſo demonſtrat, Socialitatem ſuam non eſſe *principium* juris naturæ, quia debet ex alio deduci.

Societatis principium ac finis non eſt ipſa ſocietas

Them. IV. Sicut Societatis humanæ principium non eſt ipſa ſocietas, ſed ens tota hac ſocietate ſuperius: Ita Societatis humanæ finis non eſt ipſa ſocietas humana, ſed aliquid ulterius ac ſuperius; Quia in moralibus & juris negotio Finis ac Principium idem ſunt.

1. Hoc thema jam in prioribus continetur: viſum eſt tamen expedire, ut ſeorſim poneretur; quia grande Socialiſtarum & ſumme noxium falſum in hoc conſiſtit, ut circa hoc errent, & erroribus plurimis viam ſternant.

2. Alias enim ſi ſocialitas eſt principium Juris naturæ, ultima ratio juſtitiæ peteretur ex hoc, quia aliquid eſt neceſſarium ad ſocietatem humanam. Quod ſi admittitur, juſtum erit innocentes occidere, mentiri, pejerare &c. Qui enim habet ultimam rationem agibilium pro ſe, is eſt juſtus.

3. Neque dici debet, non eſſe poſſibilem caſum, ut occiſio innocentis aut mendacium ſit vere neceſſarium ad ſocietatem humanam ſervandam; ſive in quo caſu neceſſitas ſervandæ ſocietatis vincat neceſſitatem tuendæ veritatis & innocentiæ. Nam ſi ſic eſt, Fortior eſt obligatio veritatis & innocentiæ, quam ſocietatis, & conſequenter fundamentum ultimum obligationum non eſt ſocietas ſed veritas. Quodſi non eſt ita, ſed poteſt in aliquo caſu veritas cedere ſocietati, ſequitur, mentiendum eſſe propter ſocietatem, aliaque, quæ miſerum eſt dicere.

Quidquid homo debet ſibi, debet etiam proximo, ſecundo loco.

Thema V. Quidquid homo ſibi debet tanquam Servo DEI, id omne *ſecundo loco* debet alteri tanquam conſervo ejusdem Domini.

1. Ratio enim debiti utrobique eſt eadem.

2. Quod autem *ſecundo* tantum *loco* debeat alteri, cauſa eſt; quia naturâ cuilibet primum eſt, *eſſe* ſervum: ad hoc autem denique conſequitur relatio ad conſervum.

Officia erga alios alia *Abſoluta*, alia *Hypothetica*.

Them. VI. Diſtinctio inter officia *Abſoluta* & *Hypothetica* ſervanda eſt.

1. Abſoluta ſunt, quæ cum homine ipſo oriuntur. *Hypothetica*, quæ oriuntur ex facto proprio vel alieno.

2. Certum eſt hominis non unum eſſe Statum, ſeu non unam rationem vivendi, ſed varias, & eas ſubinde mutari poſſe, ſic tamen, ut ſtatus proprie congenitus non exuatur quoad ſubſtantiam, ſed jam reſtringatur, jam ſuo modo amplietur.

3. Suppoſito ergo alio ſtatu adventitio, oriuntur alia officia reſtringentia & ampliantia, non tollentia ſtatum priorem; quamvis poſſint *aliqua* ſtatus prioris officia tollere; hoc ipſo quod detur reſtrictio ſeu detractio. Etiam hoc curatius docuimus in prædicto libro.

Non confundenda.

4. Qui deſcribit officia unius ſtatus hypothetici, non ſtatim aptus eſt etiam alteri. Non tam ob id, quod ſcientiæ & diſciplinæ tali modo confunderentur: ſed quia confuſio vitæ ac morum ingens naſceretur. v. g. qui in ſtatu adventitio vellet omnibus rebus tanquam ſuis uti, inire connubia ſororum, aliaque. Aut qui, cum inſertus ſit ſtatui poſitivæ religionis, vellet ex ſuæ ſolum rationis qualicumque dictamine cultum inſtituere religioſum. Hæc quoque in dicto mox libro diſcuſſa ſunt.

5. Omnia iſta ſi vera ſunt & neceſſaria, apparet neceſſitas diſtinguendi officia abſoluta ab hypotheticis.

Officia quædam hypothetica pro abſolutis accipi poſſunt.

Them. VII. Omnia quidem Officia Societatis proprie ſunt hypothetica: poſſunt tamen quaſi abſoluta haberi ea, quæ homini debentur ut Servo DEI.

1. Pars Thematis prima aliàs probata fuit, & Themate III. oſtenſa

2. Altera pars ſuadetur ex hoc, quia etſi ſocius omnis homini ſit aliquid adventitium, tamen non dependet ab

ipſius

ipſius arbitrio, eum, qui exiſtit, agnoſcere aut non agnoſcere tanquam ſervum DEI ſeu entis primi, ſicut in ejus arbitrio aliquando repoſitum eſt alia jura agnoſcere aut non agnoſcere. Adeoque hæc ratio pro congenita haberi poteſt: & officia hinc orientia poſſunt haberi pro *abſolutis*, & pro officiis Juris naturæ primigenii ſuo modo ac puri.

Officia ex conſenſu orta ſunt hypothetica.

Nec deberent tractari à Puffendorffio.

Them. VIII. Cetera officia ſocietatis, quæ ex *conſenſu hominum* oriuntur, ſunt proprie hypothetica: nec poſſunt tractari ab eo, qui Jus naturæ *parum* ſeu *abſtractum ab aliis diſciplinis* docere vult; ſed pertinent ad jus *artificiale*: id eſt vel gentium, vel Civile, vel Canonicum &c.

1. Hæc enim officia ſi abeſſent, ſtaret adhuc integrum ac verum jus naturæ: igitur Juri naturæ per accidens ſunt, & ex ſuppoſito. Vid. Them. II.

Hypothetica fundamentaliter ſunt Naturalia.

2. Item hæc officia mutabilia ſunt non tantum exigente rerum natura aut circumſtantiis; ſed etiam arbitrio hominum: excepto, ſi poſitivum jus divinum ſit; quod neutiquam ſubeſt *ſervorum* arbitrio.

Them. IX. Nihilominus etiam officia hypothetica *fundamentaliter* ſunt officia juris naturæ, & *generaliter*: ex quo derivantur, diriguntur & corriguntur.

1. Quia omnis ſtatus adventitius ſupponit pro fundamento ſtatum abſolutum: cum adventitius ſit modificatio; modus autem accidat ſubſtantiæ & ſine ea eſſe nequeat.

2. Quare nulla officia hypothetica juſta ſunt, ſi per ea homo ceſſaret aut impediretur eſſe ſervus DEI, quæ ſervitus ut ei ſervetur, quilibet alter homo abſolute obligatur, ſeu officio Juris naturæ abſoluto ſtringitur ad hoc.

3. Officia hypothetica diriguntur & corriguntur ſecundum Jus naturæ abſolutum. Quia ex quo quid oritur, ex eo etiam dirigitur. Diriguntur autem jura hypothetica à jure naturæ abſoluto ad *finem* ipſius naturæ *abſolutum*, nempe ultimum; etiamſi ipſa jura hypothetica haberent finem proprium; qui non poteſt admitti niſi conditionatus, nempe ſi idoneus eſt ad ultimum, ſive ſervitutem DEI.

4. Dixi: officia hypothetica eſſe *generaliter* Juris naturæ; ideo quia promanant à regula generali, à qua diriguntur, & quia tendunt ad eundem generalem finem, qui eſt finis Juris naturæ, nempe ad ultimum. e. g. Naturæ lex eſt, veritatem ſequi: unde deducitur, pacta ſervanda: denique deducitur venditionem domus rectam eſſe, quia eſt pactum: pactum ſequitur veritatem: veritas nobis dominatur noſque conſtringit.

Jus hypotheticum tantum imaginarium et tolerandum?

Them. X. Scribens jus hypotheticum non quale in legitimo uſu eſt, ſed quod verſetur in officiis poſſibilibus, & excogitabilibus eatenus facit bene, ut oblectationis honeſtæ cauſa cum circumſpectione poſſit privatim legi: non in ſcholis pro fundamento vitæ exponi.

Utopia Mori.

1. Ita deſcripſit rempublicam Thomas Morus Angliæ Cancellarius in *Utopia* ſua. Ita Ciceronis leges hodie à nobis poſſunt legi. Ita *Fenelonii* Telemachus, *Homeri* Odyſſea, *Platonis* Reſpublica.

2. Ita, expunctis prius erroribus, ſophiſmatis & calumniis, poteſt legi Puffendorffius, ſi is officia à ſe deſcripta pro hypotheticis, iiſque poſſibilibus & à ſe excogitatis ſuſtineat haberi. Ita alii nonnulli.

Jus hypotheticum reale non poteſt abſtrahere ab uſu Gentium.

Them. XI. Scribens jus hypotheticum non ut in cerebro ſuo natum, ſed *extans* & uſitatum, ille non poteſt abſtrahere ab omnium gentium uſu.

1. Nam *uſitatum* jus non eſt uſitatum niſi apud gentes vel pleraſque vel paucas, vel unam ſaltem.

2. Igitur ſi deſcribit jus extans apud pleraſque, deſcribit talis revera *Jus Gentium* hypotheticum. Si deſcribit jus extans apud paucas, deſcribit forte ſyſtema fœderatum, aut aliquid tale. Si vero deſcribit jus extans apud unam ſaltem gentem, deſcribit merum jus civile.

3. Ad utram harum claſſem retuleris novos juris naturæ Doctores heterodoxos, reſtat, ipſos non ſcripſiſſe Jus naturæ purum & abſtractum quale promiſerant, & cujus cauſa Catholicos omnes & veteres ignorantes declamabant.

Officia perfecta & imperfecta admittenda: At non ſi per imperfectum intelligatur pure honeſtum.

Thema XII. Officia Juris naturæ erga alium poſſunt dividi in *Perfecta* & *Imperfecta*, ſi per hoc intelligitur major aut minor urgentia: vel ſpecialior aut generalior. Non item ſi per Imperfecta intelligitur pure *honeſtum* ut contradiſtinctum à Juſto naturali.

1. Prima pars thematis conſtat ex ſenſu communi. Alias omnia peccata erunt paria, errore Stoico, nec magis peccabit occidens matrem, quam vicino ſurripiens pullum. Vid. Cap. III. Them. XXVI. & Cap. XXII. Them VI.

2. Alterum admitti nequit, quia legis naturæ obligatio generalis eſt ad omne honeſtum, generaliter; quamvis in ſpecie & in particulari ſtricta obligatio non ſit determinata, ſed determinationem accipiat à circumſtantiis &c.

Sic

Sic Juri naturæ conſentanea eſt hoſpitalitas, quia eſt honeſta, ſeu quia ad finem ultimum ac ſervitutem DEO præſtandam eſt apta aut neceſſaria jam laxe jam ſtricte.

3. Qui aliter loquuntur, procedunt ex diſtinctione minime neceſſaria Juſti ab Honeſto, quam ſupra Them. XIX. &c. Cap. VII. expunximus. Nec mirum eſt, ſi in multas perplexitates incidunt; quod in illis experimur.

Jus Præceptivum & permiſſivum fere idem.

Thema XIII. Ad idem ſpectant Officia Juris naturæ *Præceptivi* vel *permiſſivi.*

1. Nam Si Permiſſivum ſumitur pro *indifferenti* ad finem, non eſt *humanum*, nec pertinens ad jus, niſi forte oppido materialiter.

2. Si permiſſivum ſumitur pro *idoneo* ad finem, tunc generaliter eſt præceptum à jure naturæ omnia idonea ordinante ad finem ultimum: ſpecialiter autem & in particulari, ſtrictius aut laxius præcipitur ex circumſtatiis, quæ neceſſitatem intendunt vel minuunt.

CAPUT XVIII.

Officia Generalia hominis in hominem.

Officium generale eſt, ne per nos DEUS privetur ſervo aut ſervitio.

Them. I. GEneraliſſimum officium hoc eſt, ut per nos non ſtet, quo magis Summus dominus fraudetur ſervitute alterius hominis, aut privetur ipſo ſervo vel ſervitio. Vid. Cap. VIII. Them. I.

Unde: Non occides.

Them. II. Ex hoc profluit obligatio, non auferendi de medio totum ſervum ſeu hominem. Sed eum, quantum in nobis, tenemur *conſervare.*

Non auferes instrumenta ſervitutis.

Them. III. Obligamur etiam eidem conſervo noſtro conſervare, ſeu illi non adimere ea, quæ accepit tanquam inſtrumenta ſervitutis ſuæ ad debitum finem.

Nec impedies ab acquirendis.

Them. IV. Nec eum impedire ab acquirendis his & adhuc aliis inſtrumentis.

Nec ab uſu eorum:

Them. V. Nec illum impedire in uſu facultatum & inſtrumentorum bono, ſeu ad finem ultimum idoneo, ſed potius, juvare.

impedies autem ab abuſu.

Them. VI. Contra obligamur, cum poſſumus, eum impedire ab abuſu.

Remiſſive.

Them. VII. Verbo, quidquid fere Capite XIII. & ſequentibus dictum eſt de officiis erga ſe quoad *conſervationem* & *uſum*, eadem omnia *ſecundo loco* (Vid. Them. V. Cap. XVII.) tenenda ſunt etiam de officiis erga hominem.

1. Quia amor ſeu obſtrictio erga DEUM eſt exemplar & regula obſtrictionis erga ſeſe: & obſtrictio erga ſeſe eſt alterum exemplar ac regula obſtrictionis erga alium hominem.

2. Unde plane Divina eſt doctrina S. Scripturæ, cui nulla alia in orbe philoſophia comparari poteſt: nec enim patitur DEUS ac divina natura, ut quis meliora DEO loquatur aut doceat. Divinam autem hanc doctrinam luculentiſſime repetiit & explicavit Chriſtus. *Primum omnium mandatum eſt: Audi Iſraël, Dominus DEUS tuus DEUS unus eſt. Et Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum. Secundum autem SIMILE eſt illi: Diliges proximum tuum TANQUAM teipſum. Majus horum aliud mandatum non eſt.* Marci XII. ℣. 29. ſeq.

3. Hanc ſolam regulam Chriſti quoties conſidero, non poſſum non indignari heterodoxis Juris naturæ larvati ſcriptoribus, S. Scripturam & Chriſti doctrinam ex Juris naturæ diſciplina excludere omni vi contendentibus.

Them. VIII. Quod igitur ſchema officiorum erga ſe ipſum expoſitum eſt ſupra cap. XIII. Them. V. idem etiam hic locum habet.

Intel-

Homo Servus DEI ***non lædendus*** **in**

- Individuo hominis, Quod eſt
  - Anima nempe in
    - Intellectu, ſcientia fide, &c.
    - Voluntate, ſeu appetitu boni & fuga mali.
    - Memoria.
  - Corpore
    - Senſu
    - Membris
    - Nutritione
    - Valetudine
  - Mixtis
    - Paſſionibus
    - Affectibus.
- Specie
  - Ut in Omnibus.
  - Ut in Singulis.

Officia ***Negativa*** **debentur omnibus.**

Them. IX. Officia *negativa*, quæ conſiſtunt in abſtinendo ab injuria, quilibet homo debet tam omnibus quam ſingulis aliis, Poſt DEUM, ac ſe ipſum.

Poſitiva **variè limitantur.**

Them. X. Officia autem *poſitiva*, quæ conſiſtunt in faciendo aut dando aliquid de ſuo, recipiunt limitationem variam ex ipſa natura rerum.

Per DEUM

1. Homo enim eſt ens limitatum tripliciter: *Primo* & maxime limitatur à DEO, qui ejus principium & finis eſt.

Per ſe ipſum

Secundo limitatur in ſeſe; quia habet ſupellectilem pretioſam quidem, ſed tamen curtam, unde microcoſmus recte dicitur ſeu *parvus* mundus: nec poteſt omnia, nec capit omoia: nec ſimul multis ſufficit, ſed ſucceſſive dum uni intendit, alterum ſeponit.

Per exteriora & alios homines.

Tertio limitatur etiam per exteriora, & præcipue per alios homines. Qui enim cum uno homine ſe poſſet ſatis liberaliter communicare, difficilius communicabit ſe cum decem, cum mille, difficillime cum omnibus. Quo enim ſunt plures, qui de meo partem accipiunt, hoc magis intra me limes contrahitur: niſi ſim infinitæ poteſtatis.

Unde ordo tenendus

2. Ex quo conſequitur, cum homo, res ſane finita, omnibus ſatisfacere nequeat, in ſatisfaciendo ordinem quendam tenendum: curandumque ne obvio cuivis ſatisfaciendo te ita exhaurias ac perdas, ut ſatisfacere jam nequeas aliis, quibus præcipue forte erat ſatisfaciendum.

3. Rurſus hinc conſequitur, in officiis dilectionis proximi dari aliquas exceptiones. Hoc ipſo enim, quod alterum alteri præferre poſſum ac debeo, poſſum ac debeo alterum aſſumere, alterum poſtponere & excipere quoad illa quæ ſub ordinem illum cadunt.

Officium non impletur tantum externis.

Them. XI. Juri naturæ non ſatisfacit, qui *tantum* externe bene facit proximo: niſi etiam aliquando diligat actu interno.

1. Puffendorffius aliique, qui Jus Naturæ ad pacem externam vel unice vel maxime ordinant, hunc errorem aut docent, aut negare non poſſunt.

2. Eſt tamen ab Innocentio XI. PP. damnata hæc duplex propoſitio: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* Et: *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

3. Jus naturæ eſt ſubjectio naturæ humanæ, ad juſſum ſuperiorem. Sed natura humana præcipue conſiſtit in internis, & hæc præcipue rationaliter ſubjiciuntur juſſui ſuperiori divino. Igitur cum ſuperior naturæ jubet amare proximum, ejus juſſus præcipue ſtringit partem rationalem & interiorem.

4. Quid quod actus exterior ſine interiore non ſit humanus: dilectio autem debet eſſe humana, quia bona; bona, quia præcepta. Vid. Cap. VI. Them. II. & *Scotus* in III. Sentent. Diſt. XXXI. n. 12.

CAPUT XIX.

De Ordine Charitatis humanæ.

Non æqualiter omnes & omnia diligenda.

Them. I. NOn æqualiter *ſemper* omnes & omnia diligere, conforme eſt legi Divinæ poſitivæ & naturali.

1. Chriſtus promulgando hanc legem naturalem dixit conceptis verbis: Diliges *proximum tuum.* Sunt autem gradus quidam propinquitatis, reſpectu diligentium & diligendorum. Filius propior eſt patri, quam extraneus, idem filius proprior eſt patri, quam materteræ.

2. Senſui communi repugnat is, qui omnem differentiam tollit. Videatur *Suarez* Diſp. IX. de Ordine Charitatis per totam. *Scotus* & omnes Theologi in Lib. III. Sentent. Diſt. XXIX.

Eſt tamen aliqua æqualitas.

Them. II. Aliqua tamen ratione eſt æqualitas; & in hac ratione etiam æqualis debet eſſe dilectio.

Nempe ratio creaturæ, humanitatis &c.

Ordo charitatis non eſt Perſonarum acceptio.

Them. III. Ordo iſte Charitatis non eſt vitioſa perſonarum acceptio. Vid. S. *Thomas* 2. II. Qu. XXVI. Art. VI.

1. Nam Ordo charitatis eſt prælatio *cauſarum* verarum moventium ad amandum vel benefaciendum: Acceptio autem perſonarum eſt prælatio *perſonarum*, ita ut non attendatur cauſa amandi ſeu præferendi; vel ſaltem cauſa non genuina nec pertinens ad rem. e. g. cum quis eligit Prælatum ideo, quia formoſus eſt: aut alteri dat præfecturam, quia conſanguineus eſt. Contrà non eſt acceptio perſonæ, cum inſtituo heredem Petrum ideo, quia conſanguineus eſt: Nam conſanguinitas facit ad hoc, ut præ alio poſſit inſtitui, in communi hominum uſu & æſtimatione.

2. Ceterum Acceptio perſonarum plerumque repugnat Juſtitiæ particulari & ſpecialiter diſtributivæ, quæ præmia ac pœnas in republica decernit: atque adeo hypotheticè tantum eſt contra Jus naturæ; ſuppoſito nimirum, quod res publica aut eccleſia cum varia ſubordinatione legitime inſtituta ſit. Vid. de hac S. *Thomas* 2. II. Qu. LXIII.

Them. IV. Ordo primus, æternus & immutabilis in his eſt, ut ante omnia DEUM, ſecundo loco Teipſum, tertio proximum diligas & obſerves.

Nam DEO non curato nihil manet reliquum quod tibi aut alteri rectè tribuas. Item niſi prius te ipſum curaveris, ex vacuo nihil poteſt effluere in alios. Vid. S. *Thomas* 2. II. Qu. XXVI. art. I. ſeq. Vid. & *Maſtrius* in III. Sent. Diſput. VI. Qu. XXV. probans naturam magis inclinari ad amorem DEI, quam ſui.

Them. V. Cum ad ordinem in particulari reipſa & actu conſtituendum devenitur, multum momenti eſt in *neceſſitate*, quæ ex circumſtantiis metienda eſt.

1. Neceſſitas enim, quæ legem non habet, ſed quaſi ipſa lex eſt, interdum facit ut aliquid ſit officii, quod non erat officii abſque neceſſitate. Non quod neceſſitas demum obligationem pariat. Nam obligatio erat ſemper, ſed ex neceſſitate determinatur materia officii.

2. Difficultas æſtimandæ veritatis duo parit: *Primo* ut facile poſſit aberrari, præſertim ab iis, qui ſoli ſuæmet rationi ac capiti volunt parere ac confidere. Vid. Cap. VII. Th. VI. &c.

Secundo ſequitur neceſſariam ad agnoſcendum, num aliquid in particulari ſit juris naturæ, eſſe auctoritatem. Vid. Cap. III. Th. XVII.

Spiritualium cura præponenda temporalibus.

Them. VI. In humanis Præponenda eſt curatio ſpiritualium curationi corporalium & temporalium.

1. Ratio enim dilectionis & fundamentum officii eſt participatio bonitatis divinæ & per hanc conſtituta ſervitus: Ergo ubi eſt major participatio & nobilior ſervitus, ibi eſt potior ratio diligendi. Major autem participatio bonitatis divinæ, & nobilior ſervitus eſt in ſpiritualibus quam in corporeis: Igitur in ſpiritualibus eſt potior ratio officii: & conſequenter officia ad ſpiritualium conſervationem ſpectantia debent præferri officiis ceteris.

2. Hinc homo tenetur ſalutem animæ proximi præferre ſuo corpori, & ſuis bonis: ſuppoſito, quod utrumque non poſſit conſervari; & quod expoſitis ſuis corporalibus ſpiritum alterius valiturum ſpes certa ſit; item hoc etiam ſuppoſito, quod exponendo corpus tuam etiam animam non exponas periculo. Nam iſta ſuppoſita ni adſint, ordo erit præpoſterus,

3. Injuria ſic facta proximo, auferendo vel impediendo in ipſo bonum

vir-

virtutis, vocatur *Scandalum.* Quod, quia lata eſt peſtis ſeorſim eſt tractandum, Cap. XXIII. Them. V. &c.

Thema VII. Poſt bona moralia ſequitur Curatio vitæ naturalis in proximo, cui poſtponere debeo, in caſu neceſſitatis, mea, quæ inferioris ordinis ſunt, ut pecuniam.

Sic etiam Plato definivit in Epiſtola VIII. ad Dionis propinquos, ubi hæc habet: *Principio leges tales ſint, quæ non ad opes pecuniasque comparandas, neque ad libidines mentes convertant, ſed cum tria ſint, anima, corpus, pecunia; virtutem animi maxime anteponant: ſecundo vero loco virtutem corporis virtuti animi ſervientem: Tertio ultimoque gradu pecuniarum pretium collocent, animo corporique miniſtrans. Quæcunque lex hæc efficit, recta eſt, revera beatitudinem utentibus afferens.*

Thema VIII. Poſt animam ſeu vitam naturalem ſequuntur ejusdem vitæ quaſi partes quædam, ſine quibus aut ſine eorum uſu poteſt quidem homo vivere, ſed non humane. Ut *Intellectus, Voluntas, Memoria, Scientia, ars.*

Deinde Fama.

Them. IX. Poſt ſequitur *Fama* & honor debitus, quæ, ut adagium habet, *pari paſſu cum vita ambulat.* In qua tamen permulta pendent ab hypotheſi.

1. Nec debet fama confundi cum *vero honeſto*, de quo ſupra Cap. VII. The. XIX. &c. quod honeſtum coram DEO vim habet, & omnia antecedere debet: & quo honeſto latro in cruce converſus multo excellentior fuit, quam Pontifices Judæorum, quam Pilatus, & ipſe Tiberius Auguſtus.

2. Sed accipitur hic fama & honor externus: qui æſtimabilis ob hoc eſt, quod ſit aliquod inſtrumentum vitæ maxime civilis; quod ſit incitamentum ad bonos mores; quod ſit quædam externa expreſſio ſplendoris internæ virtutis; & præcipue quod ſubordinari DEO poſſit, qui etiam ipſe glorificari in ſuis creaturis vult.

3. Huc pertinet propoſitio ab Alexandro VII. damnata an 1665. *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Tum *Membra.*

Them. X. Poſt famam Membra poſſunt locari, & eorum rectitudo ac uſus.

Homo enim moratus æquiore animo feret jacturam aut moleſtiam carnis, quam famæ; cum famæ defectus ſæpius etiam virtuti impedimento ſit, quam defectus corporis. Unde S. Auguſtinus: *Qui famam negligit, crudelis eſt.* Vid. S. Thomas 2. II. Qu. LXXIII.

Them. XI. Excipiunt inſtrumenta ad vitam ducendam, ut alimenta, veſtitus, habitatio, communis uſus elementorum, tranſitus &c.

Sequuntur inſtrumenta vitæ, alimenta &c.

1. Hæc autem partim ſunt omnino neceſſaria *abſolute*: partim neceſſaria *ex hypotheſi*, nempe ad dignitatem & gradum tuendum, ut regi plura ſunt neceſſaria quam civi. Partim ſunt *commoda* tantum, ut v. g. civi commoda eſt domus trium contignationum vel veſtes tres, quatuor; neceſſaria fortaſſe hæc neque primo neque ſecundo modo ſunt. *Superflua* ſunt ea, quibus etiam ſine incommodo poteſt carere: e. g. is cui quotannis proveniunt mille aurei, & 960. ſufficiunt pro honeſta & commoda ſuſtentatione & aliquali providentia futuri, reliqui quadraginta ordinarie poſſunt pro ſuperfluis haberi. Vid. infra de eleemoſyna Cap. XXI. Them. V. & VI.

Them. XII. Poſt inſtrumenta vitæ naturalis denique locantur inſtrumenta famæ tuendæ aut probandæ.

Inſtrumenta famæ.

Sic e. g. qui alteri etiam caſu abſcidit auriculam, tenetur ei opportunis mediis & atteſtationibus providere; quia multis locis auriculæ defectus indicium habetur commiſſi flagitii, aut infamiæ irrogatæ. Ita peccat qui alteri ſurripit teſtimoniales literas; aut ſine cauſa negat teſtimonium commeritum.

Them. XIII. Contra hunc ordinem tripliciter peccari poteſt. *Auferendo*: *Intervertendo*: *Non tribuendo* de ſuo ſecundum hunc ordinem.

Contra ordinem peccatur

1. *Auferendo* peccat, qui in his lædit proximum; quia fere ſemper bona proximi poſtponit ſuæ irrationabili cupiditati, quæ inter vere bona nullum locum moralem habet, adeoque nulli ex prædictis præferri poteſt.

Auferendo.

2. *Intervertendo* peccat, qui ſuum bonum paris ordinis poſtponit bono proximo ejusdem ordinis, ſine alia neceſſitate, urgentiore præcepto, aut ſpeciali inſtinctu. v. g. qui ne alteri *cuicumque* obvio auferatur vita, ipſe ſuam dat. Item qui ſe exponit proximo periculo peccati gravis, ut alterum à peccato liberet. Unde damnata eſt ab Innocentio XI. an. 1679. hæc propoſitio. *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali vel temporali noſtro vel proximi.*

Intervertendo.

Item hic ordo ſtabilitur per damnationem variarum propoſitionum ab Innocentio XI. factam an. 1679. *Fas eſt viro honorato, occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc igno-*

ignominia vitari nequit. Item: *Idem quoque dicendum, ſiquis impingat alapam, vel fuſte percuciat & poſt impactam alapam vel ictum fuſtis fugiat.* Item: *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatioe unius aurei.* Item *Non ſolum licitum eſt defendere occiſiva defenſione, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus incboatum babemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* Item: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprebenſa gravida occidatur, aut infametur.*

Non tribuendo

3. *Non tribuendo* peccat, qui cum poſſet ſervare bonum excellentius proximi dando aliquid de bonis ſuis inferioribus ſibi non neceſſariis nec valde commodis, illud tamen dare negat. v. g. eleemoſinam pauperi: aut correctionem fratri peccanti: aut qui viam non monſtrat erranti, ſi is per errorem hunc in periculum aut grave incommodum incideret. Hinc damnata eſt propoſitio ab Innocentio XI. an. 1679. *Vix in ſecularibus, etiam in regibus invenies ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.*

4. Repetatur huc Thema V. & VI. & XI.

Objectio

Them. XIV. Huic ordini rerum amandarum ſeu curandarum fruſtra objicitur: ex hoc ſequi, quemlibet hominem obligari ad amittendum v. g. brachium aut oculum, ſi vel tyrannus alteri vitam adempturus eſt, niſi ego oculum dem: aut ſi eum, qui incendio domus correptus eſt, poſſum extrahere exurendo brachium meum, aut oculos.

Ordinis determinatio in caſibus particularibus.

℞. 1. Nos ordinem aliquem in regulis *generalibus* tradidimus conformem doctrinæ veterum, rationi & Evangelio. At objectio iſta affert caſus particulares, in quibus diſpiciendum, an his particularibus ſit applicabilis regula generalis. Ad hoc autem determinandum Themate V. & VI. aliquot adjumenta indicavimus: quæ ipſa cum ſint generalia; ultimam applicationem recipiunt à circumſtantiis. Sicut in alio evidenti exemplo contingit. Amandum eſſe proximum regula eſt generalis, evidens. Ex amore ſequi obligationem reddendi depoſiti, iterum eſt regula generalis & evidens, jam tamen obnoxia aliquibus objectionibus. Ad objectiones ſolvendas inventæ ſunt aliquæ regulæ, nempe neceſſitatis, ſequelæ malæ &c. Cum igitur quæritur: an furioſo ſit reddendus enſis apud me depoſitus ex regula prima amoris, & ex regula ſecunda depoſiti? reſolvitur hypothetice, reddendum eſſe pugionem, ſi nulla neceſſitas aut ſequela mala contrarium depoſcat. An autem hic & nunc ſit aliqua neceſſitas aut mala ſequela, ad hoc eſt impoſſibile dari regulam generalem, ſed pendet à circumſtantiis, à prudentum virorum æſtimatione, à ſenſu communi, à legum poſitivarum præſertim per varios populos comprobatarum declaratione. Quod jam ſæpe monuimus & iterum monemus: ad retundendam novorum Juris naturæ Doctorum ſuperbiam, qui omnia juris naturæ præcepta *ſola ratione* cognoſci, ac doceri poſſe temerarie aſſerunt & promittunt. Vid. C. VII. Them. VII. & X.

Objectio reſolvitur.

℞. 2. De particularibus his caſibus non ſtatim apparere neceſſitatem, magis pro occidendo quam pro me militantem. Si enim Tyrannus eſt, nulla ei tuta fides: & quis mihi prædem aget, Tyrannum ſervaturum promiſſa? Aut enim eruto meo oculo nihilominus occidet alterum, aut me ipſum unà neci dedet, hac occaſione accepta charitatis meæ. Idem eſt in incendio. Si enim alter ita periculoſo in loco eſt, ut vitæ periculum habeat: ego in eundem locum me conjiciens, in eodem periculo ero & ſic jam non de inæqualis ordinis bono agitur, ſed de vita utrobique, quæ eſt ejuſdem ordinis: ita tamen ut mea præferenda ſit vitæ alterius, ex ordine per Thema IV. hoc cap. & Capitis XVIII. Thema VII, conſtituto.

Dilectio perſonarum non æqualis in omnes:

Them. XV. Dilectio erga perſonas ſeu homines non debet eſſe æqualis circa omnes, tam interna quam externa.

1. Equidem interna debet eſſe æqualis erga omnes. Primo ne quis lædatur etiam animo; ſecundo, ut bonum ſummum ſeu felicitatem in genere unicuique velimus.

Intenſior erga conjunctos.

2. Contra interior affectus ejuſque intenſio debet eſſe major erga illos, qui *natura* nobis ſunt conjunctiores, ut pater; aut *moribus* & vitæ uſu, ut domeſtici, aut *ordine tendendi* ad ultimum finem, ut Chriſtiani Chriſtianis debent eſſe chariores; qui ideo vocantur ab Apoſtolis Domeſtici fidei.

2. Quoad exteriorem autem oſtenſionem charitatis, inæqualitas oritur ex ipſa limitatione noſtra, de qua jam Them. X. Cap. XVIII. Vid. *S. Thomas* 2. II. Q. XXVI. art. VI. & *Suarez* de Charitate Diſput. IX. per totam. *Origenes* Homilia III. in Cantica.

Them.

Ordo perſonarum plerumque non naturalis ſed hypotheticus.

Them. XVI. Ordo perſonarum diligendarum mox indicandus in multis quidem eſt hypotheticus, ſeu ſtatui adventitio ſociali, religioſo, civili congruens; hic tamen totus non mutilus reponendus fuit.

Hic tamen in J. Naturæ utiliter indicandus.

1. Quia ſocietas quædam ejusque officia poſſunt moraliter & quoad uſum vitæ accipi tanquam abſoluta & non pure hypothetica, ut ſupra Cap. XVII. Them. VII.

2. Quia etiam in gradibus his hypotheticis, diſtinctio non ex mero arbitrio & phantaſia hominum inventa eſt, ſed habet egregium fundamentum in natura vitæ humanæ. Ut patet in themate ſuperiore XV. n. 2.

3. Quia hic ordo plerumque deberur, etiamſi præceptum poſitivum non extaret. Quod eſt ſignum, eſſe hujus ordinis obſervationem à naturali appetitu ſtabilitam. Sic omnes gentes majore charitate amplectuntur ſuæ religionis participes, ſuos ſacerdotes, ſuos magiſtros: etiamſi leges forte tales apud ipſas non extent.

4. Sed mihi ſupervacanea, eſt accuratio iſtarum diſtinctionum, qui profeſſus ſum ſcribere non jus naturæ ab uſu & praxi, & à ceteris diſciplinis anxie ſecretum, ſed ut ſervari illud neceſſe eſt à nobis, qui nunc ſumus, & ut in illo erudiri debet juventus non ubi-ubi in luna forte exiſtens, ſed noſtra Europæa, eaque Chriſtiana.

Non eſt naturalis obligatio intenſius amandi meliores quam conjunctiores.

Them. XVII. Non eſt naturalis obligatio, ut diligamus amplius & intenſius illos homines, qui *meliores* aut ſapientiores aut ſanctiores ſunt, quam eos, qui ſunt nobis *conjunctiores*, ſecundum tria Themate XV. n. 2. indicata conjunctionis genera.

1. Quia amor hominis *melioris* multæ inquiſitioni, dubitationi, mutationi ſubjectus eſt, ideoque in illo amore major *libertas* relicta eſt noſtro arbitrio, electionique. Contra in amore *conjunctiorum* appetitus noſter eſt naturalior, non pendens adeo à libera noſtra electione: hoc ipſo enim, quod agnoſco patrem aut fratrem, ſine multa inquiſitione naturâ inclinor ad amorem; & ſum adeo per naturam coogenitam adſtrictior. Atqui modus *intenſionis* non tam pendet ab objecto extrinſeco, quam ex diſpoſitione, & conjunctione majore moti cum movente.

2. S. Thomas id admittit etiam in Charitate ſupernaturali. Vid. 2. II. Qu. XXVI. art. VII.

Primo loco amandi Parentes.

Them. XVIII. Primus inter perſonas humanas locus amoris naturaliter debiti tribuendus eſt Patri ac matri.

1. Nulla enim major inter humanas naturales eſt connexio & ſubordioatio, quam geniti ad illum qui ex ſeſe genuit.

2. Quia totum ſuum naturale eſſe, vivere, educari à parentibus trahit.

3. Naturæ auctor potuiſſet propagationem generis mille aliis modis inſtituere, v. g. ut proles edita nulla deinceps ope matris indigeret, ſed ſibi ſufficeret, quemadmodum ex inſectis videntur quædam ita gigni. Sed ex hoc, quem nunc experimur, gignendi modo intelligimus, DEUM velle, ut plurimis beoeficiis acceptis velut novis vinculis obſtringamur parentibus.

Secundo filii.

Them. XIX. Alter hominum naturalis gradus eſt erga ſobolem; qui tamen quoad *intenſionem* amoris & quædam alia, etiam prævalet parentibus. Unde proverbium: Amor non aſcendit.

1. Sicut nos parentibus connectimur cum ſubjectione; quia illi nobis ſunt principium; ſic parens connectitur ſoboli cum aliquo imperio, ex eadem ratione.

2. Intenſior autem eſt naturaliter amor parentis in filium; quia in eum fertur tanquam in partem ſuam: & hinc dilectio, qua quis diligit filium, ſimilior eſt dilectioni ſui ipſius.

3. Alias rationes accidentarias recenſet S. Thomas; ut quia parentes magis ſciunt, aliquos eſſe ſuos filios, quam è converſo. Item quia parentes diutius amaverunt, quam filii, qui procedente demum tempore incipiunt diligere. Poſſet addi, quia parentum amor per multa adverſa & moleſta, quæ propter filios ſuſtinenda ſunt, magis radicatur. Vid. 2. II. Qu. XXVI. art. IX.

Tertio Uxor.

Them. XX. Tertius gradus aſſignatur uxori. Quæ tamen quoad intenſionem amoris præferenda eſt parentibus.

1. *Relinquet* enim *homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Geneſ. II. 24. & Epheſ. V.

2. Parentibus autem appretiative poſtponenda eſt uxor. *Quia vir debet diligere uxorem ſuam ſicut carnem ſuam. Ephes V. Sed corpus ſuum minus debet homo diligere quam proximum, ut ſupra dictum eſt. Inter proximos autem magis debemus parentes diligere. Ergo magis debemus diligere parentes,*

quam uxorem. Ita *S. Thomas* 2. II. Q. XXVI. art. XI.

Quarto conſanguinei.

Them. XXI. Gradus quartus amoris naturalis continet reliquos ſanguine propinquos. Primo Fratres; deinde avos; tum nepotes &c.

Quinto Benefactores.

Thema XXII. Quintus naturalis amoris gradus generalis eſt erga *Benefactores*, qui an magis diligant an magis diligantur, anceps eſt apud Philoſophos. Vid. S.Thomas loc. cit. art. XII.

Quibus debetur Gratitudo.

Them. XXIII. Officium huic gradui & partim ſuperioribus debitum vocatur *Gratitudo*, ſeu retributio cumulata beneficii, ſaltem animo, ſi facto non poteſt. Vocatur etiam *Pietas*, ſi fit erga parentes vel parentum loco exiſtentes. Vocatur *Religio*, ſi eſt ad DEUM & divina.

Ex quo fundamento?

1. Fundamentum gratitudinis proximum eſt, quia benefactor eſt cauſa & principium quoddam beneficiati, ut pulcre S. Thomas. 2. II. Q. CVI. art. III. Quod fundamentum ulterius reſolvitur in ſervitutem enti ſummo debitam. Cum enim homo nihil ex ſe habeat, ſed omne bonum per participationem à DEO accipiat, exinde cognoſce, DEUM voluiſſe, ut Benefactor meus illa bona habeat, quæ is mecum communicavit. Niſi autem *vellem* ſaltem ei hæc bona retribuere; vellem eum bonis à DEO ipſi attributis carere; quod repugnat ſtatui ſervitutis.

2. Atque hinc omnis ingratitudo eſt peccatum, quia adverſatur juſtitiæ legali, ſeu Juri naturæ, id eſt ſervituti noſtræ & juri divino. Vid. S. Thom. 2. II. Qu. CVII.

Benefactorum maximi ſunt *Præceptores Magiſtratus &c.*

Them. XXIV. Inter Benefactores gradus ſunt varii. Ut erga *Præceptores*, qui nos in ſcientia, & maxime in virtute inſtruunt: quo ſpectant Magiſtratus ſacri. Deinde *moderatores reliquæ vitæ*, ut Magiſtratus civiles, & iterum magiſtratus ſacri. Denique varii generis alii, ut *cives* præ extraneis: *Religionis* conſortes præ infidelibus: Pro publico aut privato *laborantes* præ otioſis. v. g. Conſiliarii, milites &c.

Quibus debetur *Obſervantia*

Them. XXV. Officium erga gradus prioris thematis, & partim erga ſuperiores gradus vocatur etiam in genere *Obſervantia*. Et ſi cum aliquo imperio conſiſtit gradus ille, vocatur officium ei debitum *obedientia*. Si pactum aut leges acceſſerint, pertinet non tantum ad Juſtitiam naturalem, ſed etiam ad *particularem*, ſeu commutativa ſit ſeu diſtributiva. Cumque pactio univerſalis civitatum & leges fere ſemper adſint, obſtringentes nos ad parendum & obſervandum, & quod poſſumus animo reddendum magiſtratibus debitum officium, ideo fere ſemper horum officiorum deliberata omiſſio adverſatur Juſtitiæ particulari. Vid. *S. Thomas* 2. II. Q. CIV. de obedientia. Alexander *Natalis* Lib. IV. Theol. Dogm. Cap. De quarto præcepto. Art. I. & art. III. pag. 759. &c.

Et *Obedientia.*

Ultimo diligendi *Inimici.*

Them. XXVI. Ultimus gradus hominum jure naturæ à nobis diligendorum ſunt *Inimici*. Sed triplici ſub diſtinctione.

1. Non debent nec poſſunt diligi in quantum inimici ſunt: ſive ipſorum inimicitia in nos non debet diligi; quia hæc inimicitia eſt mala, & peccaminoſa. Et debemus velle atque optare ut ab hoc malo liberentur.

2. Ut autem inimici ſunt *homines*, univerſaliter diligendi ſunt; quia hac ratione ſunt creaturæ, ſuntque in ſervitio naturali DEI, non in noſtro. Itaque in neceſſitate conſtitutum inimicum non poſſumus excludere ab ope noſtra & favore; aut ei aliquando malum velle & optare.

3. *Speciali* autem affectu & ſtudio ferri in inimicum etiam ut hominem, non tenemur jure naturæ, ſed hoc pertinet ad perfectionem Chriſtianam, & eſt virtus heroica: quia talis inimici ſpecialis amor eſt magna victoria ſui, & oritur ex magno amore DEI Domini, qui ſi major eſt, poteſt utique magis nos movere ad amorem difficiliorem homini impendendum. Vid. S. Thom. 2. II. Qu. XXV. art. VI. & VII. Adde Qu. XXVII. art. VII. Et Vide infra Cap. XXI. Them. XXII. de remiſſione offenſæ. *S. Auguſtinus* Lib. XIX. contra Fauſtum Manichæum, Cap. XXIV. ſic iſtud exponit de more eleganter, *Non eſſe contrarium, quod in antiqua ſcriptura dictum eſt: Oderis inimicum tuum, & in Evangelio: Diligite inimicos veſtros: quod unusquisque iniquus homo, in quantum iniquus eſt, odio habendus eſt, in quantum autem homo eſt, diligendus eſt: ut illud, quod in eo recte odimus, arguamus, id eſt vitium, quo poſſit illud, quod in eo recte diligimus, id eſt humana natura ipſa, emendato vitio liberari. Hæc, inquam regula eſt, qua & oderimus inimicum propter id, quod in eo malum eſt, id eſt iniquitatem; & diligamus inimicum propter id quod in eo bonum eſt, id eſt ſocialem rationalemque creaturam.* Vid. *Natalis* Lib. IV. Theol. Dogmat. De Dilectione proximi Reg. IX. &c. Ubi plura ſpecialia. *Suarez* de Charitate Diſput. V. Sect. V. *Scotus* in Lib. III. ſent. Diſt. XXX.

CAPUT XX.

De Officiis Benevolentiæ & Peccatis adverſus illa.

Officium eſt velle proximo omnia neceſſaria ad ſervitutem bonem DEI &c.

Them. I. Officium unicum eſt, bona omnia velle proximo tanquam conſervo, quæcumque ad hanc ſervitutem eidem ſunt oportuna. Vid. ſupra Cap. XIII.

Miſericordia.

Them. II. Miſericordia ſeu favens aliqua compaſſio cordis in rebus adverſis proximi, eſt juris naturæ,

1. Juris enim naturæ eſt velle, proximo bonum omne ad ſervitium DEI neceſſarium & expediens: igitur contrà juris quoque naturæ eſt velle, ut ei abſit malum omne ab hoc ſervitio impedire potens. Contrariorum enim eadem eſt ratio.

Vera quæ?

2. Hinc ſtatim conſequitur non miſericordiam, ſed crudelitatem eſſe, ſiquis à proximo cupit abeſſe parva quædam mala, majoribus aut neglectis, aut per hoc etiam nutritis. e. g. Si quis miſererur peccatoris ita ut eum corrigere nolit ſolum ideo, ne is in pudorem, iram, triſtitiam concitetur; cum tamen potuiſſet per hoc eum liberare à maximo malo nempe poccato.

falſa parentum.

3. Talis eſt miſericotdia ſeu potius injuſta crudelitas parentum & præceptorum in filios & alumnos, quando parcunt virgæ, aliisque pænis, & malos corum mores tolerant ac ſuccreſcere permittunt. Ita peccant Principes & Magiſtratus, qui maleficos de facili abſolvunt, iisque gratiam vitæ faciunt frequentius, præſertim in majoribus criminibus, ac jure divino poſitivo etiam prohibitis. Vid. Fritſchii tractatus: *Princeps peccans.* Ita peccant iidem magiſtratus qui ex miſericordia in pauperes eosdem non adſtringunt ad honeſtam vitam, ſed otio, divinorum neglectui &c. eos permittunt. Sic peccant ptincipum miniſtri & amici, qui cum poſſent iis perſuadere ac demonſtrare majorem continentiam, frugalitatem, ſollicitudinem, permittunt ipſos ptocurrere in luxu; otio, & vanitate. Vid. de Miſericordia S. Thomas 2. II. Q. XXX.

Ac Magiſtratuum.

Contra J. Naturæ eſt velle, ut proximo deſit neceſſarium &c.

Them. III. Contra naturam ergo eſt, cupere, ut aliquod bonum neceſſarium vel opportunum deſit proximo, vel eidem auferatur ſive per me ſive per alium.

1. Sequitur hoc ex Themate I.

2. Neque objicias: cupido mea non nocet proximo, & mea voluntas ei non prodeſt: ergo hæc non pertinent ad officia Juris naturæ erga proximum.

℟. 1. Imo hæc nocent Ordini naturali, à DEO inſtituto, quo erga conſervos non tantum regulantur corporales noſtræ actiones tanquam viliores, ſed multo magis actiones animi tanquam proprie humanæ, ac in ſeipſis rationales.

℟. 2. Deinde hæc interna voluntas circa bonum aut malum proximi eſt vera radix, ex qua cetera exteriora proveniunt. Igitur mancum & inutile eſſet jus naturæ, ramos tantum reſecans, radici luxuriem permittens & omnem libertatem.

Item velle ut ei adſit malum.

Them. IV. Eodem jure naturæ vetitum eſt, proximo malum velle, aut omnino imprecari, ſive imprecationem ore etiam efferat ſive non.

2, Sequitur plane ex Them. I. II. Videatur late *S. Thomas* 2. II. Qu. LXXVI.

2. Neque tali peccato obſtringit ſe judex maledicens damnato: neque eccleſia cum anathema dicit. Quia per hæc non optatur malum propter malum ſed ptopter bonum tum juſtitiæ, quæ pœnas malis tribuit; tum etiam propter bonum ipſorum pecatorum, qui per illa mala poſſunt corrigi.

An liceat alicui optare malum propter bonum.

3. Imo privatus etiam homo poteſt quandoque malum aliquod minus optare alteri, ut liberetur à majori: ut cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem aut aliquod impedimentum, vel ut ipſe meliot efficiatur, vel ut ſaltem ab aliorum nocumento ceſſet. *S. Thomas* 2. II. Qu. LXXVI, art. I. in Corp. fin. *Scotus* in Lib. III. ſentent. Diſt. XXX. n. 7. &c. Sed hoc indiget circumſpectione & animo virtuoſo, qui ſi deſit, facile hic peccatum committi poteſt. Præſtat ac tutius eſt, DEI providentiam adorare, eique omnia tranſcribere, ac proximo cuicunque privatum quemlibet omnia bona precari quæ DEUS vult: ſic errare nullo modo potes.

Them.

Illicitum gaudere de malo proximi.

Them. V. Jure naturæ illicitum eſt gaudere deliberate de malò proximi, aut triſtari de bono.

1. Quia gaudium tale eſt effectus malevolentiæ internus. Sicut ergo malevolentia eſt illicita, ſic etiam ejus propago eſt illicita, ſi cum deliberatione nata eſt. Vid. *S. Tomas* 2. II. Qu. XXXVI.

2. Hinc propoſitiones tres ab Innocentio XI. PP. damnatæ ſunt an. 1679. quarum hæc ſententia. Prima: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Altera: *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura eſt pinguis hereditas.* Tertia: *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis, à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate conſecutas.*

Invidia eſt contra jus naturæ.

Them. VI. Contra jus naturæ eſt *INVIDIA* erga proximum; quæ eſt triſtitia de alieno bono, ob eam cauſam, quod per id bonum arbitretur impediri aut diminui bonum vel commodum ſuum. Eſtque hoc vitium capitale multorum aliorum parens. De quo profundiſſime *S. Thomas* 2. II. Qu. XXXVI. *Maſtrius* Theol. Mor. Diſp. X. Qu. IV. art. I.

1. Legi enim naturæ, quæ nos omnes ſervos ſuos conſtituit, adverſatur, ut velim ego diſponere ac quaſi dominum agere ſuper media ſervitutis, quæ alter nactus eſt. Volo autem tale dominium mihi uſurpare, quoties deliberate triſtor de tali ejus bono. Eſt enim hæc triſtitia aliquis conatus voluntatis tendens ad hoc, ne alter iſta bona habeat, quantum in nobis ſitum eſt.

Triſtitia de bono alterius non ſemper eſt invidia.

2. Contra non eſt invidia, cum triſtamur de bono alterius ideo, quia illud nobis poteſt revera nocere; quod poteſt fieri ſine peccato, imo poteſt eſſe ordinatum ex charitate ſuipſius. Unde S. Gregorius Lib. XXII. Moral. Cap. VI. apud S. Thomam ait: *Evenire plerumque ſolet, ut non amiſſa charitate & inimici nos ruina lætificet, & rurſum ejus gloria ſine invidiæ culpa contriſtet; cum & ruente eo quosdam bene erigi credimus; & proficiente illo plerosque injuſte opprimi formidamus.* Sic potuere triſtari Judæi ob potentiam Ammanis, ipſorum religioni interitum minantis; legatur in S. Scriptura liber *Eſther.* Sic Chriſtiani ob potentiam Imperatorum. Quia abuſus talis potentiæ revera neque ipſi Amani neque Imperatoribus bonus fuit. Verum, quia ſubtiles ſunt & obſcuri ſæpe fines inter utramque hanc triſtitiam, caute agendum eſt, & imitandi Chriſtiani martyres, qui utut de hac perſecutorum potentia triſtarentur, tamen pro ipſorum ſalute & incolumitate orabant.

Zelus quando laudabilis.

3. Alio modo poteſt aliquis triſtari de bono alterius; non ex eo, quod ipſe habat bonum, ſed ex eo quod nobis deeſt bonum illud, quod ipſe habet. Et hoc proprie eſt zelus, ut dicit Philoſophus in II. Rhet. Cap. XI. Et ſi iſte Zelus ſit circa bona honeſta, laudabilis eſt ſecundum illud I. Corinth. XII. ℣. 30. Æmulamini charismata meliora. Si autem Zelus ſit de bonis temporalibus, poteſt eſſe cum peccato & ſine peccato. Hæc ad verbum fere ex *S. Thoma* 2. II. Qu. XXXVI. art. II. Corp.

4. Tertio modo aliquis triſtatur de bono alterius, in quantum ille, cui accidit bonum, eſt eo indignus. Quæ quidem triſtitia non poteſt oriri ex bonis honeſtis, ex quibus aliquis juſtus efficitur; ſed de divitiis & talibus. Nam bonis veris & honeſtis nullus homo eſt indigaus cum hic ſit omnium finis. Ariſtoteles II. Rhetor. Cap. IX. hanc triſtitiam putavit eſſe virtutem, quam *Nemeſin* vocavit, tanquam juſtam diſpenſatricem bonorum vel malorum. Hic autem ejus error fluxit ex altero capitali ejus errore, quod externa bona admiſit in participium ſummi ac veri boni, quo honeſti ac digni evadimus. At doctrina Chriſti, quæ vera eſt juris naturæ explicatio & manifeſtatio, nobis oſtendit, temporalium bonorum diſtributionem pendere à ſummo bono ac ſummo ente DEO, neque in his eſſe finem, nec ea eſſe partem ſummi boni, ſed ſolummodo media. Hæc ergo media ſi videmus accidere iis, qui indigni ſunt, Id eſt, male utentes, quid oportet nos facere? an triſtari? Reſpondeo: oportet triſtari, in quantum ipſis hæc mala ſunt & ad peccatum promovent: lætari vero in quantum per hæc etiam poſſent ſervitium DEI obire recte utendo. Nam in hac conſideratione triſtari illicitum eſſet, cum per hanc triſtitiam nollemus DEI dominium vigere, aut ſervitium creaturæ promoveri. Vid. S. Thomas ibidem adducens pſalmum LXXII. *Pene effuſi ſunt greſſus mei, quia Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Et in his cardinibus verſatur magna illa meditatio: Cur iniqui, idololatræ, hæretici, tyranni, rapto-

Error Ariſtotelis.

Cur iniquus proſperatur in via ſua?

raptores utuntur commodis hujus vitæ; juſti contra, fideles, innocentes ſunt in ærumnis? In qua ipſa meditatione illi qui mali ſunt delabuntur ad criminandam injuſtitiam DEI; quia ignorant veram juſtitiæ naturam, & omnia luteo ſuo pede metiuntur. Boni vero ex ipſa hac meditatione incenduntur ad DEI juſtitiam mire amandam, & ad inquirendam veram juſtitiam luteis illis bonis non circumſcriptam. Vid. *Larva Detracta* Cap. XI. ubi pacem Puffendorffianam examinavimus, quam ipſe à jure naturæ intentam fingit; cum tamen injuſtis etiam & injuſtiſſimis illa tribuatur & eveniat.

5. Invidiæ filiæ ſunt *Odium*, *Detractio*, *ſuſurratio*.

Odium proximi eſt contra naturam. *Thema VII.* *ODIUM* proximi juri naturæ adverſatur. Vid. *S. Thomas* 2. II. Q. XXXIV. art. III.

1. Eſt enim directe contta charitatem, quæ jure naturæ eſt imperata. Deinde inducit animum ad optanda proximo mala ipſumque è medio tollendum. *Quem enim metuunt*, inquit ille, *oderunt*, *quem oderunt eſſe nolunt*. Hinc experimur nos faciles eſſe ad credenda nuntia de morte illorum, quos odimus, difficiles ad amicorum.

Odiſſe peccata, bonum eſt. 2. Odiſſe autem in homine peccata & mala, bonum eſt & utile; modo ne ex his confiniis tranſeatur ad ipſius hominis odium: quod interdum contingit ſimul viventibus, aut magiſtratibus & morum directoribus, qui dum mores malus ſuorum perſequuntur, paullatim odium ipſorum hominum induunt. Sicut contra juvenes, ſubditique cum videntur ſibi odiſſe præceptorum & ſuperiorum vitia, indiſcretionem, inquietudinem &c. denique verum odium ipſorum eorumque legitimæ poteſtatis concipiunt.

Iracundia quandoque vitioſa! *Them. VIII.* *IRACUNDIA* Juri naturæ contrarium vitium eſt illa, quæ aut conjuncta eſt odio, aut ex eo ſequitur, aut illud antecedit. De quo ſaluberrime *S. Thomas* 2. II. Q. CLVIII.

1. Ira per ſe paſſio eſt indifferens, cujus uſus tam bonus eſſe quam malus poteſt; ſicut cupido, amor, gaudium. *Iracundia* autem eſt habitus & proclivitas ad iraſcendum. Quæ de ſe iterum non eſt mala, tum poſſit ex abundantia bilis ac ſanguinis proficiſci: jam tamen magis propingua eſt vitio, & ex ea facilior eſt lapſus in peccatum: unde homo ſic diſpoſitus vigilantior eſſe debet.

2. Vitioſa autem eſt ira ſi vel tendit ad aliquid illicitum: vel tendit quidem ad licitum aliquid, non tamen moderate ſed cum exceſſu.

3. Ad illicitum tendit hic animi modus, cum appetit *vindictam* non competentem: *puta ſi appetit puniri eum, qui non meruit; vel ultra quam meruit; vel etiam non ſecundum legitimum ordinem; vel non propter debitum finem, qui finis eſt conſervatio juſtitiæ & correctio culpæ.* S. Thomas loc. cit. Art. II. Corp. Ut ſi homo privatus alapam ſibi inflictam ulciſcatur in altero abſciſſione manus vel gravi vulnere: aut ſi offenſorem accuſat judici, ut delectetur in ejus pœna, dolore, aut damno.

4. Illicito modo tendit, ſi libere effertur nimia effervеſcentia, & in ea compeſcenda eſt negligens, ut ſi paſſim ex re levi excandeſcat, ſi torvo vultu frendeat in alios &c.

Iræ juſtæ defectus eſt peccatum. 5. *Juſta* autem *ira* eſt commotio animi moderata ad juſtam vindictam propter bonum finem appetendam. Cujus juſtæ iræ defectus etiam peccatum eſt. Debet enim quilibet velle, ut peccato retribuatur pœna per judicem competentem. Hinc laudabiliter ac neceſſario ſibimet iraſcitur peccator, qui debet velle imo ipſe à ſe exigere pœnam: atque hæc eſt pars pœnitentiæ.

Iracundi alii ſunt *acuti*. 6. Iracundi triplicis ſunt generis ſecundum Ariſtotelem apud D. Thomam loc. cit. Art. V. *Acuti* homines, qui ingenio ſunt veloces, ſanguine ſubtiles, qualis plerumque nobilitas eſt & homines docti, iraſcuntur cito nimis & ex levi cauſa. **Alii *amari*.** *Amari* ſunt, qui ob diuturnitatem injuriæ ejusque diuturnam memoriam ſæpius repetunt iram, ſibique ipſis amaram vitam reddunt, ut ſolent melancholici, aut homines alias complexione tardiores. **Alii difficiles.** *Difficiles* ſunt, qui obſtinato animo non quieſcunt donec vindicaverint; quod vitium eſt phlegmaticorum quidem ſed alia omnia præ ſe contemnentium.

Iracundiæ filiæ. 7. Ira vitium eſt capitale ex quo plura alia pullulant: *INDIGNATIO*, quæ eſt ira cum contemptu alterius, quem non reputat dignum. *BLASPHEMIA* contra DEUM; ſeu verba injurioſa contra proximum.

Diſcordia. 8. Iræ autem ſi non filiæ, certe ſorores ſunt *DISCORDIA*, quæ eſt diſſenſus ab aliorum meliore ſententia, licet agnita: & hoc modo eſt peccatum non tantum veritati repugnans ſed & charitati, tanquam turbans pacem: fuitque hoc peccatum in hæreſiarchis, & ſæpe eſt inter Politicos & omnis generis homines. Videatur egregie *S. Thomas* 2. II. Qu. XXXVII. Art. I.

Contentio. 9. *CONTENTIO* diſcordiam ſequitur. Et illa quidem *conenttio*, *qua impugnatur veritas inordinato modo &* inten-

Digitized by Google

intentione prava, peccatum mortale eſt; & Contentio, qua debito ordine ac modo impugnatur falſitas, laudabilis exiſtit: ea vero contentio, qua falſitas, ſed inordinate, impugnatur, veniale peccatum eſſe poteſt. Ita S. Thomas 2. II. Qu. XXXVIII. art. I. Conclus. Quæ probatione nulla indigent apud honeſtos. Unde Apoſtolus Paulus II. ad Titum VIII.. *Noli verbis contendere; ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.*

10. Huc pertinet *SCHISMA* nempe peccatum, quo quis renuit ſubeſſe poteſtati à Chriſto in eccleſia coeſtitutæ, & membris Eccleſiæ ſubjectis communicare recuſat. V. S. Thomas 2. II. Qu. XXXIX.

Bellum

11. Item huc ſpectat *BELLUM* injuſtum. De quo S. Thomas 2. II. Q. XI. Cetera ad jus gentium pertinent.

12. Affines his ſunt *RIXÆ* ſeu pugnæ, *DUELLA*, *SEDITIONES*, de quibus S. Thomas 2. II. Q. XLI. & ſeqq.

Judicium temerarium eſt contra naturam.

Them. IX. Iuri naturæ adverſa eſt *mala SUSPICIO* de proximo, & temerarium de eo *JUDICIUM*. Vid. *S. Thomas* 2. II. Q. LX.

Suſpicio levis.

1. Eſt autem ſuſpicio opinio incerta ex levibus cauſis, alterum eſſe malum; quæ à dubitatione vix diſtinguitur. Eſt autem peccatum veniale per ſe, quia charitatem non expellit. Tres autem ſunt ſuſpicionum origines. Prima eſt malitia ſuſpicantis. *In via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.* Eccleſ. X. ℣. 3. Altera origo eſt mala affectio erga alium: unde omnia io deteriorem partem accipit. Tertia origo eſt experientia; unde ſenes ſuſpicioſi ſunt, quia multoties experti aliorum defectus. Vid. *S. Thomas* 2. II. Q. LX. art. III. Corp. Ad vitandas autem ſuſpiciones neceſſe eſt, dubia de proximo in meliorem partem interpretari; ut habet S. Thomas ibidem Art. IV.

2. Perverſum temerarium Judicium eſt, cum aliquis ex levibus indiciis certam æſtimationem concipit de alterius malitia. *Et hoc ſi aliquo gravi fiat, de ſe eſt peccatum mortale, in quantum non eſt ſine contemptu proximi.* S. Thomas. Non enim ego ſum dominus honoris aut bonitatis alienæ, ut eam pro lubitu æſtimare poſſim: pro lubitu autem æſtimo ſi ſine ſufficiente ac manifeſta cauſa æſtimo. 3. Chriſtus ſaluberrime hoc legis oaturæ præceptum promulgavit, quod exſcribendum duxi: *Nolite*, Inquiebat, *judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: ſine, ejiciam feſtucam de oculo tuo: & ecce trabs eſt in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui.* Matth. VII. ℣. 1. &c. Vid Alexander *Natalis* Lib. IV. Theol. Dogmat. in VIII. Præceptum art. III. Reg. XVIII. &c. pag 877.

Them. X. CONTEMTUS aliorum eſt contra naturæ jura, etiamſi intra animum tantum conſiſtat.

Contemptus aliorum eſt contra naturam.

1. Quia talis contemptor judicem ſe facit rerum ipſi non ſubjectarum: & eſt præterea ſtultus; cum ſua propria dona vix quisquam recte agnoſcat, nedum aliorum; atque ita cœcus ſententiam fert de coloribus. Eſt inſuper temerarius velut qui confidat ſibi ſemper adfutura meliora, nec proſpiciat, omni momento ſe omnibus iſtis bonis exui poſſe, alterum contra iisdem augeri.

2. Si contemnit alterum, quod is ſpiritualia dona minora habeat, ut pietatem minorem, devotionem, ſapientiam minorem; impius eſt, quia indirecte notat iſtorum donorum datorem DEUM; aut quia putat, ſuis meritis talia dona à DEO tributa eſſe. Hicque contemptus piis & doctis ſubira ſolet, quos ſcientia inflat.

Contemptor eſt ſtultus.

3. Si contemnit alterum propterea, quod is externa aut corporea bona minora habeat, ab Epicteto ſtultus dicitur, qui gloriatur aliqua re non proprie humana; aut alium propterea minoris facit, quod is aliquibos rebus non propriis aut proprie humanis careat. e. g. Ego meliores equos, domos, hortos, veſtes, cibos habeo; vel ego meliore ſanguine natus ſum, & trigiota proavos numero, & in inſignibus habeo leones, pardos, aquilas. Ego ſtrenuus, gratioſus, illuſtris nominor: Ceteri vero habent pro equis boves & captas, pro palatiis tugutia, pro hortis catecta & filiceta, pro purpura pelles, pro turdis legumina: neſciunt nomina avorum, carent inſignibus aut gnomonem iis forte inſculptum habent: præterea titulorum inanes ſunt & nominantur ſolum Johannes vel Jacobus &c. Nunquid, ait Epictetus, cum tuus equus melior eſt equo affinis tui, tu ipſe propterea melior es tuo affine? Equi tantum & veſtes & parietes inter ſe comparantur. Tuipſe cum comparatus fueris cum affini aut ſervo tuo, is forte te longe *melior homo* eſt. Atque hæc contemptûs tentatio familiaris eſt nobilibus, maxime juvenibus. Qui docendi ſunt, ejusmodi faſtu adeo nihil ipſos meliores fieri,

Digitized by Google

fieri, ut ab humanitate multum etiam deficiant. Quid autem juvat nobilem, divitem, generoſum eſſe, ſi humanus eſſe deſinas? Nobilis puer in iiſdem ſordibus naſcitur, quibus cerdo: iiſdem morbis conſumitur: iiſdem vermibus exeditur. Et cum ungitur cadaver, vermes non nobilitatem cadaveris Sed aromatis verentur.

CAPUT XXI.

De Officiis Beneficentiæ.

Beneficentia

Them. I. Beneficentia eſt effectus ſeu exterior executio interioris benevolentiæ. *Probatio dilectionis exhibitio* eſt operis, ait S. Gregorius. Vid. S. Thomas. 2. II. Qu. XXXI.

Nititur iisdem fundamentis, quibus Benevolentia.

1. Hinc Beneficentia nititur fundamentis Cap. XVIII. allatis.

2. Item Beneficentia debet eundem *ordinem* ſervare, qui capite XIX. de Charitate in genere traditus eſt.

3. Beneficentia debet exterius, ubi poteſt, eadem exſerere, quæ capite XX. diximus ad Benevolentiam interiorem pertinere. e. g. Debet bona, quæ voluit, facere, in proximo tueri &c.

4. Item debet vitiis contra benevolentiam pugnantibus contraria etiam exterius facere: nempe pro odio, & invidia exhibere proſecutionem, favorem, gaudium ſeu gratulationem: pro iracundia contumeliaque manſuetudinem, & honoris ſignificationem: pro rixa pacem &c.

Juris naturæ eſt egentibus ſubveniri per abundantes.

Them. II. Juris naturæ officium eſt, indigentibus ſubveniri per abundantes. Ita ut ſi alter in permagna aut omnino extrena neceſſitate rei gravis ſit, qua ego poſſum facile carere, graviter peccem, niſi tribuam. Si neceſſitas minor & minor ſit, culpa quoque minor ac minor futura ſit.

1. Probatio hic non eſt repetenda. Vid. Cap. XVIII. ubi ſervitutem & conſervitutem noſtram omnibus hominibus notam pro fundamento horum officiorum ſtatuimus, quemadmodum illa ſervitus eſt etiam fundamentum omnium officiorum erga DEUM ac ſe ipſum.

2. Et S. Ambroſius III. officiorum cap. 3. cum Cicerone probans, Beneficentiam eſſe juris naturæ, ſic concludit: *Hæc utique lex naturæ eſt, quæ nos ad omnem adſtringit humanitatem, ut alter alteri tanquam unius partes corporis invicem dejeramus. Nec detrahendum quidquam putemus, cum contra naturæ legem ſit, non juvare. - - - Hoc præſtamus ceteris animantibus, quod alia genera animantium conferre aliquid neſciunt; feræ autem eripiunt, homines autem tribuunt. Unde & Pſalmiſta ait: Juſtus miſeretur & tribuit.* Pſ. 36. v. 21. Et alibi: *Non de tuo largiris pauperi, ſed de ſuo reddis: quod enim commune eſt in omnium uſum datum, tu ſolus uſurpas. Omnium eſt terra, non divitum: Sed pauciores, qui non utuntur ſuo, quam qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum.* Lib. de Nabathe cap. XII. n. 53. V. *Suarez* de Charitate Diſp. VII. Sect. I. n. 1. Videantur plura apud *Pouget* Inſtitut. Cathol. Part. II. Sect. II. cap. IV. §. 4.

Opera miſericordiæ generatim debentur ex Juſtitia naturali.

Them. III. Opera ſeu officia ſic exhibita vocantur opera *miſericordiæ*. ſunt tamen in genere officia *Juſtitiæ naturalis* ſeu univerſalis & legalis. Hoc quoque jam oſtendimus Cap. XVII. Them. XII. & mox themate præcedente.

Objectio, quod non pariant reſtitutionem.

Them. IV. Fruſtra objicitur: transgreſſio horum officiorum non parit obligationem reſtitutionis: v. g. ob cujus immiſericordiam pauper ſame interiit, Is non tenetur reſtituere vitam &c. Ergo hæc officia non ſunt juſtitiæ, nec ſtricti juris, ſed tantum honeſtatis aut pietatis, & virtutis.

Rejicitur.

℞. 1. Totum ſuppoſitum eſſe falſum, nempe illa tantum ad juſtitiam rigoroſam pertinere, quæ pariunt obligationem reſtituendi proximo. Nam ſi hoc ſuppoſitum fundamentum verum eſt, ſequitur, minores tantum injurias eſſe contra juſtitiam, maximas autem nequaquam. Nempe qui incendit unam civitatis ædiculam, is rigoroſam injuſtitiam commiſiſſet, quia poteſt compelli ad reſarciendum damnum. Is vero, qui totam civitatem incendiſſet, non peccaſſet contra rigoroſam juſtitiam, quia non poteſt compelli ad reſarciendum damnum.

℞. 2. Poteſt Objectionis antecedens etiam abſolute negari. Tenetur enim etiam talis ad reſtituendum, non quidem rem ipſam, quæ ipſius culpa pe-

riit, cum eam reproducere non poſſit; ſed aliquid aliud: quod etiam homines vulgo agnoſcunt, utentes hoc axiomate: *Qui non habet in ære, luat in cute.* Qui ergo per immiſericordiam occidit egenum, is tenetur varie reſtituere, juxta ſaniorem doctrinam; nempe 1 pro illius anima tenetur facere, quanta poteſt ſubſidia. 2 tenetur juvare eos, qui mortuo conjuncti erant, & nunc fortaſſe patiuntur detrimentum ex ipſius morte, v. g. orphanos filios. 3 tenetur ſatisfacere ei, cui mortuus erat omnium conjunctiſſimus, nempe DEO. DEUS enim per hunc immiſericordem malum ſervum, fuit fraudatus ſervitio melioris forte ſervi, eſſentialiter ipſi debito: & hoc ſervitium debet fraudator reſarcire per ſe vel per alios: nempe debet ipſe eo ferventius deinceps ſervire DEO per orationes, jejunia, aliaſque virtutes: vel debet alios conſervos per eleemoſynas, hortationes, pia exempla excitare ad duplicandum ſervitium; commodiſſima & gratiſſima reſtitutio eſſet, ſi operam ſuam conferret ad aliquem peccatorem à peccatis reducendum. Sicut miles, qui ab uno principe transfugit ad alium, à quo non amplius dimittitur, debet, quantum in ipſo eſt, priori principi alium pro ſe militem conciliare.

Immiſericors peccat contra juſtitiam legalem.

℞. 4. Cum diſtinctione jam aliquoties indicata: Ergo hæc officia beneficentiæ omiſſa, non ſunt contra juſtitiam rigoroſam *Particularem* & humanam, quæ actionem in foro fori parit, *tranſeat.* Non eſt contra juſtitiam rigoroſam *Univerſalem*, naturalem ſeu divinam, & quæ in foro poli perſecutionem mereatur; nego. Mihi autem videtur, is, qui jus divinum lædit, injuſtior eſſe & rigoroſius jus violare, quam qui humanum lædit. Ille enim fontem ipſum juris temerat; hic nonniſi participatum rivulum. *Vid. Cap. VII. Them. XXV.* & Cap. XXII. Them. VII.

Et pervertit medium naturæ.

℞. 5. Poſſet forte etiam ſic diſtingui: Immiſericordia non eſt contra juſtitiam tanquam particularem & partialem virtutem, quæ intendit *medium rei*, æqualitatem arithmeticam, nempe aureum pro aureo, oculum pro oculo &c. Eſt autem contra juſtitiam univerſalem, quæ reſpicit medium naturæ, & æqualitatem aliam ex eſſentia rerum non ex numero petitam. Nempe medium illud rationis inter immiſericordem peccantem & pauperem peremptum eſt Servitii DEO eſſentialiter debiti quædam ſaltem coæquatio. Neque enim etiam particularis juſtitia poteſt ſemper attingere medium rei & proportionem arithmeticam: e. g. cum quis alteri eruit oculum, non poteſt oculum eundem vel alium reddere, quod exigebat medium rei ſtricte tale, ſed æſtimatur damnum pecunia, præbendis alimentis &c. Unde S. Ambroſius in Pſalm. CXVIII. Serm. VIII. num. 22. *Miſericordia quidem juſtitiæ portio eſt: ut ſi velis donare pauperibus, hæc miſericordia juſtitia eſt. - - - Deinde quia conſormis tuus injuſtum eſt ut non adjuvetur à ſocio; cum præſertim dominus DEUS noſter terram hanc poſſeſſionem omnium hominum voluerit eſſe communem & fructus omnibus miniſtrare. Sed avaritia poſſeſſionum jura diſtribuit. Juſtum eſt igitur, ut, ſi aliquid tibi privatim vindicas, quod generi humano, imo omnibus animantibus in commune collatum eſt, ſaltem aliquid inde pauperibus adſpergas; ut, quibus juris tui conſortium debes, his alimenta non deneges.*

Immiſericors lædit juſtitiam diſtributivam.

℞. 6. Hinc ſuprà Reſponſione quarta dixi: *Tranſeat*, quod immiſericordia non lædat juſtitiam particularem humanam. Imo vero omnino lædit. Juſtitia particularis humana duplex eſt omnium confeſſione: Commutativa & diſtributiva. Diſtributiva intendit æqualitatem non *rei* ſeu arithmeticam, ſed *rationis* ſive Geometricam, *Vid. Cap. XXII. Them* VIII. Et hanc quidem juſtitiam lædit immiſericors prædictus; quia facit, ne unicuique tribuatur quod proportionaliter ipſi debetur: plus egenti & in extrema fame conſtituto inevitabiliter neceſſarius eſt iſte cibus: huic opulento immiſericordi iſte cibus non eſt neceſſarius: ergo ex juſtitia particulari diſtributiva debetur huic famelico, non huic opulento. Deinde læditur etiam juſtitia commutativa. Bona terrena ex natura ſua ſunt *omnium* hominum communia: conſenſu autem adventitio diviſio facta eſt poſſeſſionum; qui conſenſus in hunc diem durat, quamvis non neceſſario; poſſent enim, ſi vellent omnes homines, eum conſenſum revocare & omnia in ſtatum primum reducere. At nullus conſenſus hominum in aliquid tale eſt aut poteſt eſſe illimitatus. *Non eſt*; quia nemo jus ſuum ad communitatem ita deponit, ut ipſe perire debeat ſine cauſa. *Non poteſt eſſe* illimitatus ille conſenſus hominis; quia nullus homo eſt abſolutus Dominus ſuus. Igitur cum homines conſenſerunt, & adhuc conſentiunt in diviſas & privatas poſſeſſiones, eſſentialiter pro fundamento ſubſtrata eſt iſta conditio: ut mihi propterea pereundum non ſit, & ut in neceſſitatibus

& Commutativam aliquo modo.

tibus

Digitized by Google

tibus maneat mihi integrum meum jus; niſi altior ac gravior cauſa ſupervenetit, cui ego & omnes parere debeamus. & *Suarez* nobis contrarius Diſp. VII. de Charitate Sect. VI. n. 2. allegat cauſam; quia talis immiſericors nec ex injuſta acceptione, nec ex re accepta tenetur. Quod tamen quia, injuſta detentio eſt idem atque injuſta acceptio, in extrema autem neceſitate bonum mihi ſuperfluum non erat meum ſed patientis, igitur illud detinens detinui alienum, & ex hac, imo utraque radice teneor ad reſtitutionem.

Immiſericors magiſtratus omnem juſtitiam violat.

R. 7. Denique ſi immiſericordia ſeu neglectus neceſſitatum proximi committatur à magiſtratu ac ſuperiore, eſt & ipſe contra juſtitiam commutativam; quia cives, dum magiſtratum & ſuperiores patiuntur, cum iis tacitum aut expreſſum ineunt pactum, ut curent utilitatem, neceſſitatem, & honeſtatem omnium ac ſingulorum, quantum poſſunt. Non tamen tenetur Magiſtratus qua talis de ſuis privatis rebus juvare egentem, ſi poteſt ex publico.

Eleemoſyna debetur de Superfluo

Them. V. Officium miſericordiæ ſeu eleemoſyna *debetur* neceſſitatem patienti de *ſuperfluo.* Videantur plurima de Eleemoſyna apud *Natalem* Lib. IV. Theol. Dogm. De Charit. Prox. *Maſtrius* Theol. Mor. Diſp. X. Quæſt. III. Art. II.

Superfluum duplex, perſonæ & dignitatis ſeu Status.

1. *Superfluum dico, non ſolum reſpectu ſuipſius, quod eſt ſupra id, quod eſt neceſſarium individuo, ſed etiam reſpectu aliorum, quorum cura ſibi incumbit, reſpectu quorum dicitur neceſſarium PERSONÆ, ſecundum quod perſona dignitatem importat: quia primo oportet, quod unusquisque ſibi provideat, & his, quorum cura ei incumbit, & poſtea de reſiduo aliorum neceſſitatibus ſubveniat. Sicut & natura primo accipit ſibi ad ſuſtentationem proprii corporis quod eſt neceſſarium, miniſterio virtutis nutritivæ: ſuperfluum autem erogat ad generationem alterius per virtutem generativam.* S. Thomas 2. II. Qu. XXXII. art. V. Corp.

Æſtimatio ſuperflui non ex libidine facienda.

2. Quid autem & quantum ſit ſuperfluum, pendet ab æſtimatione: quæ æſtimatio non ex vaga ac cerebrina cujuslibet phantaſia facienda eſt, ſed ex tali, quæ decet ſervum ejusque ſubjectionem ad ſummum dominum: & debet per prudentiam diſci ex auctoritate & circumſtantiis. *Vid. Cap. XIX. Them. V. & Them. XI.* Quapropter recte damnata eſt ab Innocentio XI. an. 1679. iſta propoſitio: *Vix in ſecularibus, etiam in regibus invenies ſuperfluum ſtatui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.*

In recipientibus eleemoſynam debet eſſe neceſſitas.

3. *Ex parte autem recipientis requiritur, quod neceſſitatem habeat, alioquin non eſſet ratio, quare eleemoſyna ei daretur. Sed cum non poſſit ab aliquo uno omnibus neceſſitatem habentibus ſubveniri; non omnis neceſſitas obligat ad præceptum, ſed illa ſola, ſine qua is, qui neceſſitatem patitur, ſuſtentari non poteſt.* Idem S. Thomas loc. cit. Vid. Cap. XIX. Them. V.

Unde magiſtratus poſſunt peccare &c.

4. Unde peccant magiſtratus, qui permittunt homines vagos, otioſos mendicato vivere, ſi poſſunt illos aliter applicare ad panem ſuum quærendum. Nam hi otioſi neceſſitatem non habent, idenque nec habent jus petendi aut accipendi eleemoſynam; eam tamen per importunitatem & malitiam extorquent à civibus, quibus deinde nihil manet ſuperflui, quod impendere poſſint veram neceſſitatem patientibus. & ſic vere egentes privantur jure ſuo: cujus injuſtitiæ rei ſunt tales magiſtratus.

Privato autem danti non eſt committo hæc disquiſitio.

5. Homo autem privatus eleemoſynam dans juſtitiam naturalem implet, ſi iis egentibus tribuat, qui egentes probabiliter apparent; quia privati officium non eſt inquirere in ſtatum interiorem & domeſticum ſibi nec ſubditorum nec conjunctorum. Attamen ſi certo conſtaret etiam privato homini, recipientem talem in nulla ſufficiente neceſſitate eſſe, tenetur privatus ei negare eleemoſynam, ſi per largitionem ſibi ipſi decederet facultas largiendi iis, qui veram neceſſitatem patiuntur; quia tali modo ſciens ſurripit indigentibus debita.

Adde quod etiam teneatur, ſi poteſt & fructuum ſperat, tales otioſos indicare iis quibus hæc cura incumbit, ſi exiſtimat illos hæc latere. Vid. Alex. *Natalis* Lib. IV. Theol. Dogm. de Charitate. Artic. XI. Reg. XXV. &c. *Suarez* De Charit. Diſp. VII. Sect II.

De neceſſario non debetur eleemoſyna, laudabilis tamen eſt.

Them. VI. De eo, quod ſimpliciter ad vitam vel perſonæ ſtatum neceſſarium eſt, eleemoſyna dari NON DEBET, niſi in caſu, in quo bono communi ſubveniretur: quamquam laudabile eſſet, neceſſaria etiam ad ſtatus & perſonæ conditionem largiri indigentibus. Hæc eſt concluſio S. *Thomæ* 2. II. Qu. XXXII. art. VI. quam mox ita probat & declarat.

1. „ Dicendum, quod neceſſarium
„ dupliciter dicitur. Uno modo, ſine
„ quo aliquid eſſe non poteſt: & de
„ tali neceſſario omnino eleemoſyna
„ dari non debet. Puta ſi aliquis in

ignominia vitari nequit. Item: *Idem quoque dicendum, ſiquis impingat alapam, vel fuſte percuciat & poſt impactam alapam vel ictum fuſtis fugiat.* Item: *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatioe unius aurei.* Item *Non ſolum licitum eſt defendere occiſiva defenſione, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus incboatum babemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* Item: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprebenſa gravida occidatur, aut infametur.*

Non tribuendo

3. *Non tribuendo* peccat, qui cum poſſet ſervare bonum excellentius proximi dando aliquid de bonis ſuis inferioribus ſibi non neceſſariis nec valde commodis, illud tamen dare negat. v. g. èleemoſinam pauperi: aut correctionem fratri peccanti: aut qui viam non monſtrat erranti, ſi is per errorem hunc in periculum aut grave incommodum incideret. Hinc damnata eſt propoſitio ab Innocentio XI. an. 1679. *Vix in ſecularibus, etiam in regibus invenies ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.*

4. Repetatur huc Thema V. & VI. & XI.

Objectio

Them. XIV. Huic ordini rerum amandarum ſeu curandarum fruſtra objicitur: ex hoc ſequi, quemlibet hominem obligari ad amittendum v. g. brachium aut oculum, ſi vel tyrannus alteri vitam adempturus eſt, niſi ego oculum dem: aut ſi eum, qui incendio domus correptus eſt, poſſum extrahere exurendo brachium meum, aut oculos.

Ordinis determinatio in caſibus particularibus.

℞. 1. Nos ordinem aliquem in regulis *generalibus* tradidimus conformem doctrinæ veterum, rationi & Evangelio. At objectio iſta aſſert caſus particulares, in quibus diſpiciendum, an his particularibus ſit applicabilis regula generalis. Ad hoc autem determinandum Themate V. & VI. aliquot adjumenta indicavimus: quæ ipſa cum ſint generalia; ultimam applicationem recipiunt à circumſtantiis. Sicut in alio evidenti exemplo contingit. Amandum eſſe proximum regula eſt generalis, evidens. Ex amore ſequi obligationem reddendi depoſiti, iterum eſt regula generalis & evidens, jam tamen obnoxia aliquibus objectionibus. Ad objectiones ſolvendas inventæ ſuot aliquæ regulæ, nempe neceſſitatis, ſequelæ malæ &c. Cum igitur quæritur: an furioſo ſit reddendus enſis apud me depoſitus ex regula prima amoris, & ex regula ſecunda depoſiti? reſolvitur hypothetice, reddendum eſſe pugionem, ſi nulla neceſſitas aut ſequela mala contrarium depoſcat. An autem hic & nunc ſit aliqua neceſſitas aut mala ſequela, ad hoc eſt impoſſibile dari regulam generalem, ſed pendet à circumſtantiis, à prudentum virorum æſtimatione, à ſenſu communi, à legum poſitivarum præſertim per varios populos comprobatarum declaratione. Quod jam ſæpe monuimus & Iterum monemus: ad retundendam novorum Juris naturæ Doctorum ſuperbiam, qui omnia juris naturæ præcepta *ſola ratione* cognoſci, ac doceri poſſe temerarie aſſerunt & promittunt. Vid. C. VII. Them. VII. & X.

Objectio reſolvitur.

℞. 2. De particularibus his caſibus non ſtatim apparere neceſſitatem, magis pro occidendo quam pro me militantem. Si enim Tyrannus eſt, nulla ei tuta fides: & quis mihi prædem aget, Tyrannum ſervaturum promiſſa? Aut enim eruto meo oculo nihilominus occidet alterum, aut me ipſum unà neci dedet, hac occaſione accepta charitatis meæ. Idem eſt in incendio. Si enim alter ita periculoſo in loco eſt, ut vitæ periculum habeat: ego in eundem locum me conjiciens, in eodem periculo ero & ſic jam non de inæqualis ordiois bono agitur, ſed de vita utrobique, quæ eſt ejuſdem ordinis: ita tamen ut mea præferenda ſit vitæ alterius, ex ordine per Thema IV. hoc cap. & Capitis XVIII. Thema VII, conſtituto.

Dilectio perſonarum non æqualis in omnes:

Them. XV. Dilectio erga perſonas ſeu homines non debet eſſe æqualis circa omnes, tam interna quam externa.

1. Equidem interna debet eſſe æqualis erga omnes. Primo ne quis lædatur etiam animo; ſecundo, ut bonum ſummum ſeu felicitatem in genere unicuique velimus.

Intenſior erga conjunctos.

2. Contra interior affectus ejusque intenſio debet eſſe major erga illos, qui *natura* nobis ſunt conjunctiores, ut pater; aut *moribus* & vitæ uſu, ut domeſtici, aut *ordine tendendi* ad ultimum finem, ut Chriſtiani Chriſtianis debent eſſe chariores; qui ideo vocantur ab Apoſtolis Domeſtici fidei.

2. Quoad exteriorem autem oſtenſionem charitatis, inæqualitas oritur ex ipſa limitationo noſtra, de qua jam Them. X. Cap. XVIII. Vid. *S. Thomas* 2. II. Q. XXVI. art. VI. & *Suarez* de Charitate Diſput. IX. per totam. *Origenes* Homilia III. in Cantica.

Them.

Ordo perſonarum plerumque non naturalis ſed hypotheticus.

Them. XVI. Ordo perſonarum diligendarum mox indicandus in multis quidem eſt hypotheticus, ſeu ſtatui adventitio ſociali, religioſo, civili congruens; hic tamen totus non mutilus reponendus fuit.

Hic tamen in J. Naturæ utiliter indicandus.

1. Quia ſocietas quædam ejusque officia poſſunt moraliter & quoad uſum vitæ accipi tanquam abſoluta & non pure hypothetica, ut ſupra Cap. XVII. Them. VII.

2. Quia etiam in gradibus his hypotheticis, diſtinctio non ex mero arbitrio & phantaſia hominum inventa eſt, ſed habet egregium fundamentum in natura vitæ humanæ. Ut patet in themate ſuperiore XV. n. 2.

3. Quia hic ordo plerumque deberur, etiamſi præceptum poſitivum non extaret. Quod eſt ſignum, eſſe hujus ordinis obſervationem à naturali appetitu ſtabilitam. Sic omnes gentes majore charitate amplectuntur ſuæ religionis participes, ſuos ſacerdotes, ſuos magiſtros: etiamſi leges forte tales apud ipſas non extent.

4. Sed mihi ſupervacanea, eſt accuratio iſtarum diſtinctionum, qui profeſſus ſum ſcribere non jus naturæ ab uſu & praxi, & à ceteris diſciplinis anxie ſecretum, ſed ut ſervari illud neceſſe eſt à nobis, qui nunc ſumus, & ut in illo erudiri debet juventus non ubi ubi in luna forte exiſtens, ſed noſtra Europæa, eaque Chriſtiana.

Non eſt naturalis obligatio intenſius amandi meliores quam conjunctiores.

Them. XVII. Non eſt naturalis obligatio, ut diligamus amplius & intenſius illos homines, qui *meliores* aut ſapientiores aut ſanctiores ſunt, quam eos, qui ſunt nobis *conjunctiores*, ſecundum tria Themate XV. n. 2. indicata conjunctionis genera.

1. Quia amor hominis *melioris* multæ inquiſitioni, dubitationi, mutationi ſubjectus eſt, ideoque in illo amore major *libertas* relicta eſt noſtro arbitrio, electionique. Contra in amore *conjunctiorum* appetitus noſter eſt naturalior, non pendens adeo à libera noſtra electione: hoc ipſo enim, quod agnoſco patrem aut fratrem, ſine multa inquiſitione naturâ inclinor ad amorem; & ſum adeo per naturam congenitam adſtrictior. Atqui modus *intenſionis* non tam pendet ab objecto extrinſeco, quam ex diſpoſitione, & conjunctione majore moti cum movente.

2. S. Thomas id admittit etiam in Charitate ſupernaturali. Vid. 2. II. Qu. XXVI. art. VII.

Them. XVIII. Primus inter perſonas humanas locus amoris naturaliter debiti tribuendus eſt Patri ac matri.

Primo loco amandi *Parentes*.

1. Nulla enim major inter humanas naturales eſt connexio & ſubordinatio, quam geniti ad illum qui ex ſeſe genuit.

2. Quia totum ſuum naturale eſſe, vivere, educari à parentibus trahit.

3. Naturæ auctor potuiſſet propagationem generis mille aliis modis inſtituere, v. g. ut proles edita nulla deinceps ope matris indigeret, ſed ſibi ſufficeret, quemadmodum ex inſectis videntur quædam ita gigni. Sed ex hoc, quem nunc experimur, gignendi modo intelligimus, DEUM velle, ut plurimis beneficiis acceptis velut novis vinculis obſtringamur parentibus.

Them. XIX. Alter hominum naturalis gradus eſt erga ſobolem; qui tamen quoad *intenſionem* amoris & quædam alia, etiam prævalet parentibus. Unde proverbium: Amor non aſcendit.

Secundo *filii*.

1. Sicut nos parentibus connectimur cum ſubjectione; quia illi nobis ſunt principium; ſic parens connectitur ſoboli cum aliquo imperio, ex eadem ratione.

2. Intenſior autem eſt naturaliter amor parentis in filium; quia in eum fertur tanquam in partem ſuam: & hinc dilectio, qua quis diligit filium, ſimilior eſt dilectioni ſui ipſius.

3. Alias rationes accidentarias recenſet S. Thomas; ut quia parentes magis ſciunt, aliquos eſſe ſuos filios, quam è converſo. Item quia parentes diutius amaverunt, quam filii, qui procedente demum tempore incipiunt diligere. Poſſet addi, quia parentum amor per multa adverſa & moleſta, quæ propter filios ſuſtinenda ſunt, magis radicatur. Vid. 2. II. Qu. XXVI. art. IX.

Them. XX. Tertius gradus aſſignatur uxori. Quæ tamen quoad intenſionem amoris præferenda eſt parentibus.

Tertio *Uxor*.

1. *Relinquet* enim *homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Geneſ. II. 24. & Epheſi. V.

2. Parentibus autem appretiative poſtponenda eſt uxor. *Quia vir debet diligere uxorem ſuam ſicut carnem ſuam. Ephes V. Sed corpus ſuum minus debet homo diligere quam proximum, ut ſupra dictum eſt. Inter proximos autem magis debemus parentes diligere. Ergo magis debemus diligere parentes,*

N 3 *quam*

quam uxorem. Ita *S. Thomas* 2. II. Q. XXVI. art. XI.

Quarto conſanguinei.

Them. XXI. Gradus quartus amoris naturalis continet reliquos ſanguine propinquos. Primo Fratres; deinde avos; tum nepotes &c.

Quinto Benefactores.

Thema XXII. Quintus naturalis amoris gradus generalis eſt erga *Benefactores*, qui an magis diligant an magis diligantur, anceps eſt apud Philoſophos. Vid. S. Thomas loc. cit. art. XII.

Quibus debetur Gratitudo.

Them. XXIII. Officium huic gradui & partim ſuperioribus debitum vocatur *Gratitudo*, ſeu retributio cumulata beneficii, ſaltem animo, ſi facto non poteſt. Vocatur etiam *Pietas*, ſi ſit erga parentes vel parentum loco exiſtentes. Vocatur *Religio*, ſi eſt ad DEUM & divina.

Ex quo fundamento?

1. Fundamentum gratitudinis proximum eſt, quia benefactor eſt cauſa & principium quoddam beneficiati, ut pulcre S. Thomas. 2. II. Q. CVI. art. III. Quod fundamentum ulterius reſolvitur in ſervitutem enti ſummo debitam. Cum enim homo nihil ex ſe habeat, ſed omne bonum per participationem à DEO accipiat, exinde cognoſce, DEUM voluiſſe, ut Benefactor meus illa bona habeat, quæ is mecum communicavit. Niſi autem *vellem* ſaltem ei hæc bona retribuere; vellem eum bonis à DEO ipſi attributis carere; quod repugnat ſtatui ſervitutis.

2. Atque hinc omnis ingratitudo eſt peccatum, quia adverſatur juſtitiæ legali, ſeu Juri naturæ, id eſt ſervituti noſtræ & juri divino. Vid. S. Thom. 2. II. Qu. CVII.

Benefactorum maximi ſunt *Præceptores Magiſtratus &c.*

Them. XXIV. Inter Benefactores gradus ſunt varii. Ut erga *Præceptores*, qui nos in ſcientia, & maxime in virtute inſtruunt: quo ſpectant Magiſtratus ſacri. Deinde *moderatores reliquæ vitæ*, ut Magiſtratus civiles, & iterum magiſtratus ſacri. Denique varii generis alii, ut *cives* præ extraneis: *Religionis* conſortes præ infidelibus: Pro publico aut privato *laborantes* præ otioſis. v. g. Conſiliarii, milites &c.

Quibus debetur *Obſervantia*

Them. XXV. Officium erga gradus prioris thematis, & partim erga ſuperiores gradus vocatur etiam in genere *Obſervantia*. Et ſi cum aliquo imperio conſiſtit gradus ille, vocatur officium ei debitum *obedientia*. Si pactum aut leges acceſſerint, pertinet non tantum ad Juſtitiam naturalem, ſed etiam ad *particularem*, ſeu commutativa ſit ſeu diſtributiva. Cumque pactio univerſalis civitatum & leges fere ſemper adſint, obſtringentes nos ad parendum & obſervandum, & quod poſſumus animo reddendum magiſtratibus debitum officium, ideo fere ſemper horum officiorum deliberata omiſſio adverſatur Juſtitiæ particulari. Vid. *S. Thomas* 2. II. Q. CIV. de obedientia. Alexander *Natalis* Lib. IV. Theol. Dogm. Cap. De quarto præcepto. Art. I. & art. III. pag. 759. &c.

Et Obedientia.

Ultimo diligendi *Inimici.*

Them. XXVI. Ultimus gradus hominum jure naturæ à nobis diligendorum ſunt *Inimici.* Sed triplici ſub diſtinctione.

1. Non debent nec poſſunt diligi in quantum inimici ſunt: ſive ipſorum inimicitia in nos non debet diligi; quia hæc inimicitia eſt mala, & peccaminoſa. Et debemus velle atque optare ut ab hoc malo liberentur.

2. Ut autem Inimici ſunt *homines*, univerſaliter diligendi ſunt; quia hac ratione ſunt creaturæ, ſuntque in ſervitio naturali DEI, non in noſtro. Itaque in neceſſitate conſtitutum inimicum non poſſumus excludere ab ope noſtra & favore; aut ei aliquando malum velle & optare.

3. *Speciali* autem affectu & ſtudio ferri in inimicum etiam ut hominem, non tenemur jure naturæ, ſed hoc pertinet ad perfectionem Chriſtianam, & eſt virtus heroica: quia talis inimici ſpecialis amor eſt magna victoria ſui, & oritur ex magno amore DEI Domini, qui ſi major eſt, poteſt utique magis nos movere ad amorem difficiliorem homini impendendum. Vid. S. Thom. 2. II. Qu. XXV. art. VI. & VII. Adde Qu. XXVII. art. VII. Et Vide infra Cap. XXI. Them. XXII. de remiſſione offenſæ. *S. Auguſtinus* Lib. XIX. contra Fauſtum Manichæum, Cap. XXIV. ſic iſtud exponit de more eleganter, *Non eſſe contrarium, quod in antiqua ſcriptura dictum eſt: Oderis inimicum tuum, & in Evangelio: Diligite inimicos veſtros: quod unusquisque iniquus homo, in quantum iniquus eſt, odio habendus eſt, in quantum autem homo eſt, diligendus eſt: ut illud, quod in eo recte odimus, arguamus, ideſt vitium, quo poſſit illud, quod in eo recte diligimus, id eſt humana natura ipſa, emendato vitio liberari. Hæc, inquam regula eſt, qua & oderimus inimicum propter id, quod in eo malum eſt, ideſt iniquitatem; & diligamus inimicum propter id quod in eo bonum eſt, ideſt ſocialem rationalemque creaturam.* Vid. *Natalis* Lib. IV. Theol. Dogmat. De Dilectione proximi Reg. IX. &c. Ubi plura ſpecialia. *Suarez* de Charitate Diſput. V. Sect. V. *Scotus* in Lib. III. ſent. Diſt. XXX.

CAPUT XX.

De Officiis Benevolentiæ & Peccatis adverſus illa.

Officium eſt velle proximo omnia neceſſaria ad ſervitutem bonam DEI &c.

Them. I. Officium unicum eſt, bona omnia velle proximo tanquam conſervo, quæcumque ad hanc ſervitutem eidem ſunt oportuna. Vid. ſupra Cap. XIII.

Miſericordia.

Them. II. Miſericordia ſeu favens aliqua compaſſio cordis in rebus adverſis proximi, eſt juris naturæ,

1. Juris enim naturæ eſt velle, proximo bonum omne ad ſervitium DEI neceſſarium & expediens: igitur contrà juris quoque naturæ eſt velle, ut ei abſit malum omne ab hoc ſervitio impedire potens. Contrariorum enim eadem eſt ratio.

Vera quæ?

2. Hinc ſtatim conſequitur non miſericordiam, ſed crudelitatem eſſe, ſiquis à proximo cupit abeſſe parva quædam mala, majoribus aut neglectis, aut per hoc etiam nutritis. e. g. Si quis miſererur peccatoris ita ut eum corrigere nolit ſolum ideo, ne is in pudorem, iram, triſtitiam coocitetur; cum tamen potuiſſet per hoc eum liberare à maximo malo nempe poccato.

falſa parentum.

3. Talis eſt miſericordia ſeu potius injuſta crudelitas parentum & præceptorum in filios & alumnos, quando parcunt virgæ, aliiſque pænis, & malos eorum mores tolerant ac ſuccreſcere permittunt. Ita peccant Principes & Magiſtratus, qui maleficos de facili abſolvunt, iiſque gratiam vitæ faciunt frequentius, præſertim in majoribus criminibus, ac jure divino poſitivo etiam prohibitis. Vid. Fritschii tractatus: *Princeps peccans.* Ita peccant iidem magiſtratus qui ex miſericordia in pauperes eosdem noo adſtringunt ad honeſtam vitam, ſed otio, divinorum neglectui &c. eos permittunt. Sic peccant principum miniſtri & amici, qui cum poſſeot iis perſuadere ac demonſtrare majorem continentiam, frugalitatem, ſollicitudinem, permittuot ipſos procurrere in luxu; otio, & vanitate. Vid. de Miſericordia S. Thomas 2. II. Q. XXX.

Ac Magiſtratuum.

Contra J. Naturæ eſt velle, ut proximo deſit neceſſarium &c.

Them. III. Cootra naturam ergo eſt, cupere, ut aliquod bonum neceſſarium vel opportunum deſit proximo, vel eidem auferatur ſive per me ſive per alium.

1. Sequitur hoc ex Themate I.

2. Neque objicias: cupido mea non nocet proximo, & mea voluntas ei non prodeſt: ergo hæc non pertinent ad officia Juris naturæ erga proximum.

℞. 1. Imo hæc nocent Ordini naturali, à DEO inſtituto, quo erga conſervos non tantum regulantur corporales noſtræ actiones tanquam viliores, ſed multo magis actiones animi tanquam proprie humanæ, ac in ſeipſis rationales.

℞. 2. Deinde hæc interna voluntas circa booum aut malum proximi eſt vera radix, ex qua cetera exteriora proveniunt. Igitur mancum & inutile eſſet jus naturæ, ramos tantum reſecans, radici luxuriem permittens & omnem libertatem.

Them. IV. Eodem jure naturæ vetitum eſt, proximo malum velle, aut omnino imprecari, ſive imptecationem ore etiam efferat ſive non.

Item velle ut ei adſit malum.

2, Sequitur plane ex Them. I. II. Videatur late *S. Thomas* 2. II. Qu. LXXVI.

2. Neque tali peccato obſtringit ſe judex maledicens damnato: neque eccleſia cum anathema dicit. Quia per hæc non optatur malum propter malum ſed propter bonum tum juſtitiæ, quæ pœnas malis tribuit; tum etiam proptet bonum ipſorum pecatorum, qui per illa mala poſſunt corrigi.

3. Imo privatus etiam homo poteſt quandoque malum aliquod minus optare alteri, ut liberetur à majori: ut cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem aut aliquod impedimentum, vel ut ipſe meliot efficiatur, vel ut ſaltem ab aliorum nocumento ceſſet. *S. Thomas* 2. II. Qu. LXXVI, art. I. in Corp. fin. *Scotus* in Lib. III. ſenteot. Diſt. XXX. n. 7. &c. Sed hoc indiget circumſpectione & animo virtuoſo, qui ſi deſit, facile hic peccatum committi poteſt. Præſtat ac tutius eſt, DEI provideotiam adorare, eique omnia tranſcribere, ac proximo cuicunque privatum quemlibet omnia bona precari quæ DEUS vult: ſic errare nullo modo potes.

An liceat alicui optare malum propter bonum.

Them.

raptores utuntur commodis hujus vitæ; juſti contra, fideles, innocentes ſunt in ærumnis? In qua ipſa meditatione illi qui mali ſunt delabuntur ad criminandam injuſtitiam DEI; quia ignotant veram juſtitiæ naturam, & omnia luteo ſuo pede metiuntur. Boni vero ex ipſa hac meditatione incenduntur ad DEI juſtitiam mire amandam, & ad inquirendam veram juſtitiam luteis iſtis bonis non circumſcriptam. Vid. *Larva Detracta* Cap. XI. ubi pacem Pufendorffianam examinavimus, quam ipſe à jure naturæ intentam fingit; cum tamen injuſtis etiam & injuſtiſſimis illa tribuatur & eveniat.

5. Invidiæ filiæ ſunt *Odium*, *Detractio*, *ſuſurratio*.

Odium proximi eſt contra naturam.

Thema VII. *ODIUM* proximi juri naturæ adverſatur. Vid. *S. Thomas* 2. II. Q. XXXIV. art. III.

1. Eſt enim directe contra charitatem, quæ jure naturæ eſt imperata. Deinde inducit animum ad optanda proximo mala ipſumque è medio tollendum. *Quem enim metuunt*, inquit ille, *oderunt*, *quem oderunt eſſe nolunt*. Hinc experimur nos faciles eſſe ad credenda nuntia de morte illorum, quos odimus, difficiles ad amicorum.

Odiſſe peccata, bonum eſt.

2. Odiſſe autem in homine peccata & mala, bonum eſt & utile; modo ne ex his confiniis tranſeatur ad ipſius hominis odium: quod interdum contingit ſimul viventibus, aut magiſtratibus & morum directoribus, qui dum mores malos ſuorum perſequuntur, paullatim odium ipſorum hominum induunt. Sicut contra juvenes, ſubditique cum videntur ſibi odiſſe præceptorum & ſuperiorum vitia, indiſcretionem, inquietudinem &c. denique verum odium ipſorum eorumque legitimæ poteſtatis concipiunt.

Iracundia quando vitioſa?

Them. VIII. *IRACUNDIA* Juri naturæ contrarium vitium eſt illa, quæ aut conjuncta eſt odio, aut ex eo ſequitur, aut illud antecedit. De quo ſaluberrime *S. Thomas* 2. II. Q. CLVIII.

1. Ira per ſe paſſio eſt indifferens, cujus uſus tam bonus eſſe quam malus poteſt; ſicut cupido, amor, gaudium. *Iracundia* autem eſt habitus & proclivitas ad iraſcendum. Quæ de ſe iterum non eſt mala, cum poſſit ex abundantia bilis ac ſanguinis proficiſci: jam tamen magis propingua eſt vitio, & ex ea facilior eſt lapſus in peccatum: unde homo ſic diſpoſitus vigilantior eſſe debet.

2. Vitioſa autem eſt ira ſi vel tendit ad aliquid illicitum: vel tendit quidem ad licitum aliquid, non tamen moderate ſed cum exceſſu.

3. Ad illicitum tendit hic animi modus, cum appetit *vindictam* non competentem: *puta ſi appetit puniri eum, qui non meruit; vel ultra quam meruit; vel etiam non ſecundum legitimum ordinem; vel non propter debitum finem, qui finis eſt conſervatio juſtitiæ & correctio culpæ.* S. Thomas loc. cit. Art. II. Corp. Ut ſi homo privatus alapam ſibi inflictam ulciſcatur in altero abſciſſione manus vel gravi vulnere: aut ſi offenſorem accuſat judici, ut delectetur in ejus pœna, dolote, aut damno.

4. Illicito modo tendit, ſi libere effertur nimia efferveſcentia, & in ea compeſcenda eſt negligens, ut ſi paſſim ex re levi excandeſcat, ſi torvo vultu frendeat in alios &c.

Iræ juſtæ defectus eſt peccatum.

5. *Juſta* autem *ira* eſt commotio animi moderata ad juſtam vindictam propter bonum finem appetendam. Cujus juſtæ iræ defectus etiam peccatum eſt. Debet enim quilibet velle, ut peccato retribuatur pœna per judicem competentem. Hinc laudabiliter ac neceſſario ſibimet iraſcitur peccator, qui debet velle imo ipſe à ſe exigere pœnam: atque hæc eſt pars pœnitentiæ.

Iracundi alii ſunt *acuti*.

6. Iracundi triplicis ſunt generis ſecundum Ariſtotelem apud D. Thomam loc. cit. Art. V. *Acuti* homines, qui ingenio ſunt veloces, ſanguine ſubtiles, qualis plerumque nobilitas eſt & homines docti; iraſcuntur cito nimis & ex levi cauſa.

Alii *Amari*.

Amari ſunt, qui ob diuturnitatem injuriæ ejusque diuturnam memoriam ſæpius repetunt iram, ſibique ipſis amaram vitam reddunt, ut ſolent melancholici, aut homines alias complexione tardiores.

Alii difficiles.

Difficiles ſunt, qui obſtinato animo non quieſcunt donec vindicaverint; quod vitium eſt phlegmaticorum quidem ſed alia omnia præ ſe contemnentium.

Iracundiæ filiæ.

7. Ira vitium eſt capitale ex quo plura alia pullulant: *INDIGNATIO*, quæ eſt ira cum contemptu alterius, quem non reputat dignum. *BLASPHEMIA* contra DEUM; ſeu verba injurioſa contra proximum.

Diſcordia.

8. Iræ autem ſi non filiæ, certe ſorores ſunt *DISCORDIA*, quæ eſt diſſenſus ab aliorum meliore ſententia, licet agnita: & hoc modo eſt peccatum non tantum veritati repugnans ſed & charitati, tanquam turbans pacem: fuitque hoc peccatum in hæreſiarchis, & ſæpe eſt inter Politicos & omnis generis homines. Videatur egregie *S. Thomas* 2. II. Qu. XXXVII. Art. I.

Contentio.

9. *CONTENTIO* diſcordiam ſequitur. Et illa quidem *conenttio*, *qua impugnatur veritas inordinato modo &* inten-

Digitized by Google

intentione prava, peccatum mortale eſt; & Contentio, qua debito ordine ac modo impugnatur falſitas, laudabilis exiſtit: ea vero contentio, qua falſitas, ſed inordinate, impugnatur, veniale peccatum eſſe poteſt. Ita S. Thomas 2. II. Qu. XXXVIII. art. I. Conclus. Quæ probatione nulla indigent apud honeſtos. Unde Apoſtolus Paulus II. ad Titum VIII.. *Noli verbis contendere; ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.*

10. Huc pertinet *SCHISMA* nempe peccatum, quo quis renuit ſubeſſe poteſtati à Chriſto in eccleſia conſtitutæ, & membris Eccleſiæ ſubjectis communicare recuſat. V. S. Thomas 2. II. Qu. XXXIX.

Bellum

11. Item huc ſpectat *BELLUM* injuſtum. De quo S. Thomas 2. II. Q. XI. Cetera ad jus gentium pertinent.

12. Affines his ſunt *RIXÆ* ſeu pugnæ, *DUELLA, SEDITIONES*, de quibus S. Thomas 2. II. Q. XLI. & ſeqq.

Judicium temerarium eſt contra naturam.

Them. IX. Iuri naturæ adverſa eſt *mala SUSPICIO* de proximo, & temerarium de eo *JUDICIUM*. Vid. *S. Thomas* 2. II. Q. LX.

Suſpicio levis.

1. Eſt autem ſuſpicio opinio incerta ex levibus cauſis, alterum eſſe malum; quæ à dubitatione vix diſtinguitur. Eſt autem peccatum veniale per ſe, quia charitatem non expellit. Tres autem ſunt ſuſpicionum origines. Prima eſt malitia ſuſpicantis. *In via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.* Eccleſ. X. ꝟ.3. Altera origo eſt mala affectio erga alium: unde omnia in deteriorem partem accipit. Tertia origo eſt experientia; unde ſenes ſuſpicioſi ſunt, quia multoties experti aliorum defectus. Vid. *S. Thomas* 2. II. Q. LX. art. III. Corp. Ad vitandas autem ſuſpiciones neceſſe eſt, dubia de proximo in meliorem partem interpretari; ut habet S. Thomas ibidem Art. IV.

2. Perverſum temerarium Judicium eſt, cum aliquis ex levibus indiciis certam æſtimationem concipit de alterius malitia. *Et hoc ſi aliquo gravi fiat, de ſe eſt peccatum mortale, in quantum non eſt ſine contemptu proximi.* S. Thomas. Non enim ego ſum dominus honoris aut bonitatis alienæ, ut eam pro lubitu æſtimare poſſim: pro lubitu autem æſtimo ſi ſine ſufficiente ac manifeſta cauſa æſtimo 3. Chriſtus ſaluberrime hoc legis naturæ præceptum promulgavit, quod exſcribendum duxi: *Nolite*, inquiebat, *judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: ſine, ejiciam feſtucam de oculo tuo: & ecce trabs eſt in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui.* Matth. VII. ꝟ. 1. &c. Vid Alexander *Natalis* Lib. IV. Theol. Dogmat. in VIII. Præceptum art. III. Reg. XVIII. &c. pag 877.

Them. X. CONTEMTUS aliorum eſt contra naturæ jura, etiamſi intra animum tantum conſiſtat.

Contemptus aliorum eſt contra naturam.

1. Quia talis contemptor judicem ſe facit rerum ipſi non ſubjectarum: & eſt præterea ſtultus; cum ſua propria dona vix quiſquam recte agnoſcat, nedum aliorum; atque ita cæcus ſententiam fert de coloribus. Eſt inſuper temerarius velut qui confidat ſibi ſemper adfutura meliora, nec proſpiciat, omni momento ſe omnibus iſtis bonis exui poſſe, alterum contra iiſdem augeri.

2. Si contemnit alterum, quod is ſpiritualia dona minora habeat, ut pietatem minorem, devotionem, ſapientiam minorem; impius eſt, quia indirecte notat iſtorum donorum datorem DEUM; aut quia putat, ſuis meritis talia dona à DEO tributa eſſe. Hicque contemptus piis & doctis ſubire ſolet, quos ſcientia inflat.

Contemptus eſt ſtultus.

3. Si contemnit alterum propterea, quod is externa aut corporea bona minora habeat, ab Epicteto ſtultus dicitur, qui gloriatur aliqua re non proprie humana; aut alium propterea minoris facit, quod is aliquibus rebus non propriis aut proprie humanis careat. e. g. Ego meliores equos, domos, hortos, veſtes, cibos habeo; vel ego meliore ſanguine natus ſum, & triginta proavos numero, & in inſignibus habeo leones, pardos, aquilas. Ego ſtrenuus, gratioſus, illuſtris nominor: Ceteri vero habent pro equis boves & capras, pro palatiis tuguria, pro hortis carecta & filiceta, pro purpura pelles, pro turdis legumina: neſciunt nomina avorum, carent inſignibus aut gnomonem iis forte inſculptum habent: præterea titulorum inanes ſunt & nominantur ſolum Johannes vel Jacobus &c. Nunquid, ait Epictetus, cum tuus equus melior eſt equo affinis tui, tu ipſe propterea melior es tuo affine? Equi tantum & veſtes & parietes inter ſe comparantur. Tuipſe cum comparatus fueris cum affini aut ſervo tuo, is forte te longe *melior homo* eſt. Atque hæc contemptûs tentatio familiaris eſt nobilibus, maxime juvenibus. Qui docendi ſunt, ejuſmodi faſtu adeo nihil ipſos meliores

ſieri,

Digitized by Google

fieri, ut ab humanitate multum etiam deficiant. Quid autem juvat nobilem, divitem, generoſum eſſe, ſi humanus eſſe deſinas? Nobilis puer in iiſdem ſordibus naſcitur, quibus cerdo: iiſdem morbis conſumitur: iiſdem vermibus exeditur. Et cum ungitur cadaver, vermes non nobilitatem cadaveris ſed aromatis verentur.

CAPUT XXI.

De Officiis Beneficentiæ.

Beneficentia

Them. I. BEneficentia eſt effectus ſeu exterior executio interioris benevolentiæ. *Probatio dilectionis exhibitio* eſt operis, ait S. Gregorius. Vid. S. Thomas. 2. II. Qu. XXXI.

Nititur iisdem fundatis, quibus Benevolentia.

1. Hinc Beneficentia nititur fundamentis Cap. XVIII. allatis.

2. Item Beneficentia debet eundem *ordinem* ſervare, qui capite XIX. de Charitate in genere traditus eſt.

3. Beneficentia debet exterius, ubi poteſt, eadem exſerere, quæ capite XX. diximus ad Benevolentiam interiorem pertinere. e. g. Debet bona, quæ voluit, facere, in proximo tueri &c.

4. Item debet vitiis contra benevolentiam pugnantibus contraria etiam exterius facere: nempe pro odio, & invidia exhibere proſecutionem, favorem, gaudium ſeu gratulationem: pro iracundia contumeliaque manſuetudinem, & honoris ſignificationem: pro rixa pacem &c.

Juris naturæ eſt egentibus ſubveniri per abundantes.

Them. II. Juris naturæ officium eſt, indigentibus ſubveniri per abundantes. Ita ut ſi alter in permagna aut omnino extrena neceſſitate rei gravis ſit, qua ego poſſum facile carere, graviter peccem, niſi tribuam. Si neceſſitas minor & minor ſit, culpa quoque minor ac minor futura ſit.

1. Probatio hic non eſt repetenda. Vid. Cap. XVIII. ubi ſervitutem & conſervitutem noſtram omnibus hominibus notam pro fundamento horum officiorum ſtatuimus, quemadmodum illa ſervitus eſt etiam fundamentum omnium officiorum erga DEUM ac ſe ipſum.

2. Et S. Ambroſius III. officiorum cap. 3. cum Cicerone probans, Beneficentiam eſſe juris naturæ, ſic concludit: *Hæc utique lex naturæ eſt, quæ nos ad omnem adſtringit humanitatem, ut alter alteri tanquam unius partes corporis invicem deferamus. Nec detrahendum quidquam putemus, cum contra naturæ legem ſit, non juvare. - - - - Hoc præſtamus ceteris animantibus, quod alia genera animantium conferre aliquid neſciunt; feræ autem eripiunt, homines autem tribuunt. Unde & Pſalmiſta ait: Juſtus miſeretur & tribuit.* Pſ. 36. v. 21. Et alibi: *Non de tuo largiris pauperi, ſed de ſuo reddis: quod enim commune eſt in omnium uſum datum, tu ſolus uſurpas. Omnium eſt terra, non divitum: Sed pauciores, qui non utuntur ſuo, quam qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum.* Lib. de Nabathe cap. XII. n. 53. V. *Suarez* de Charitate Diſp. VII. Sect. I. n. 1. Videantur plura apud *Pouget* Inſtitut. Cathol. Part. II. Sect. II. cap. IV. §. 4.

Opera miſericordiæ generatim debentur ex Juſtitia naturali.

Them. III. Opera ſeu officia ſic exhibita vocantur opera *miſericordiæ*. ſunt tamen in genere officia *Juſtitiæ naturalis* ſeu univerſalis & legalis. Hoc quoque jam oſtendimus Cap. XVII. Them. XII. & mox themate præcedente.

Objectio, quod non pariant reſtitutionem.

Them. IV. Fruſtra objicitur: transgreſſio horum officiorum non parit obligationem reſtitutionis: v. g. ob cujus immiſericordiam pauper fame interiit, is non tenetur reſtituere vitam &c. Ergo hæc officia non ſunt juſtitiæ, nec ſtricti juris, ſed tantum honeſtatis aut pietatis, & virtutis.

Rejicitur.

℞. 1. Totum ſuppoſitum eſſe falſum, nempe illa tantum ad juſtitiam rigoroſam pertinere, quæ pariunt obligationem reſtituendi proximo. Nam ſi hoc ſuppoſitum fundamentum verum eſt, ſequitur, minores tantum injurias eſſe contra juſtitiam, maximas autem nequaquam. Nempe qui incendit unam civitatis ædiculam, is rigoroſam injuſtitiam commiſiſſet, quia poteſt compelli ad reſarciendum damnum. Is vero, qui totam civitatem incendiſſet, non peccaſſet contra rigoroſam juſtitiam, quia non poteſt compelli ad reſarciendum damnum.

℞. 2. Poteſt Objectionis antecedens etiam abſolute negari. Tenetur enim etiam talis ad reſtituendum, non quidem rem ipſam, quæ ipſius culpa pe-

Digitized by Google

riit, cum eam reproducere non poſſit; ſed aliquid aliud: quod etiam homines vulgo agnoſcunt, utentes hoc axiomate: *Qui non habet in ære, luat in cute.* Qui ergo per immiſericordiam occidit egenum, is tenetur varie reſtituere, juxta ſaniorem doctrinam; nempe 1 pro illius anima tenetur facere, quanta poteſt ſubſidia. 2 tenetur juvare eos, qui mortuo conjuncti erant, & nunc fortaſſe patiuntur detrimentum ex ipſius morte, v. g. orphanos filios. 3 tenetur ſatisfacere ei, cui mortuus erat omnium conjunctiſſimus, nempe DEO. DEUS enim per hunc immiſericordem malum ſervum, fuit fraudatus ſervitio melioris ſorte ſervi, eſſentialiter ipſi debito: & hoc ſervitium debet fraudator reſarcire per ſe vel per alios: nempe debet ipſe eo ferventius deinceps ſervire DEO per orationes, jejunia, aliasque virtutes: vel debet alios conſervos per eleemoſynas, hortationes, pia exempla excitare ad duplicandum ſervitium; commodiſſima & gratiſſima reſtitutio eſſet, ſi operam ſuam conſerret ad aliquem peccatorem à peccatis reducendum. Sicut miles, qui ab uno principe transfugit ad alium, à quo non amplius dimittitur, debet, quantum in ipſo eſt, priori principi alium pro ſe militem conciliare.

Immiſericors peccat contra juſtitiam legalem.

℞. 4. Cum diſtinctione jam aliquoties indicata: Ergo hæc officia beneficentiæ omiſſa, non ſunt contra juſtitiam rigoroſam *Particularem* & humanam, quæ actionem in foro fori parit, *tranſeat.* Non eſt contra juſtitiam rigoroſam *Univerſalem*, naturalem ſeu divinam, & quæ in foro poli perſecutionem mercatur; nego. Mihi autem videtur, is, qui jus divinum lædit, injuſtior eſſe & rigoroſius jus violare, quam qui humanum lædit. Ille enim fontem ipſum juris temerat; hic nonniſi participatum rivulum. *Vid. Cap. VII. Them. XXV.* & Cap. XXII. Them. VII.

Et pervertit medium naturæ.

℞. 5. Poſſet forte etiam ſic diſtingui: Immiſericordia non eſt contra juſtitiam tanquam particularem & partialem virtutem, quæ intendit *medium rei*, æqualitatem arithmeticam, nempe aureum pro aureo, oculum pro oculo &c. Eſt autem contra juſtitiam univerſalem, quæ reſpicit medium naturæ, & æqualitatem aliam ex eſſentia rerum non ex numero petitam. Nempe medium illud rationis inter immiſericordem peccantem & pauperem peremptum eſt Servitii DEO eſſentialiter debiti quædam ſaltem coæquatio. Neque enim etiam particularis juſtitia poteſt ſemper attingere medium rei & proportionem arithmeticam: e. g. cum quis alteri eruit oculum, non poteſt oculum eundem vel alium reddere, quod exigebat medium rei ſtricte tale, ſed æſtimatur damnum pecunia, præbendis alimentis &c. Unde S. Ambroſius in Pſalm. CXVIII. Serm. VIII. num. 22. *Miſericordia quidem juſtitiæ portio eſt: ut ſi velis donare pauperibus, hæc miſericordia juſtitia eſt. - - - Deinde quia conformis tuus injuſtum eſt ut non adjuvetur à ſocio; cum præſertim dominus DEUS noſter terram hanc poſſeſſionem omnium hominum voluerit eſſe communem & fructus omnibus miniſtrare. Sed avaritia poſſeſſionum jura diſtribuit. Juſtum eſt igitur, ut, ſi aliquid tibi privatim vindicas, quod generi humano, imo omnibus animantibus in commune collatum eſt, ſaltem aliquid inde pauperibus adſpergas; ut, quibus juris tui conſortium debes, his alimenta non deneges.*

Immiſericors lædit juſtitiam diſtributivam.

℞. 6. Hinc ſuprà Reſponſione quarta dixi: *Tranſeat*, quod immiſericordia non lædat juſtitiam particularem humanam. Imo vero omnino lædit. Juſtitia particularis humana duplex eſt omnium confeſſione: Commutativa & diſtributiva. Diſtributiva intendit æqualitatem non *rei* ſeu arithmeticam, ſed *rationis* ſive Geometricam, *Vid. Cap. XXII. Them* VIII. Et hanc quidem juſtitiam lædit immiſericors prædictus; quia facit, ne unicuique tribuatur quod proportionaliter ipſi debetur: plus egenti & in extrema fame conſtituto inevitabiliter neceſſarius eſt iſte cibus: huic opulento immiſericordi iſte cibus non eſt neceſſarius: ergo ex juſtitia particulari diſtributiva debetur huic famelico, non huic opulento. Deinde læditur etiam juſtitia commutativa. Bona terrena ex natura ſua ſunt *omnium* hominum communia: conſenſu autem adventitio diviſio facta eſt poſſeſſionum; qui conſenſus in hunc diem durat, quamvis non neceſſario; poſſent enim, ſi vellent omnes homines, eum conſenſum revocare & omnia in ſtatum primum reducere. At nullus conſenſus hominum in aliquid tale eſt aut poteſt eſſe illimitatus. *Non eſt*; quia nemo jus ſuum ad communitatem ita deponit, ut ipſe perire debeat ſine cauſa. *Non poteſt eſſe* illimitatus ille conſenſus hominis; quia nullus homo eſt abſolutus Dominus ſuus. Igitur cum homines conſenſerunt, & adhuc conſentiunt in diviſas & privatas poſſeſſiones, eſſentialiter pro fundamento ſubſtrata eſt iſta conditio: ut mihi propterea pereundum non ſit, & ut in neceſſita-

& Commutativam aliquo modo.

tibus

tibus maneat mihi integrum meum jus; niſi altior ac gravior cauſa ſupervenetit, cui ego & omnes parere debeamus. & *Suarez* nobis contrarius Diſp. VII. de Charitate Sect. VI. n. 2. allegat cauſam; quia talis immiſericors nec ex injuſta acceptione, nec ex re accepta tenetur. Quod tamen quia, injuſta detentio eſt idem atque injuſta acceptio, in extrema autem neceſitate bonum mihi ſuperfluum non erat meum ſed patientis, igitur illud detinens detinui alienum, & ex hac, imo utraque radice teneor ad reſtitutionem.

Immiſericors magiſtratus omnem juſtitiam violat.

R. 7. Denique ſi immiſericordia ſeu neglectus neceſſitatum proximi committatur à magiſtratu ac ſuperiore, eſt & ipſe contra juſtitiam commutativam; quia cives, dum magiſtratum & ſuperiores patiuntur, cum iis tacitum aut expreſſum ineunt pactum, ut curent utilitatem, neceſſitatem, & honeſtatem omnium ac ſingulorum, quantum poſſunt. Non tamen tenetur Magiſtratus qua talis de ſuis privatis rebus juvare egentem, ſi poteſt ex publico.

Eleemoſyna debetur de Superfluo

Them. V. Officium miſericordiæ ſeu eleemoſyna *debetur* neceſſitatem patienti de *ſuperfluo*. Videantur plurima de Eleemoſyna apud *Natalem* Lib. IV. Theol. Dogm. De Charit. Prox. *Maſtrius* Theol. Mor. Diſp. X. Quæſt. III. Art. II.

Superfluum duplex, perſonæ & dignitatis ſeu Status.

1. *Superfluum dico, non ſolum reſpectu ſuipſius, quod eſt ſupra id, quod eſt neceſſarium individuo, ſed etiam reſpectu aliorum, quorum cura ſibi incumbit, reſpectu quorum dicitur neceſſarium PERSONÆ, ſecundum quod perſona dignitatem importat: quia prius oportet, quod unusquisque ſibi provideat, & his, quorum cura ei incumbit, & poſtea de reſiduo aliorum neceſſitatibus ſubveniat. Sicut & natura primo accipit ſibi ad ſuſtentationem proprii corporis quod eſt neceſſarium, miniſterio virtutis nutritivæ: ſuperfluum autem erogat ad generationem alterius per virtutem generativam.* S. Thomas 2. II. Qu. XXXII. art. V. Corp.

Æſtimatio ſuperflui non ex libidine facienda.

2. Quid autem & quantum ſit ſuperfluum, pendet ab æſtimatione: quæ æſtimatio non ex vaga ac cerebrina cujuslibet phantaſia facienda eſt, ſed ex tali, quæ decet ſervum ejusque ſubjectionem ad ſummum dominum: & debet per prudentiam diſci ex auctoritate & circumſtantiis. *Vid. Cap. XIX. Them. V. & Them. XI.* Quapropter recte damnata eſt ab Innocentio XI. an. 1679. iſta propoſitio: *Vix in ſecularibus, etiam in regibus invenies ſuperfluum ſtatui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.*

In recipientibus eleemoſynam debet eſſe neceſſitas.

3. *Ex parte autem recipientis requiritur, quod neceſſitatem habeat, alioquin non eſſet ratio, quare eleemoſyna ei daretur. Sed cum non poſſit ab aliquo uno omnibus neceſſitatem habentibus ſubveniri; non omnis neceſſitas obligat ad præceptum, ſed illa ſola, ſine qua is, qui neceſſitatem patitur, ſuſtentari non poteſt.* Idem S. Thomas loc. cit. Vid. Cap. XIX. Them. V.

Unde magiſtratus poſſunt peccare &c.

4. Unde peccant magiſtratus, qui permittunt homines vagos, otioſos mendicato vivere, ſi poſſunt illos aliter applicare ad panem ſuum quærendum. Nam hi otioſi neceſſitatem non habent, ideoque nec habent jus petendi aut accipendi eleemoſynam; eam tamen per importunitatem & malitiam extorquent à civibus, quibus deinde nihil manet ſuperflui, quod impendere poſſint veram neceſſitatem patientibus. & ſic vere egentes privantur jure ſuo: cujus injuſtitiæ rei ſunt tales magiſtratus.

Privato autem danti non incumbit hæc inquiſitio.

5. Homo autem privatus eleemoſynam dans juſtitiam naturalem implet, ſi iis egentibus tribuat, qui egentes probabiliter apparent; quia privati officium non eſt inquirere in ſtatum interiorem & domeſticum ſibi nec ſubditorum nec conjunctorum. Attamen ſi certo conſtaret etiam privato homini, recipientem talem in nulla ſufficiente neceſſitate eſſe, tenetur privatus ei negare eleemoſynam, ſi per largitionem ſibi ipſi decederet facultas largiendi iis, qui veram neceſſitatem patiuntur; quia tali modo ſciens ſurripit indigentibus debita.

Adde quod etiam teneatur, ſi poteſt & fructuum ſperat, tales otioſos indicare iis quibus hæc cura incumbit, ſi exiſtimat illos hæc latere. Vid. Alex. *Natalis* Lib. IV. Theol. Dogm. de Charitate. Artic. XI. Reg. XXV. &c. *Suarez* De Charit. Diſp. VII. Sect. II.

De neceſſario non debetur eleemoſyna, laudabilis tamen eſt.

Them. VI. De eo, quod ſimpliciter ad vitam vel perſonæ ſtatum neceſſarium eſt, eleemoſyna dari NON DEBET, niſi in caſu, in quo bono communi ſubveniretur: quamquam laudabile eſſet, neceſſaria etiam ad ſtatus & perſonæ conditionem largiri indigentibus. Hæc eſt concluſio S. *Thomæ* 2. II. Qu. XXXII. art. VI. quam mox ita probat & declarat.

1. „ Dicendum, quod neceſſarium
„ dupliciter dicitur. Uno modo, ſine
„ quo aliquid eſſe non poteſt: & de
„ tali neceſſario omnino eleemoſyna
„ dari non debet. Puta ſi aliquis in

 „ arti-

„ articulo neceſſitatis conſtitutus habe„ret ſolum unde poſſet ſuſtentari, & „ filii ſui, & alii ad eum pertinentes. „ De hoc enim neceſſario eleemoſy„nam dare eſt ſibi & ſuis vitam ſubtra„here. Sed hoc dico, niſi forte talis „ caſus immineret, ubi ſubtrahendo „ ſibi daret alicui magnæ perſonæ, per „ quam eccleſia vel res publica ſuſten„taretur: quia pro talis perſonæ libe„ratione ſeipſum & ſuus laudabiliter „ periculo mortis exponeret; eum bo„num commune proprio ſit præferen„dum.

Convenientia Status

2. „ Alio modo dicitur aliquid ne„ceſſarium, ſine quo non poteſt *con„venienter* vita tranſigi ſecundum con„ditionem & ſtatum propriæ perſonæ „ & aliarum perſonarum, quarum cu„ra ei incumbit. Hujusmodi neceſſa„rii terminus non eſt in indiviſibili „ conſtitutus; ſed multis additis non „ poreſt dijudicari, eſſe ultra tale ne„ceſſarium; & multis ſubtractis ad„huc remanet, unde poſſit conveni„enter aliquis vitam tranſigere ſecun„dum proprium ſtatum. De hujus„modi ergo eleemoſynam dare eſt *bo„num:* & non cadit ſub præcepto, ſed „ ſub conſilio. Inordinatum autem eſ„ſet, ſi aliquis tantum ſibi de bonis „ propriis ſubtraheret, ut aliis largi„retur, quòd de reſiduo non poſſet „ vitam tranſigere convenienter ſecun„dum proprium ſtatum, & negotia „ occurrentia. Nullus enim inconve„nienter vivere debet.

3. „ Sed ab hoc tria ſunt excipien„da: quorum primum eſt, quando „ aliquis ſtatum mutat, puta per reli„gionis ingreſſum: tunc enim omnia „ ſua propter Chriſtum largiens opus „ perfectionis facit, ſe in alio ſtatu „ ponendo. Secundo, quando ea, quæ „ ſibi ſubtrahit, etſi ſint neceſſaria ad „ convenientiam vitæ, tamen de faci„li reſarciri poſſunt, ut non ſequatur „ maximum inconveniens. Tertio, „ quando occurreret extrema neceſſi„tas alicujus privatæ perſonæ, vel „ etiam aliqua magna neceſſitas rei„publicæ. In his etiam caſibus lauda„biliter prætermitteret aliquis id, quod „ ad decentiam ſui ſtatus pertinere vi„deretur, ut majori neceſſitati ſub„veniret. Ita S. Thom. loc. cit.

4. Ubi tamen *Convenientia* & decentia Status non eſt ſumenda pro infinita illa vanitate, luxu & corruptione, quæ mundum indies magis corripit. Hæc enim adeo non eſt decens & conveniens, ut juri naturæ multis modis repugnet. Quod Cap. XVI. Them. XVI. oſtendimus. Ceterum de Eleemoſyna late S. Ambroſius officiorum libro II. cap. XV. videatur late Alexander *Natalis* Theol. Dogm. Lib. III. De Obduratione adverſus Miſericordiam. Art. IX. pag. 357. &c. præſertim Regula IX. Paucique hodie videntur, quorum luxus non repugnet huic regulæ. Sed is luxus damnabilis mire oritur aut alitur ex Puffendorffiano jure naturæ, quod docet, *Juſtitiam* eſſe, commoda hujus tantum vitæ ſectari. Vid. *Suarez* de Charitate Diſp. VII. Sect. IV.

Them. VII. „ Ex injuſte acquiſitis, „ per furtum vel rapinam, non poteſt „ fieri eleemoſyna, ſed reſtitutio fieri „ debet. Injuſte vero acquiſita, quæ „ quis per Simoniam aut ſubverſionem „ juſtitiæ accepit, In eleemoſynas elar„giri tenetur. Turpe lucrum vero & „ juſte retineri, & recte in eleemoſy„nam impendi *poteſt*. Eſt concluſio S. *Thomæ* 2. II. Qu. XXXII. Art. VII.

Ex injuſte acquiſitis non eleemoſyna ſed reſtitutio eſt facienda.

Limitatio.

1. Primum, nempe injuſte acquiſita reſtituenda eſſe, infra probabitur. Excipi tamen caſus poteſt, quando reſtitutio non poteſt fieri amplius ex defectu perſonarum. e. g. Caupo per plures annos defraudavit magnam civium partem, nimis grandem ſymbolam exigendo pro ſuis eſculentis ac poculentis. Singulis non poteſt reſtituere, cum plerique lateant, alii non extent. Is quantum eſt ditior factus ex injuſte acceptis, tenetur tum pro animabus ac ſpirituali bono, tum pro reliqua utilitate communitatis quam defraudavit impendere jam per eleemoſynas, jam per pias fundationes, xenodochia, eccleſias, monaſteria &c. pro diverſitate circumſtantiarum.

Probatur 1mum.

2. Secundum de injuſta acceptione, ubi tam datio quam acceptio eſt injuſta ex utraque parte, patet. Quia injuſte dans, v. g. corrumpens judicem perdit dominium rei datæ; & injuſte accipiens talis judex dominium rei acceptæ non acquiſivit legitime. Igitur hic retinere, alter recipere non poteſt; niſi retractato judicio, & reſtitutis iis qui per illud erant damnificati. Quia igitur rempublicam & divinas humanasve leges violarunt, poſſunt, ceteris obſervatis, tales pecuniæ vel aliæ res impendi in bonum quod redundet in rempublicam. Vid. ulterius S. Thom. loc. cit. *Suarez* de Charit. Diſp. VII. Sect. II.

Probatur 2dum.

Thema VIII. Sub alterius poteſtate conſtitutus de his tantum, quorum ipſe eſt dominus, eleemoſynam licite facere poteſt; non autem de his, quæ Domini ſui ſunt: niſi forte in caſu extremæ neceſſitatis. S. Thom. l. c. art. VIII.

Alteri ſubditus an poſſit dare eleemoſynam?

Ita

Ut Religioſus. **Filius.** **Uxor.** **Servus.**

Ita monachus vel qualiscunque religioſus non poteſt eleemoſynas dare de rebus monaſterii; niſi in minimis & ex aliqua licentia ſuperioris; quia dominium depoſuit. Ita filius familias non poteſt dare, niſi de iis quæ pater ad liberam diſpoſitionem dedit, aut de caſtrenſi peculio. Ita uxor non poteſt dare de dote: bene tamen poteſt dare moderatas de proprio lucro &c. Idem à fortiori dicendum de ſervis.

Eleemoſyna duplex corporis & ſpiritualis.

Them. IX. Eleemoſinæ ſeu Beneficentiæ duplex genus eſt, ut in Catechiſmo noſtro rectiſſime docemus: Unum eſt circa *corporis* neceſſitates: alterum circa *Spirituales*.

Corporis beneficia ſeptem exprimuntur hoc verſiculo: *Viſito, poto: cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

Animi beneficia exprimuntur iſto altero verſiculo: *Conſule, carpe, doce, ſolare, remitte, fer, ora.*

Eamque diviſionem accuratam eſſe oſtendit S. *Thomas* 2. II. Qu. XXXII. art. II.

Igitur *cibare eſurientes,*
Potare ſitientes,
Veſtire nudos,
Recipere peregrinos,
Viſitare & juvare infirmos,
Redimere captivos,
Sepelire mortuos.

Obligatio juris naturæ tunc eſt, cum aliter conſervus ſervari nequit. Quæ neceſſitas cum in mortuis ſepeliendis forte vix reperiatur, illud opus forte non erit juris naturæ præceptivi in ſpecie: cadit tamen ſub jus naturæ in genere ſicut omnes aliæ virtutes. Vid S. *Auguſtin.* Lib. de cura pro mortuis habenda.

Opera miſericordiæ ſpiritualia magis obligant.

Them. X. Opera miſericordiæ ſpiritualia etiam majorem obligationem habent, quia omiſſio nocivior eſt, & exhibitio magis ac ſæpius neceſſaria.

Peccantes corrigere,
Ignorantes docere,
Dubitantibus recte conſulere,
Pro ſalute proximi orare,
Mæſtos conſolari,
Injurias patienter ferre,
Offenſas remittere.

Fraterna correptio eſt Juris naturæ.

Them. XI. Peccantes corrigere, ſeu, *Fraterna correptio* eſt Juris naturæ, *ſi potes.*

1. Jure naturæ obligor à conſervo auferre malum ſervituti repugnans, aut illum ab ultimo fine excludens niſi corrigatur. Cap. XVIII. Vid. multa de hoc apud *Natalem* Lib. IV. Theol. Dogm. De Char. Prox. Reg. 39. &c. *Suarez* de Charitate Diſp. VIII. per totam *Maſtrius* Theol. Mor. Diſp. X. Quæ III. art. III. &c.

Si potes.

2. *Si potes*, dixi atque hoc plura complectitur. *Primo* ſi ipſe recte agnoſcis ipſum peccaſſe: *Secundo*, Si occaſio ſe offert: non enim neceſſe eſt, ut ipſe inquiras quem corrigas; *alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum* S. Thom. 2. II. Qu. XXXIII. art. II. ad 4tum. *Tertio* quando ſpes eſt ſufficiens, correctionem profuturam ad peccantis emendationem, quæ eſt finis proximus correctionis *Quarto*, quando tibi ipſi vel aliis non *majus* exinde periculum prudenter metuere debes, ſecundum ordinem Charitatis Cap. XIX. ſtatutum.

Unde aliqui ab ea excuſantur, aliqui non.

3. Unde plerumque ab hoc præcepto excuſantur illi, qui ſunt peccantibus inferiores, ut famuli reſpectu dominorum. At non Conſiliarii reſpectu principium in regimine peccantium: quia hi ad hoc ſunt conducti ut regiminis bona ac mala ſuggerant. Tenentur adeoque etiam ex juſtitia particulari & commutativa; nec excuſantur omni periculo. Sic neque excuſantur confeſiarii, animarum paſtores &c. quia etſi politica dignitate ſæpe ſint multo inferiores ſuis clientibus, attamen in negotio animæ ſunt ſuperiores, & obligantur Juſtitia particulari commutativa.

4. Neque generaliter ſubditi abſolvuntur ab obligatione corrigendi præpoſitos peccantes; quamvis non ex juſtitia particulari, attamen ex juſtitia naturali ſeu charitate: ſed cum multo moderamine & reverentia, juxta illud I. Timoth. V. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem.* Vid. S. Thom. 2. II. Qu. XXXIII. art. IV.

Superiores ad eam tenentur ex Juſtitia naturali & commutativa.

Thema XII. Superiores ad correctionem fraternam faciendam obligantur tam jure naturali, quam ex juſtitia particulari commutativa, quæ ipſos obligat non tantum ad correctionem monitoriam, ſed ſæpe etiam ad punitionem.

1. De obligatione juris naturæ conſtat; quia hæc tangit omnes homines: ergo etiam ſuperiores, qui non ceſſant eſſe homines.

2. De Obligatione juſtitiæ commutativæ patet; quia magiſtratus & ſuperiores conducti ſunt & conſtituti ad hoc, ut rectores ſint ſubditorum; qualis rector non eſt, qui ſubditos in re peſſima, id eſt, in peccato deſerit.

Contra peccant Parentes, Patres

3. Ex utroque aut alterutro capite delinquunt ſequentes. Parentes negligentes in correctione & punitione filio-

rum.

Digitized by Google

familias, Præceptores, &c.

rum. Patres familias in ſimili negligentia erga domeſticos. Eccleſiaſtici erga oves. Præceptores erga diſcipulos & alumnos. Prælati erga ſubditos. Magiſtratus erga cives. Videantur pulcræ doctrinæ Patrum apud *Pouget* Inſtitutionum Catholicarum Tom. I. Part. II. Sect. II. cap. IV. §. 5.

4. Modum Prælatos docet Apoſtolus his paucis: *Prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* II. Timot. IV. 2. Nec ſufficiunt ſola ſemper lenia verba, ut conſtat exemplo Heli ſacerdotis.

Nec excuſat turbatio ſubditi corrigendi.

5. *Nunquam juſtitiæ correptio, quæ ad Prælatos ſpectat, dimittenda eſt propter turbationem ejus, qui corripitur - - - - Tum quia, ſi propria ſponte emendari non velit, cogendus eſt per pœnas, ut peccare deſiſtat: tum etiam, quia, ſi incorrigibilis ſit, per hoc providetur bono communi, dum ſervatur ordo juſtitiæ, & unius exemplo alii deterrentur.* S. Thom. 2. II. Qu. XXXIII. Art. VI. in concl. & corp. *Multa enim bona præſtantur invitis, quando eorum conſulitur utilitati, non voluntati; quia ipſi ſibi inveniuntur eſſe inimici, amici vero eorum potius illi, quos inimicos putant.* S. Auguſtin. Enchiridii cap. 73.

Nec peccatum proprium minus.

Them. XIII. A correctione fraterna non excuſatur is, qui & ipſe in peccato eſt, ſaltem minore.

1. Quia nullum peccatum excuſat à lege naturali: reportaret enim fructum ex malitia.

2. Si tamen peccatum ſuum æque ſit grave aut gravius, magnum afferre poteſt impedimentum, ne admonitio proficiat apud admonentem. Vid. S. Thom. loc. cit. art. V.

Secreta monitio præcedat publicam;

niſi in peccatis publicis.

Them. XIV. „ Oportet ſecretam „ admonitionem publicam præcedere „ delinquentis denuntiationem, ubi „ peccata occulta ſunt, & non contra „ commune bonum. Ubi vero publica peccata ſunt, vel occulta contra „ bonum commune commiſſa, non eſt „ ſemper neceſſe præcedere ſecretam „ admonitionem; ſed interdum ſecreta admonitione omiſſa procedendum „ eſt ad denuntiationem. Eſt Concluſio S. Thomæ. l. c. art. VII.

Quid publicum?

1. Publica ſimpliciter ſunt, quæ paſſim & multis nota. Occulta ſed in publicum redundantia ſunt, quæ clam quidem adornantur, ſed in aliorum hominum nocumentum vergunt, ut ſi quis conſilia de incendenda civitate tractat, ſi alios clam hæreſibus inficit. „ Et „ ille, qui ſic occulte peccat, non ſolum in te peccat, ſed etiam in alios, „ oportet ſtatim procedere ad denuntiationem. ut hujuſmodi nocumentum impediatur; niſi forte aliquis „ firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per „ ſecretam admonitionem poſſet hujuſmodi mala impedire.

2. „ Quædam vero peccata ſunt, „ quæ ſolum ſunt in malum peccantis „ & ejus in quem peccatur; quia à „ peccante ſolus læditur, ſaltem ex notitia. & tunc ad hoc ſolum tendendum eſt, ut fratri peccanti ſubveniatur. „ Tunc debet, ſi poteſt, ita illum corrigere, ut fama ſervetur; quæ utilis eſt ad neceſſitates corporales & ſpirituales; cum ii, qui famam ſemel decoxerunt, infrunite deinde in peccata ruant. Hanc igitur ob cauſam debet clam corrigere, in tali caſu. S. Thomas. ibid. art. VII. addatur etiam articulus VIII.

Fama correcti, quantum poteſt, ſervanda.

Thema XV. Docere ignorantes ea, quæ abſolute ſunt neceſſaria ad vitandum interitum animæ aut corporis, vel peccatum aliudve grave malum, jure naturæ tenetur quilibet homo, *ſi poteſt.*

Docere ignorantes, quando ſit juris naturæ?

1. Quia ni faciat, per ipſum ſtat, quo minus ſervus aut ſervitus DEO præſtetur. Cap. VIII. Them. I. Cap. XVIII. Them. I. &c.

Exempla naturalia.

2. Exempla hujus officii, ſeu hujus eleemoſynæ innumera ſunt. Ut ſi video viatorem ex ignorantia viæ aberrare ad loca latronibus aut hoſtibus infeſta. Si video infantem correpturum ferrum candens aut colubrum, aut tractantem inſtrumentum periculoſum, v. g. cultrum, ſclopum. Si video cœcum appropinquantem puteo, præcipitio, fluvio. Si agnoſco aliquem cibum noxium, venenoſum, apponi ignorantibus, & mille talia; quæ juvenibus maxime impendi debent per majores, etiam plerumque nolentibus & repugnantibus: quia hoc caſu ignorantiam juventuti naturalem conjungunt cum malitia, à qua multo magis liberandi ſunt quam à nuda ignorantia.

Item moralia & ſpiritualia.

3. Fortior eſt obligatio avertendæ ignorantiæ in moralibus. e. g. bona fide & ex ignorantia leguntur mali & periculoſi libri, ut Jura naturæ corrupta; detegenda eſt corruptio ne ignoretur. Vadit aliquis ignorans in locum infamem, ubi prona peccandi occaſio; abducendus eſt, ſive oſtenſo periculo, ſive potius indirecta ſuaſione & diverſione ad alia; ne forte ipſa occaſionis notitia illiciat infirmum. Poſſidet aliquis rem certo alienam, furtivam, fide bona ſeu ignorans, aut dubitans, docendus

Digitized by Google

dus eſt in poſteriore caſu omnino; in priore autem caſu cum hac cautione, ne ex bona fide ponatur ita in malam fidem; ut peccato formali obſtringatur, qui antea non fuerat niſi in materiali. Quod prudentum virorum ac piorum conſilio æſtimandum eſt. Eſt aliquis, qui ignorat ea, quæ jure naturæ tenetur de DEO ac ſalutis principiis intelligere, aut credere; illum debeo aut ipſe docere, aut ſuadere & hortari, ut accedat ad paſtores ſuos, vel ipſemet ad illos ducere; quia tales homines hortationibus non tanguntur, easque non capiunt, ſunt ſtupidi; ideoque non ſufficeret adhortatio, ſicut non ſufficeret, ſi bovem hortaret aberrantem, ſed ducere & compellere debeo.

Si potes.

4. *Si potes*, dixi: quod eodem modo fere intelligendum eſt ac ſupra Themate XI. nempe ſi ipſe melius ſcis: ſi occaſio ſe offert: ſi tibi aut aliis non majus periculum naſcatur. e. g. ſi vis docere hominem hæreticis erroribus imbutum, & cum eo diſputationem ſuſcipis, ipſe non ſatis inſtructus, conjicis te in periculum perverſionis; aut religionem veram ludibrio exponis. Aut ſi hoſtem fugienti monſtras effugium & per hoc ipſe te domumque tuam in grave ſatis periculum adduceres.

Officium docendi incumbit Parentibus &c.

Them. XVI. Obligatio docendi ignorantes tum jure naturæ, tum partim ex juſtitia particulari commutativa, incumbit Parentibus erga filios, Magiſtris erga diſcipulos, Animarum paſtoribus, epiſcopis, confeſſariis &c. erga oves & clientes. Et magiſtratuum cura debet eſſe, ut jus naturæ & commutativum hac etiam in parte ſervetur: alias & ipſi in utrumque peccant.

Ni faciant, per ipſos ſtat, quo minus ſibi commiſſi ſint veri ſervi univerſalis Domini, ut ſupra Them. XII.

Conſulere dubitantibus eſt juris naturæ.

Them. XVII. Dubitantibus de re magna ad ſalutem pertinente, & *petentibus conſilium*, non poſſumus ſalvo jure naturæ denegare, ſi poſſumus tribuere.

1. Probatio eſt eadem, quæ omnium ceterorum officiorum.

Si potes.

2. Non *poteſt* autem conſiliarius, ſeu is, ex quo requiritur conſilium, illud dare, ſi ipſe rem non intelligit.

Conſiliarii officium.

3. Nec *poteſt* dare conſilium ſcienter malum.

4. Item conſilium incertum dans ac venditans pro certo.

5. Imo ſi conſulendo malum etiam ſuaſit, ac perſuaſit, eſt reus damni inde ſecuti, & tenetur ad reſtitutionem; quia eſt cauſa damni. cap. XXII. Them. XIII..

6. Denique conſiliarius tenetur ſervare ſilentium ſeu ſecretum; quia illo non ſervato poteſt ſequi jactura famæ, bonorum &c. & ipſa conſilii requiſitio poteſt fieri paſſim inviſa, ſi conſiliarii ſæpius violent ſecretum; cum tamen conſilium res ſit ad corporis animæque ſalutem tam utilis ac neceſſaria.

Conſiliarii conducti peccant contra juſtitiam commutativam &c.

Them. XVIII. Conſiliarii autem conducti à Principibus & magiſtratibus: item Confeſſarii qui beneficia curata poſſident, verbo qui conſiliarii, *officium* ſuſceperunt etiam accuratiores debent eſſe in conſulendo: eorumque negligentia voluntaria eſt contra juſtitiam commutativam & naturalem.

Probatur hac ratione, quam de correctione & doctrina dedimus. Ac revera maxima fere reipublicæ pars, hodiernis moribus, incumbit conſiliariis. Hinc maxima etiam malorum ac negligentiarum pars ipſis culpæ datur.

Pro ſalute proximi orare officii eſt.

Them. XIX. Pro ſalute proximi in genere orare debemus, & neminem à noſtra privata oratione excludere, neque inimicum. Pro conjunctis autem magis orandum, ex ordine Caritatis. Sequitur ex Themate XXVII. Cap. XIX. Vid. S. Thom. 2. II. Qu. LXXXIII. Art. VIII.

Mœſtos item conſolari.

Thema XX. Mæſtos conſolari obligatio gravis juris naturæ tunc eſt, cum aliàs mœſtitiâ abſorberi poſſent. Magis tamen hoc præcepto obligantur conjuncti, animarum curatores, aut alii ex officio.

Ex iisdem fundamentis.

Injurias æque ferre, quando?

Thema XXI. Injurias patienter ferre tunc eſt juris naturæ neceſſarii, cum injuria non eſt contra ſalutem animæ: neque noxia iis, quorum cura ad nos pertinet: & cum non ſuppetit remedium ordinarium & conveniens ad vindicandum rem noſtram; in hoc enim caſu debemus adorare providentiam numinis eique ſubjici.

Propoſitiones damnatæ circa hoc.

1. Ad hoc thema pertinent plures propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. an. 1679. Prima: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſiquis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam vel ictum fuſtis fugiat.* Secunda: *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* Tertia: *Non ſolum licitum eſt defendere occiſiva defenſione, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* Simi-

les plures propoſitiones jam damnatæ ſunt ab Alexandro VII. an. 1665. de inferente calumniam, de falſis teſtibus, de judice iniquo &c. quorum injurias ferre neceſſe eſt, ſi non poſſent illæ averti ſine occiſione privata calumniatoris &c.

Exerſequi jus ſuum coram judice licet.

2. At perſequi jus ſuum coram legitimo judice, etiamſi exinde pœna mortis inſerretur injurianti, nemini per ſe eſt vetitum; quia nullius jus per hoc læditur: non DEI, qui ipſe injurioſos puniri vult; non reipublicæ, cujus intereſt injurioſos homines compeſci; non ipſius injuriantis, qui male faciendo perdidit jus ad ea, quæ legibus ipſis abjudicari poſſunt.

Chriſtianos non decet, id perſequi ad vivum.

3. Chriſtianos tamen, & eos Chriſtianorum, qui præ ceteris doctrinæ Chriſti obſervantiam profitentur, non decet jus ſuum ad vivum perſequi, quales ſunt eccleſiaſtici & Religioſi. Quia Chriſtus exemplo ſuo confirmavit doctrinam ſuam: *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Matth. V. ✝. 39. ſeq. Vid. Epiſt. I. ad Corrinth. Cap. VI.

Quod male applicatur ad inſultandum eccleſiaſticis.

4. Quam tamen doctrinam abſurdiſſime applicant nonnulli homines, liberius ob hoc inſultantes eccleſiaſticis, etiam Chriſtiani, qui eadem dogmata ſibi quoque prædicata fuiſſe & ad ſe pertinere agnoſcere deberent; ita ut & ipſi eadem pati deberent, non autem inferre. Ceterum de hac doctrina conſulendi SS. Patres.

Offenſas remittere eſt Juris naturæ quomodo?

Thema XXII. Offenſas remittere jus naturæ eſt ad omnes pertinens, quantum non-remiſſio tenderet ad malum proximi.

1. Hac enim ratione repugnaret ſervituti communi. Si quis enim me offendit, cum ego plane agnoſcam me non eſſe dominum meimet, ſed altioris entis ſervum, poſſum facile agnoſcere, illam offenſam non ad me pure ſed ad Dominum ſummum pertinere; ſicut nullum officium aut beneficium hominis pure in ipſum hominem terminatur, ſed in Dominum ſummum. Cap. XVII. Them. I. & Cap. XIII. Them. I. Igitur etiam agnoſcere poſſum, primo tam acceptionem offenſæ, quam remiſſionem ejus non eſſe in meo dominio. Si enim DEUS communis Dominus noſter faceret alteri conſervo poteſtatem in me, in vitam, in res meas, nihil offenſæ in me committeret ille. Unde ſecundo agnoſco, minimam partem offenſæ, aut prope nihil ad me ipſum pertinere; ſed ſubſtantialem offenſæ rationem in hoc conſiſtere, quia alter me tanquam alienum ſervum eſt aggreſſus. Quid ergo cauſæ eſt, ut nolim remittere? Sumne ego dominus ut à me pendeat remittere vel non remittere? Si Dominus ſummus eandem offenſam remittere paratus eſt, & forte jum remiſit, habeone ergo poteſtatem retinendi? DEI ergo Dominio injurius eſt, qui recuſat offenſam demittere. Idque eo magis, quod jure naturæ obligamur etiam *diligere inimicos*. C. XIX. Them. 26.

Vindicta in genere bona eſt.

2. *Vindicta* autem de ſe & in genere non tantum non eſt mala; ſed etiam bona, quia reddit debitum peccato, nempe pœnam. Et vindicatio eſt ſpecialis virtus, ut probat S. Thomas 2. II. Q. CVIII. Verum debet habere ſuas conditiones.

Si habet debitum finem.

1mo. Ut habeat debitum finem, qui eſt bonum per pœnam procurandum. *Eſt ergo in vindicatione conſiderandus vindicantis animus. Si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo VINDICTAM ſumit, & ibi quieſcat, eſt omnino illicitum, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod charitati repugnat, qua omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excuſatur, ſi malum intendat illius, qui ſibi injuſte intulit malum; ſicut non excuſatur aliquis per hoc, quod odit ſe odientem. Non enim debet homo in alium peccare propter hoc, quod ille peccavit prius in ipſum: hoc enim eſt vinci à malo, quod Apoſtolus probibet ad Rom. XII. Dicens: Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Si vero intentio vindicantis feratur principaliter in aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & ad juſtitiæ conſervationem, & ad DEI honorem; poteſt eſſe vindicatio licita, aliis debitis circumſtantiis ſervatis.* Ita S. Thom. 2. II. Q. CVIII. art. I. Corp.

Et debitum modum ac ordinem.

3. Secundo neceſſe eſt, ut velis vindictam fieri modo & ordine quo per leges conſtitutum eſt: ſecus degenerabit in crudelitatem, & adverſabitur virtuti manſuetudinis ac Clementiæ. Vid. *S. Thomas* 2. II. Q. CLVII. & CLIX.

Vindicare tenentur magiſtratus.

4. Talibus conditionibus vindictam velle imo etiam exercere non tantum licet, ſed imperatum eſt iis, qui ſuperio-

riores legitimi ſunt, peccantque, ni faciant, tum in juſtitiam naturalem, tum in diſtributivam & commutativam. Vide ſupra Them. VII. de odio proximi & VIII de Ira. & Cap. XIX. Them. XXVII. de dilectione inimici. Vid. *S. Auguſtinus* Lib. XIX. contra Fauſtum Cap. XXV. Et contra Adimantum Cap. XVII.

CAPUT XXII.

De Maleficentia, Injuria, & reſtitutione generatim.

Them. I. OMnia, quæ officiis capite præcendente expoſitis contraria ſunt, ſunt maleficentiæ, juri naturæ varie repugnantes.

Id quod multipliciter probatum eſt.

Quid Injuria? *Them. II. INJURIA*, eſt læſio alieni juris, ſeu involatio in jus alterius.

Debitum rigoroſum & minus ſtrictum juris Civilis. *Them. III.* Jure civili dicitur Jus denotare *debitum* in altero. Quod ſolent dividere in *rigoroſum*, perfectum, ſtrictum; & in non rigoroſum ſeu *minus ſtrictum*. Rigoroſo debito, ſi violetur, annectunt reſtitutionis obligationem: minus ſtricto non annectunt, & dicunt potius fundatum in æquitate naturali.

1. Hoc jure humano ſapientiſſime & neceſſario ita conſtitutum eſt. Nam jus civile *directe* leges fert ad *pacem externam* obtinendam. Unde determinationes ejus tales debent eſſe, ut in externis facile apparere poſſint, & ut multitudini litium obex ac terminus ſtatuatur. Determinat ergo Jus civile ejusque periti, in foro fori peti poſſe reſtitutionem in aliquibus caſibus, in aliis autem non, ne in infinitum litigioſæ maneant res, quorum dominium ſemel inter homines *diviſum* eſt. Ubi igitur in foro fori poteſt quis cogi ad reſtitutionem debiti, dicitur illud *debitum rigoroſum*, fundativum Juris in re. Ubi non, dicitur debitum minus ſtrictum, fundans ut plurimum jus ad rem.

Obligat tamen reſtitutio etiam extra debitum rigoroſum civile. 2. Per hoc autem nec Legislatores humani nec Juris conſulti volunt determinare, quaſi nulla unquam reſtitutio eſſet facienda, niſi ubi ipſi determinarunt eſſe debitum rigoroſum. Non hoc Sed aliquibus determinatis, quantum exterius probari ac judicari poſſunt, cetera relinquunt hominum conſcientiæ; quia externis legibus impoſſibile eſt omnia definire. Et ideo non tantum de internis non judicat prætor, ſed neque de plurimis externis, ſed ea arbitrio boni viri & ex æquitate componit, quia ei non eſt poſſibile, exterius omnia examuſſim definire; & quia regulæ illæ generales civiles non ſunt vere generales, nec extendunt ſe ad ea quæ probari non poſſunt externis probationibus. Et, quia jus in re poſſeſſionem ſequens facilis eſt probationis, jus ad rem difficilis; illi plus tribuit judex auxilii, quam huic.

3. Contingere propterea poteſt, ut judex alicui non imponat reſtitutionem, ubi tamen reus revera tenetur reſtituere: contra ut imponat, ubi reus non tenetur. Et contingere poteſt, ut utroque caſu ſit recte judicatum civiliter in foro fori, male in foro poli, quod forum illi judici non ſubiacet, neque ſecundum illud dicit ſententiam. Sicut contingere poteſt, ut judex abſolvat accuſatum de crimine, qui vere ejus criminis ac pœnæ reus eſt; quia juxta regulas fori nec convictus nec confeſſus eſt: contra vero poteſt contingere, ut damnet innocentem, qui juxta regulas fori convictus eſt, & forte ob animi ſtuporem aut imbecillitatem vel alias cauſas confeſſus. Unde judex aliquando imponit reſtitutionem ubi revera non obligatur. Et aliquando non imponit ubi obligat.

In Jure naturæ Debitum aliter definitum quam in Civili. *Them. IV.* In Jure naturæ Debitum ac Jus paulo aliter definiendum exiſtimo, cum ſit aliud forum, alius judex, alius accuſator, aliæ probationes, alia confeſſio.

Quia alius Legislator; 1. Hoc equidem per ſe manifeſtum eſt cuilibet, & nos toto hoc opere, atque in *Larva detracta* monſtrare quæſivimus. *Legislator* enim hic eſt DEUS, qui per naturam eſt dominus creaturæ per naturam ſervæ. Ejus *jus* ſeu juſſus Aliud Jus; extendit ſe ad omnia interna & externa, parva & magna. *Regulæ* ſunt generales omnino, nec tales ut aliqua tangant, alia minime. In hoc naturæ foro ipſe Aliæ regulæ;

Digitized by Google

Alius judex, accuſator, reus, ac teſtis.

reus eſt ſimul *delegatus judex*, ſimul *accuſator*, ſimul *reus*, ſimul *teſtis*.

In foro naturæ ſeu poli leges civiles ſunt tantum adminicula: à quibus judex interdum debet recedere.

2. In hoc foro judex iſte delegatus poteſt quidem uti regulis etiam humano jure conſtitutis; non tamen ut ſolum decidentibus: ſed ut adminiculis quibusdam ad facilius detegendas regulas proprii ac ſummi naturæ judicis. Itaque judex delegatus naturalis hujus fori cum certo deprehendit, regulas civiles non quadrare ad caſum, nec congruere regulis naturalis ſummi judicis, debet ab illis civilibus deviare: quod non licet ordinarie judici in foro fori. Ex. Gr. Jure civili conſtitutum eſt, ut tot annorum poſſeſſor bonæ fidei rem præſcribat ac ſuam faciat. Deducitur res ad forum fori: probatur poſſeſſio; titulus vel probatur vel ex præſumptione ſupponitur; bona fides pariter præſumptione & alterius partis ſilentio deſumitur: Judex fert neceſſario ſententiam, poſſeſſorem abſolvens à reſtitutione. At ipſe poſſeſſor, vel jam ſcit, vel paulo poſt certo deprehendit & titulum falſum eſſe, & fidem malam. Ipſe ſe accuſat in foro naturæ ſeu poli, ipſe ſe convincit, ipſe confitetur. Igitur Ipſe ſe condemnare debet ad reſtitutionem tanquam judex delegatus fori naturalis; eo quod agnoſcat, judicem ſummum delegantem condemnare omnes injuſtos etiam occultiſſimos. Nihil enim eſt abſconditum ab oculis ejus. Id quod & ratio nobis perſuadet, & divina ſcriptura manifeſtiſſime elegantiſſimeque nos inſtruit.

Objectio.

Them. V. Nec prodeſt objicere: Leges juſtas in foro externo, easdem etiam obligare in foro interno ſeu poli. Igitur quæ debita, quæ regulæ, qui rigor eſt conſtitutus in foro externo, idem valet etiam in jure naturæ ſeu foro poli. Vid. Cap. VII. Them. XIII. &c.

Solvitur. Leges fori externi poſſunt ſuperaddere obligationem, non naturalem demere.

1. Reſpond: Leges fori externi *juſtas* valere etiam in interno. *Juſtæ* autem poſſunt eſſe illæ, quæ imponunt aliquam obligationem novam, quæ in jure ſeu ſtatu naturæ non fuiſſet: v. g. quæ imponunt priſtino poſſeſſori, ut re per alium præſcripta careat, neque eam amplius repetere poſſit; atque hinc ille priſtinus poſſeſſor eſt obligatus etiam in conſcientia, poſſeſſionem rei præſcriptæ alteri quietam relinquere. Nam & tales leges poſitivæ fundantur in lege naturali, cum juvent ad facilius obtinendum ultimum finem per pacificam ſocietatem.

Aliàs ſunt injuſtæ.

2. *Injuſtæ* autem ſunt leges fori externi illæ, quæ obligationem priori aut ſuperiori ſtatui plane annexam auferunt. Sic jure naturæ omnis res aliena injuſte ablata reſtituenda eſt: at res aliena mala fide, falſò titulo poſſeſſa, eſt injuſte ablata: igitur hæc eſt jure naturæ reſtituenda. Igitur lex fori externi tollens hanc obligationem reſtitutionis eſſet injuſta, nec poſſeſſor poſſet ea uti; ſed tenetur ſi non reſtituere, ſaltem compenſare & indemnem verum dominum præſtare.

3. Deinde omnis lex humana poſitiva de talibus rebus, ſupponit naturalem: nec adeo ei vult, ſicut nec poteſt, *derogare*. Supponit nempe in dato caſu bonam fidem &c. Et in ipſa ſententia ferenda non lex defecit, ſed forum, id eſt teſtes, inſtrumenta, actores &c.

Fundamentum hujus rei.

4. Fundamentum autem, cur lex humana poſſit addere obligationem novam, non autem tollere antiquam ſeu altiorem, jecimus in *Larva Detracta*. Cap. I. & II. Ubi oſtendimus, ſtatum adventitium reſtringere libertatem ſtatus naturalis, & adjicere obſtrictiones novas antea non habitas; obſtrictiones tamen priores non tollere, utpote non mere arbitrarias.

Rigoroſe debitum Jure naturæ quid?

Them. VI. Jure naturæ *rigoroſe debitum* proximo eſt omne illud, ſine quo non poteſt conſtare ſervitus eſſentialis à DEO imperata; quantum quidem in me conſervo ſitum eſt. *Minus ſtricte debitum* eſt, ſine quo ægre conſtat eadem ſervitus, aut quod minus eſt in poteſtate conſervi.

1. Probavimus id Cap. XVII. & toto hoc opere atque ſuperiore. & Cap. XIX. Them. V. & Cap. XXI. Them. II. Vid. & Cap. III. Them. XXVI.

Differentia Juris civilis & naturalis.

2. Hinc apparet differentia Juris civilis, à quo debiti rigor deſumitur ex neceſſitate ad pacem externam ſocietatis humanæ: à Jure autem naturæ ſumitur à neceſſitate ad pacem internam cum ſummo Domino, ſimul &, per conſequentiam, cum conſervo.

3. Jure civili nemo ſibi ipſi facere injuriam cenſetur, quia ſibi debitor civilis vix eſſe poteſt. At Jure naturæ poteſt quis eſſe ſibi injurius; quamquam non *pure* ſibi. Ut cap. XIII. Them. I. & II. docuimus.

4. Pariter jure civili is, qui ſcandalum à me paſſus eſt, aut orphani, quorum pater ex defectu eleemoſynæ meæ interiit, non habent actionem adverſus me apud prætorem, nec is poteſt me ad reſtitutionem condemnare; cum deſit talis lex. At in foro juris naturæ datur actio & lex & ſententia condemnans me ad compenſationem

nem ſive alteri faciendam ſive DEO vero judici ſi alter non extet &c.

Juſtitia naturalis male negatur eſſe propria juſtitia. Ac debitum naturale ſtricte debitum ſeu perfectum jus &c.

Them. VII. Non placet ea opinio, quæ Juſtitiam naturalem non proprie Juſtitiam dicit: aut jus ac debitum naturale non perfectum jus nec rigoroſum debitum, nec ei contrariam proprie injuriam. Imo *Juſtitia, naturalis eſt excellenter juſtitia*, Jus ac debitum naturale eſt perfectiſſimum jus, rigoroſiſſimum debitum; ſtrictiſſimaque injuria eſt quæ ei adverſatur.

1. Eſt enim hoc jus æternum, immutabile, inalienabile, eſſentiale homini, ac humanæ naturæ. Eſtque origo ac fundamentum omnis alterius debiti, omniſque juris. Quando autem Doctores Juſtitiam legalem vocant minus ſtricte, improprie, ac late dictam Juſtitiam, per illud *minus ſtrictum* nolunt intelligere *minus obligans*, aut *minus debitum*; ſed tantum *minus particulare*. Sicut ſervitus civis erga civitatem dicitur dialectice minus *ſtricte* ſervitus, quam ſervitus mancipii erga dominum; quamvis illa ſit æque imo magis ſtringens; quia quælibet civitas habet Jus vitæ ac necis in civem; at non quilibet herus in mancipium. Unde tota demum lis denique ad quæſtionem nominis deducitur: quo miſſo nos rem potius ſpectamus. Vid. *Maſtrius* Theol. Mor. Diſp. VII. Q. I. art. 5. n. 6. ubi quoad voces nobis videtur contrarius.

2. Ad hunc locum recolenda ſunt, quæ *Cap. XXI. Them. IV.* diximus. *& cap. VII. Them. XXV &c. cap. XVII. Them. XII.* Videatur de Debito legali & Morali *Suarez* de Relig. (Tom. I. Lib. I. Cap. IX.

Injuria ſpectatur materialiter & formaliter.

Them. VIII. Injuria poteſt ſpectari *materialiter* & *formaliter*, tam in Jure naturæ, quam in Jure humano aut ſiqui delicatuli has voces ſcholam olentes exoſi ſunt, in eorum gratiam dico: In injuria poteſt ſpectari tum illud *quod* agitur, tum illud *quo* agitur, ſeu animus, aut etiam reſpectus actionis ad legem æternam.

Exemplum obvium.

1. Ex. Gr. Loquitur aliquis in conventu plurium hominum verbum jocoſum, aut ingenioſum, animo delectandi ſocios, & ex virtute Eutrapeliæ. Eſt autem inter ſocios, quem tangit ille jocus ſenſibiliter, & incipit obſtrepere, ſeque læſum queri. Hic adeſt materia injuriæ, forma non adeſt, ſive non adeſt repugnantia contra legem jura natura moderantem. Vel rixâ in domo exortâ Telemachus occidit patrem Ulyſſem ex longa peregrinatione reducem & non agnitum &c.

2. Hæc & ſimilia facta ſunt materialiter *injuſta*, non tamen formaliter *injurioſa*; quia legem æternam regulam omnium jurium non irruperunt. quæ lex æterna non quolibet actu ſed *plene humano* violatur. Vid, Cap. VI. Them. IV. &c. Add. *Maſtrius*. Diſp. VII. Theol. Mor. Qu. I. art. i. n. 4.

Formalis injuria interdum eſt abſque materiali &c.

Them. IX. Contingit, ut Formale interdum ſit abſque materiali, & viciſſim, Id eſt, ut injurioſa ſit actio abſque effectu, aut effectus abſque injuria.

Exemplum.

1. Exemplum primi eſt, cum quis duas habet gemmas forma per omnia ſimiles, ſed alteram genuinam, ſpuriam alteram. vult ſpuriam cuidam vendere pretio magno pro genuina: ſed dum tradit, fortuito tradit ipſam genuinam. Hic formaliter eſt injurioſus in jure naturæ; materialiter non.

2. Exemplum ſecundi eſſet, ſi volens genuinam vendere gemmam, per errorem tradit ſpuriam genuinæ ſimilem.

Poteſt aliquis pati injuſta, quin alius injuſte egerit.

Them. X. Hinc conſequitur, poſſe aliquem pati injuſta, quin is, qui egit, injurioſe egerit. Ac viciſſim poſſe aliquem injurioſe agere, quin alter injuſta patiatur. Præſertim in jure naturæ.

Cum enim jus naturæ *præcipue* animum, finem, ac forum poli ſpectet, ſecundario autem externa; & cum injuria, quantum ad jus naturæ ſpectat, præcipue conſtat in illo, quod formale diximus, ſeu quod deordinatur à lege æterna; ſequitur, præcipue in jure naturæ poſſe hæc duo ſeorſim contingere.

Injuria & damnum ſunt diverſa.

Them. XI. Injuria & *Damnum* non ſunt idem.

1. *Injuria* eſt diſſonantia à jure, ſeu juſſu, lege. *Damnum* eſt amiſſio alicujus rei habitæ aut habendæ.

2. DEO fit injuria per peccatum blaſphemiæ, ſuperſtitionis &c. damnum ei non fit. DEUS ſi etiam ſine culpa agreſtium grandine perdit ſegetes, damnum facit, injuriam non facit.

3. Sic etiam miles hoſtium terram vaſtans damnum infert, non injuriam. Qui adverſus hoſtem diſſeminat ſcripta ſeu manifeſta enormia & infamia, injuriam facit hoſti, damnum ſeu detrimentum honoris non facit, ſaltem apud prudentes; ſed potius ſibimet. Ita magiſtratus, plectens capite latronem, infert damnum, non injuriam.

Them. XII. Poteſt ab altero injuria, ab altero damnum proficiſci.

1. Sunt enim hæc ſeparabilia & diſtincta. Them. XI.

2. Ex. Gr. Miles juſſus inferre damnum aliquod leve hoſti, mandato non rite intellecto infert grave. Si id bellum fuit injuſtum, injuriam committit princeps, non miles, qui bona fide obtemperat: damnum, quatenus gravius eſt mandato, infert miles, non princeps.

Et damnum & injuria poſſunt à pluribus proficiſci cooperantibus.

Them. XIII. Poteſt tam damnum quam injuria à pluribus proficiſci, cauſari, ſeu inferri, diverſo gradu cooperandi, qui gradus enumerari ſolent his duobus verſiculis, & in Catechiſmo noſtro ſaluberrimo, vocantur novem peccata aliena:

Juſſit, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus. Participans, Mutus, non Obſtans, non manifeſtans.

Cooperantur inter alios Adulator.

1. Hic *Palpo* ſignificat laudatorem vel adulatorem incitantem alios ad male faciendum, vario modo; ut ſi ipſum peccatum laudet, commendet; ſi alterum ignavum dicit, nî malum faciat &c.

Refugium præbens.

2. *Recurſus* ſignificat refugium, noſtro Germanico verbo der Hehler iſt wie der Stehler.

Tacens.

3. *Mutus* dicitur ille, qui cum poſſet & deberet loqui, monere, clamare, reprehendere &c. id omittit.

Non obſtans.

4. *Non obſtans* ille eſt, qui operâ & auxilio ſuo non impedit malum, quod poſſet & deberet impedire.

Non denuntians.

5. *Non manifeſtans*, qui non denuntiat eum, qui vel facturus eſt male vel fecit: contra præceptum fraternæ correctionis. Cap. XXI. Them. XI.

Injuria quando fit cum aut ſine culpa.

Them. XIV. Injuria formaliter (Th. VIII.) nunquam eſt ſine culpa. Materialiter poteſt eſſe ſine culpa, ſicut & damnum.

Culpa Theologica.

Nam Injuria formaliter eſt deordinatio à lege: & quidem in Jure naturæ ſeu ſoro poli injuria eſt deordinatio à lege æterna. Hæc autem ipſa eſt culpa, Ipſum peccatum. Hæc culpa Juris naturæ ſolet dici Culpa *Theologica*: non Ideo, quia ad ſolam theologiam revelatam pertinet de ea tractare, ut falſi juris naturæ doctores aſſerunt: ſed ideo, quia eſt transgreſſio legis *divinæ*, nempe naturalis, omnino ad forum juris naturæ pertinens.

Culpa civilis.

Them. XV. Poteſt dari aliqua culpa ſine injuria Juris naturæ: nempe culpa civilis, & ut vulgo dicitur *juridica*, ſeu mere politica.

Culpa lata, levis, leviſſima.

1. Eaque triplex ſolet aſſignari, *Lata Levis*, & *Leviſſima*. *LATA* cenſetur quando quis omiſit diligentiam ab hominibus ejusdem conditionis communiter adhiberi ſolitam: ut ſi domo egreſſus non clauſit oſtium, cui fur deinde ſurrepſit. *LEVIS* culpa eſt cum quis omiſit diligentiam à prudentioribus tantum adhiberi ſolitam: ut ſi clauſit oſtium ſed obiter tantum & non bene. *LEVISSIMA* culpa, cum omiſit diligentiam extraordinariam: ut ſi, clauſo oſtio, non tentavit iterum an peſſulus ſit obductus &c.

2. Poteſt autem contingere ut quælibet diligentia plane involuntarie fuerit omiſſa. In quo caſu non erit injuria Juris naturæ, ſeu violatio legis naturæ, ſeu peccatum: ſed erit tamen culpa politica, & cenſebitur injuria materialis. Add. Them. VIII.

Injuria committitur erga DEUM, ſeſe, ac proximum.

Them. XVI. Injuria committitur tam erga DEUM, quam erga ſeſe, & denique erga proximum: omnes tres pertinentes ad legem naturæ: Prima & tertia etiam ad leges poſitivas.

1. Quia dantur officia juris *naturæ* erga DEUM, ſe, ac proximum: ergo etiam transgreſſio illorum, ac læſio debiti naturalis.

2. Erga ſe ipſum autem non fit injuria lege *poſitiva*; quia vix extant ſpeciales leges poſitivæ, injungentes officia erga ſe ipſum. Vid. *S. Thomas* 2. II. Qu. XLIV. art. III. ad. 1.

Reſtitutio quid?

Them. XVII. RESTITUTIO ex vi nominis eſt alicujus ſtatus male mutati reductio ad priſtinum ſtatum.

Per omnem malam mutationem tollitur medium:

Them. XVIII. Per omnem malam Status mutationem læditur *æqualitas*, *proportio*, aut *ordo*; ſive tollitur medium *rei*, *rationis*, aut *naturæ*.

Medium aliud rei, ſeu. Arithmetica æqualitas.

1. *Medium rei* dicitur æqualitas Arithmetica ſeu numerica: ut ſi cui ablati ſunt decem, requiruntur decem ad priſtinum ſtatum ſeu æqualitatem obtinendam. Hoc ſpectatur à Juſtitia commutativa

Medium rationis, æqualitas geometrica.

2. *Medium rationis* dicitur æqualitas Geometrica ſeu gradata pro ratione ſubjecti: ut ſi Centurioni negatum eſt præmium, quod ei debetur decuplo majus quam decurioni, non reponitur In priſtinam æqualitatem per præmium decurionis ipſi attributum, ſed per præmium centurionis.

Medium naturæ, æqualitas & ordo naturæ.

3. *Medium naturæ* eſt æqualitas & ordo ab arbitrio aut conventionibus hominum non, ſed à naturæ conditore ac moderatare conſtitutum ac pendens. Ut ſiquis intellectu ſuo abuſus eſt ad vana, ſuperſtitioſa &c. excogitandum, non reſtituitur in medium & ordinem debitum niſi ea abdicando, & rurſus ſe DEO ſubjiciendo, ſatisfaciendo. Vid. Cap. IX. Them. V.

Omnis injuria formalis aliquid male mutat.

Thema XIX. Omnis injuria formalis & culpa, certe *aliquid* in aliquo ſtatu male mutat.

Pro-

Digitized by Google

Probari id poteſt exemplis priori themate allatis.

Igitur ex omni tali injuria oritur reſtitutio.

Them. XX. Igitur ex omni injuria formali ſequitur obligatio reſtitutionis pro modo ac menſura mutatæ æqualitatis ſeu medii.

Quia male per nos mutata neceſſario ſunt, quantum in nobis eſt, iterum ad bonum reformanda ut ante fuerant. Bona enim à nobis non ſunt condita, nec noſtro dominio proprio ſubſtant; cum toti, quanti ſumus, ſervi ſimus. Igitur bona mutando contrectavimus alienum: alienum debet à nobis abeſſe, igitur reſtitui.

Reſtitutio eſt actus Juſtitiæ variæ pro diverſitate medii violati.

Them. XXI. Reſtitutio igitur eſt actus Juſtitiæ variæ pro modo vario medii ſeu æqualitatis interverſæ.

Reſtituere ordinem naturæ eſt actus Juſtitiæ naturalis.

1. Reſtituere æqualitatem & ordinem naturæ tantum, eſt actus *juſtitiæ naturalis* ſeu univerſalis tantum: ut qui judicium ſiniſtrum de proximo tulit mere internum, reſtituit ordinem naturæ deponendo illud. Qui ordinem etiam externe male mutavit, debet etiam externe, ut poteſt, reſtituere: e. g. qui luxuriando, potando &c. valetudinem ſuammet corrupit, debet non tantum ceſſare, non tantum DEO per pœnitentiam ſatisfacere conari, ſed etiam quod in valetudine corruptum erat, ut poteſt, reſarcire: ob quam cauſam etiam excuſatur interdum à jejunio. Qui in alium hominem contra jura naturæ injurius fuit actu externo, v. g. mendacio ipſum docens falſa, aut mala, tenetur falſa revocare, mala dedocere; etiamſi ex mala doctrina alter fortaſſe reipſa damnum non caperet; v. g. quia ille altet in invincibili ignorantia, adeoque bona fide eſt. Niſi forte dedocendo præcipitares ipſum in malum, quod gravius eſſet ipſo errore, quem dedoceres.

2. Cauſa noſtri aſſerti hæc eſt. Quia in reſtitutione jure naturæ ſimpliciter debita, radix non eſt *damnum*, ſed turbatio ordinis ſeu juſſûs naturalis: alias DEO offenſo non deberetur ſatisfactio, quia ei damnum nullum fit. Vid. Cap. IX. Them. V.

Reſtituere æqualitatem rationis politicæ eſt actus Juſtitiæ *diſtributivæ*.

Them. XXII. Reſtituere æqualitatem Politicam, ſeu hypotheſi civilis regiminis inductam, ſecundum *medium rationis* & proportionem Geometricam, eſt actus juſtitiæ particularis *diſtributivæ*: fundatus in Juſtitia univerſali ſen naturali.

1. E. g. Princeps ſi plures homines inidoneos admovit officiis, debet honeſta quadam ratione mutationem facere, & dignos admovere; indignis illis alia paulatim conferendo, quibus digni eſſe poſſunt. Vel debet dignos una occaſione neglectos reproducere in alia occaſione: tamdiu enim manet deturbatio & mala mutatio ſtatus, quamdiu hoc non fit: igitur manet ſemper obligatus ad mutationem bonam, ſeu reſtitutionem.

2. Sæpe etiam poteſt contingere, ut Princeps & magiſtratus peccet in his contra juſtitiam *commutativam*, & obligetur ad reſtitutionem ſecundum medium rei. Nempe ſi damnum his aut illis per hoc illatum eſt, aut pactum non ſervatum &c. Quare recte S. Thomas docet: *Princeps, qui tenentur cuſtodire juſtitiam in terra, ſi per eorum defectum latrones increſcant, ad reſtitutionem tenentur: quia reditus, quos habent, ſunt quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta, ut juſtitiam conſervent in terra.* 2. II. Qu. LXII. art. III. Corp.

Reſtituere medium rei, actus *Commutativæ*.

Them. XXIII. Reſtituere ordinem turbatum ſecundum *medium rei* & proportionem arithmeticam eſt actus juſtitiæ particularis *commutativæ* e. g. qui alteri abſcidit injuſte manum, quia manum reddere nequit, debet reddere id, quod manui æquivalet, ſeu id ſit legibus definitum, ſeu arbitrio definiatur, nempe ſufficientem pecuniam, aût alimenta &c.

Reſtitutio particularis in conſcientia obligat, cum fundatur in naturali.

Thema XXIV. Sicut Juſtitia particularis dirigitur ab univerſali ſeu naturali, & tunc ſolum ligat animam, quando fundatur in univerſali: Ita reſtitutionis quoad medium rei ac rationis obligatio tunc ſolum tangit animam cum fundatur in reſtitutione naturali.

Hac ratione depoſitus gladius non eſt reſtituendus furioſo vel proditionem molienti &c. quia per talem gladii reſtitutionem ſervaretur quidem medium rei ſeu juſtitia particularis; at læderetur medium naturæ ſive juſtitia univerſalis & naturalis; eo quod reſtituens gladium cooperaretur furioſo ac proditori.

Reſtitutio impoſita in foro, regulariter obligat in conſcientia

Them. XXV. Si per leges aut. per legitimam ſententiam imponitur onus reſtitutionis, obligat id regulariter etiam in conſcientia; etſi forte Juſtitia naturalis ex ipſo objecto rei non obligaret.

Quia leges adventitii ſtatus poſſunt ab obligationibus naturalibus nihil quidem detrahere; poſſunt tamen aliquid addere, neceſſarium ad ſtatus adventitii juſti conſervationem, quæ conſervatio fundata eſt in jure naturali. Vid. Them. V. & *Suarez* Lib. II. de Legib. cap. XIII. n. 1. & Vid. Cap. VII. Them. IX.

Radices reſtitutionis ex juſtitia commutativa, duæ:

Them. XXVI. Radices reſtitutionis ex Juſticia commutativa debitæ duæ

ſunt

ſunt *Injuria formalis* contra juſtitiam commutativam, & *Injuria materialis* contra eandem Vid. Them. VIII.

Ex re accepta: Ex injuſta acceptione.

Aliter ſeu aliis tantum verbis hæ duæ radices exprimuntur: prima *Ex re accepta* ſecunda *ex injuſta acceptione* ſive læſione.

Aliter etiam duæ ſunt radices: *Damnum* & *Damnificatio.*

Exempla.

Ex. gr. Si in meam domum delata eſt pecunia aliena, me etiam ignaro, imo prohibente, teneor eam ſuo domino reddere, & æqualitatem illam rei reſtituere ex radice *rei acceptæ*, ſeu ex *injuria materiali*, ſeu ex *damno*, quod alter patitur.

Si furibus ſeci viam ad alienam domum, ut inde auferrent pecuniam alienam, teneor etiam ego eandem reſtituere, ex radice *injuſtæ læſionis*, ſeu *injuriæ formalis*, ſive *damnificationis*, etiamſi nec obolus inde mihi contigerit, etiamſi noluerim inde quidquam pro me retinere.

Menſura reſtitutionis commutativæ.

Them. XXVII. Menſura reſtitutionis commutativæ faciendæ triplex eſt.

{ 1. Poſſibilitas.
{ 2. Quantitas poſſeſſionis, regulans primam radicem.
{ 3. Quantitas damni ſeu læſionis, regulans ſecundam radicem.

Exempla.

1. *Exemplum primæ.* Mercator ad incitas redactus etiam culpâ ſua, non tenetur reſtituere neque æs alienum bona fide acceptum, neque defraudationes in mercatu commiſſas; quamdiu eſt in impoſſibilitate reſtituendi: neque tenetur propterea ſame perire, ſed poteſt reſiduis in conſcientia licite uti ad ſuam ſuſtentationem.

2. *Exemplum ſecundæ.* Principis miniſtri intulerunt in ærarium ejus, ipſo ignorante, centum millia aliquot ſubditis extorta per vim, minas, injuriam, fraudem. Princeps tenetur eis reſarcire centum millia. Quodſi ex iis quinquaginta millia perierunt caſu ſine culpa Principis aut eorum, quibus ſpeclale negotium dedit, tenetur tantum quinquaginta millia reſtituere. Si vero quinquaginta millia vel omnia centum millia eſſent impenſa in ſumptus faciendos, nihilominus debet totum reſtituere; quia exinde *ditior factus* eſt; retinuit enim apud ſe alia centum millia, quæ debuiſſet in illos ſumptus impendere. Si vero centum illa millia inutiliter dilapidavit luxu, vanitate, luſu, nihilominus debet totum reſtituere; quia ſi non licet utiliter impendere alienum, multo minus inutiliter, vane, luxurioſe & peccaminoſe. Nec audiendus Puffendorffius cum ſuis, Lib. IV. J. N. cap. XIII. §. 7. docens. *Non teneri, utut culpâ ipſius res perierit. Nam bona fides tantiſper erat ipſi inſtar dominii. Domino autem ſi ſua res etiam propria culpa perit, ſatis damni eſt, rem amiſiſſe, nec ulterius eo nomine tenetur.* Pulcrum ſpecimen Logicæ Puffendorffianæ. Princeps propter bonam fidem eſt *inſtar* domini, & quidem *tantiſper*, (id eſt, donec bona fides ſubſiſtit) Atqui domino non inſtar ſed *abſolute* tali non incumbit obligatio ulla ſi rem abſolute ſuam ſua culpa perdit. Ergo hic Princeps ad nihil tenetur, etiam poſtquam illud *tantiſper* ceſſavit. Ubi manifeſte Puffendorffius de domino ad inſtar tali & conditionare eadem infert, quæ abſoluta tantum conveniebant. Præterea falſum eſt, bonam fidem dominium tribuere rei alienæ: ſed tantum ſuſpendit effectum reſtitutionis. Præcipue in Jure Naturæ. Quodſi per illam pecuniam lucratus eſt aliquid mercimonio, legatione &c. debet reſtituere ipſam pecuniam aut æquivalens, non autem lucrum; quia lucrum eſt fructus ſuæ *induſtriæ* non pecuniæ, quæ per ſe mortua eſt & ſterilis

3. *Exemplum Tertiæ regulæ.* Princeps feras necari vetat circa aliquam villam, atque etiam arceri ab agris: feræ ergo depaſcuntur dimidiam partem ſegetum illius villæ. Princeps tenetur reſarcire damnum, jure naturæ. Item nobilis quidam juvenis ex petulantia trajicit canem villici, vigilem cuſtodem ſtabuli: tenetur reſtituere non ſolum pretium canis, ſed & damnum emergens, aut lucrum ceſſans. nempe quia villicus alio cane deſtitutus debet per ſe aut homines ſuos vigilias agere, poteſt hanc operam computare in pretium canis à juvene ſolvendum &c.

Ordo reſtituentium, cum plures ad injuriam concurrerunt.

Them. XXVIII. Ordo reſtituentium, cum plures ad injuriam concurrunt, talis eſt, ex plerorumque doctorum & expertorum virorum æſtimatione.

1mo loco tenetur is, qui rem ablatam habet in ſe vel in æquivalenti.

2. Mandans injuriam, ſi ejus mandatum fuit cauſa damni.

3. Executor mandati.

4. Conſulens, conſentiens, Palpo, participans & recurſum præbens: qui poſitive cooperantur.

5. Mutus, non obſtans, non manifeſtans; qui negative concurrunt. Et ſiquis inter hos ex officio eſt conſtitutus ad cuſtodiam, is præ ceteris tenetur. Cetera a circumſtantiis pendent.

Ratio eſt, quia ſtatim apparet, generatim loquendo, hoc ordine damnum ipſum conſtare; igitur hoc etiam ordi-

ordine eſt ſolvendum. Vid. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. VII. Qu. II.

Propoſitio damnata ab Innocentio XI. an. 1679. huc pertinet; ita ſonans: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem illius damni illati* an. 1679.

In materia reſtitutionis non eſt tutum ſequi heterodoxos Naturaliſtas

Them. XXIX. In materia reſtitutionis ex jure naturæ ſeu in foro conſcientiæ, nemo ſeu princeps ſeu privatus poteſt tuto ſequi pleroſque Proteſtantes Juris naturæ doctores. Vid. Cap. XII. Them. VI.

1. Hoc enim negotium opus habet fundamento: nec anima ſeu conſcientia debet in lubrica glacie exponi, ut natura patet. At iſti doctores fundamento tali carent: cum alii omnia jura fundent in ſocietate: ubi igitur ſocietati non naſcitur periculum, ibi nullum jus, nulla obligatio.

2. Alii ad omnia propter commoda tantum hujus vitæ nos obligari docent. Poteſt autem furtum & talia ſæpe commodius videri: igitur etiam juſtius. Vid. *Larva detracta.*

3. Alii ſola ratione, excluſa omni auctoritate etiam divina, terminandum jubent. Peccare autem volenti vel reſtituere nolenti nunquam deerunt rationes aliquæ. Nec poſſibile eſt, DEO ſepoſito, inveniri rationem efficaciter moventem. At hæc hisque plura in *Larva Detracta* ventilavimus.

4. Sunt plerique mali dialectici, & ſophismata ſerunt, in rebus graviſſimis. Quæ detegere iterum non eſt cujusvis. Vid. *Larva Detracta.*

5. Sunt erga Catholicos malevoli. Nemo autem malevolos doctores aut conſiliarios tuto ſequitur.

6. Sunt aut obſcuri, aut confuſi, aut nulla certa principia habent, aut civilia naturalibus, humana divinis conturbant, aut exiliter & jejune de rebus graviſſimis & æterni momenti tractant. Quæ omnia in *Larva Detracta* oſtendimus, & oſtendere multo uberius potuiſſemus.

Catholici doctores ſunt &c.

Them. XXX. Catholici Doctores tutiores, ſalutis veræ ſtudioſiores, doctiores, magis experti, clariores, in principiis certiores, ac infinitis, ut ita dicam, paſſibus pleniores. Sic tamen ut aliqui etiam in aliquibus exerraverint, quos deprehendere facilius eſt, quia extant eorum ſententiæ à ſumma Sede correctæ ac damnatæ.

Tutiores.

1. Sunt *tutiores*, quia ducunt ac ducere ſtudent non ad quævis momentanea commoda; ſed æterna, ut par eſt, omnibus præferunt, ſaluteque animæ poſt omnia poni jubent, hortantur, rogant.

2. Sunt ſalutis ſtudioſiores, horum enim plurimi totam vitam & omnem laborem ſuum in hac una cura animarum conſumpſerunt, ut S. Thomas & innumeri alii.

Doctiores.

3. Sunt *doctiores*, quia non pro cerebri pruritu (pauciſſimis forte exceptis) ſcribunt, ut quæque in mentem veniunt, ſed jactis veris fundamentis; & ſunt in demonſtrationibus ac ſpeculationibus verſatiſſimi adeo, ut hæretici etiam nimietatem incuſent. At DD. Proteſtantes ut plurimum eruditi elegantibus diſciplinis quidem ſunt, non tamen profundi in contemplationibus. Quod Ariſtoteles deſiderat in Politico ſeu juris univerſalis ſtudioſo.

Magis experti.

4. Sunt *magis experti*: quia multi eorum ampliſſimas jurisdictiones exercuerunt: fuere epiſcopi, maximorum judiciorum aſſeſſores aut præſides. Et, quod eſt momenti ſummi, curam animarum innumerarum omnis ordinis perpetuo in conſiliis, in ſacro tribunali geſſerunt; ubi fere ſolum de jure naturæ agitur. Illisque fideles ſua intima, totumque naturæ ſenſum ſine reſtrictione aperiunt. Quæ ſane peritiam creare Juris naturæ talem poſſunt, cui nullo modo conferri Puffendorffiana aliqua vel Heinecciana poſſit, aut Wolffiana; quibus nemo vel equum claudum commiſerit, nedum animam ſauciam.

Clariores.

5. Sunt *clariores*; quia accurate definiunt, ſolerter diſtinguunt ac dividunt, res magnas graviter in pugnum contrahunt: Nihil improbatum relinquunt: ab objectionibus omnia vindicant. Quæ in heterodoxis invenire non eſt: cum aliqui in paragraphos diſtinguentes, ipſa conciſione majorem obſcuritatem creent: alii Aſiaticum flumen effundant, mixtum ac turbidum.

Certiores.

6. Sunt in principiis *certiores* quia eorum principia à tot ſeculis nec evanuerunt, nec convelli potuerunt. Heterodoxi vero ſtatim invicem pugnant, non de concluſionibus ſed de primis principiis, uti in *Larva Detracta* demonſtravimus. Præterea quidquid boni principii ac regularum habent heterodoxi in jure naturæ, illud omne hauſerunt ex doctoribus Catholicis; ſine quibus in hodiernum diem nihil ſcirent.

Pleniores &c.

7. Sunt immane quantum *pleniores*. Quippe de ſola hac reſtitutionis materia poſſet non parva bibliotheca confici ex Catholicis doctoribus; quam ſuſpenſiſſimo veſtigio tranſeunt heterodoxi, velut parum ad jus naturæ facientem; credo quia non exiſtimant reſtitu-

nem pertinere ad ſocietatem. Eandem plenitudinem habent Catholici Doctores in aliis omnibus materiis Juris naturæ; quarum nulla eſt, quæ non amplis commentariis de ea ſeorſim ſcriptis à pluribus doctoribus ſit illuſtrata accuratiſſimeque pertractata.

Vid. S. *THOMAS* 2. II. Qu. LXII. *SCOTUS* III. Sent. Diſt. XV. *SUAREZ* *RAYNAUDUS* Tom. IV. de Virtutibus Lib. III. & IV. & omnes Theologi in tractatu de Juſtitia & Jure, præcipue de Reſtitutione.

Videndi & Juris Conſulti ad Titulos varios, ut *de Furtis; Depoſitis; Actione rerum amotarum*, & multis aliis, ubi leges quidem civiles Romanas enucleant, ſed quam illæ vim à natura habeant, ſolerter plerumque indagant.

CAPUT XXIII.

De Reſtitutione bonorum Spiritualium, Moralium, Naturalium, & fortunæ.

Quæ bona ſpiritualia? &c.

Them. I. Bona Spiritualia, ſeu animam ſpectantia ſunt alia *Naturalia*, ut ingenium; alia *Moralia*, ut inclinationes ad bonum; alia *ſupernaturalia*, ut Gratia Chriſti, fides, Sacramenta &c.

Spiritualia bona lædens tenetur reſtituere.

Them. II. Qui in proximo bona ſpiritualia naturalia lædit, aufert, minuit, impedit, tenetur pro poſſibili eadem reſtituere, reſarcire, augere, impedimenta removere &c.

1. Obligatio enim eſt generalis; & repugnat rationi, reſtituendas eſſe res viles ſordenteſque, ut aureum, agrum; non autem reſtituendas pretioſiſſimas, ut ingenium memoriam &c. Vid. Thema XIX. Cap. XXXII.

Exempla.

2. Exempla ſint iſthæc. aliquis ex petulantia vel odio miſcuit alteri potum, ex quo perdidit uſum rationis, memoriæ promptitudinem, perſpicaciam intellectus, artem qualemcunque bonam. Is tenetur medicamentis aliiſque mediis opportunis promovere reſtitutionem naturalem. Quodſi ea reſtitui non poſſunt, & læſus propterea alia damna vel patitur ipſe, vel aliis cauſat, ille primus cauſator tenetur omnia reſarcire. v. g. ſi furioſus ejusmodi incenderit ſtatim domum: Si ipſe ob defectum amiſſæ artis egens & mendicus eſt factus.

3. Qui alium docuit errores practicos, id eſt influentes in actionem, damnoſam, peccamminoſam &c. tenetur Jure naturæ primo dedocere ſeu medium naturæ reſtituere; deinde reſarcire damna inde ſecuta, quantum vis doctrinæ ipſius influxit in actiones, ſive in lucrum ceſſans, aut damnum emergens. Vid. Them. XXI. cap. XXII.

Læſio famæ reſarcienda.

Them. III. Qui lædit famam proximi, ſive qui eſt cauſa, ut alii male exiſtiment de quodam homine, tenetur jure naturæ reſtituere, ſive curare ut mala exiſtimatio ceſſet. Item tenetur reſarcire damna ex diffamatione ſecuta.

1. Eſt id adeo certum, ut probatione non egeat, cum immediate deducatur ex regula Juris naturæ: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c. Vid. *Scotus* in IV. Sent. Diſt. XV. Qu. IV. *Pouget* Inſtit. Cathol. Part. II. Sect. III. cap. IX. §. 2. &c.

Detractio ſit etiam vero dicendo.

2. Detractor autem ſeu famæ temerator etiam is eſt, qui alterius peccatum *etiam verum* revelat, modo illud ſit *occultum*. Quia occulte peccando non perdit jus ad famam, quæ externa eſt.

3. Excipiuntur tamen caſus, ubi obligaris ad denuntiationem. Vid. Them. XIV. cap. XXI. Item defenſio ſui, aut gravis neceſſitas &c.

4. De Detractione autem videantur ampliſſimi tractatus & exquiſitiſſimi ſere omnium noſtrorum Theologorum.

5. Sunt aliquæ propoſitiones de hoc argumento damnatæ: ut: *Quidni non niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?* Innocent. XI. an. 1679. Item: *Eſt licitum Religioſo vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe vel ſua religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi religioſo vel ejus religioni publicè & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.* Alexand. VII. an. 1665.

6. Vid. S. *Thomas* 2. II. Qu. LXXIII. & LXXII. de *Contumelia*. LXXIV. & ſeqq. de *Suſurratione, deriſione, maledictione*. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. VIII. Qu. III.

Them. IV.

Temerarie judicans quo modo reſtituat?

Them. IV. Temerarie de proximo judicans jure naturæ tenetur reſtituere medium naturæ, i. e. deponere illud judicium.

Id enim tenetur ex naturæ jure reſtituere, quod male mutavit. Them. XVII. Cap. XXII. At talis judicans nihil mutavit, quam opinionem internam: igitur nihil tenetur reſtituere quam iſtam. Niſi quod & maxime erga DEUM debeat ſuper hoc pœnitentiam agere. Them. XVI. cap. XXII. Sic etiam ſentiunt Doctores Salisburgenſes P. *Mezger* & P. *Babenſtuber*, quos allegat P. *Elbel* De Reſtitutione num. 238.

Quid ſcandalum?

Them. V. Scandalum eſt dictum aut factum minus rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ.

Eam definitionem pulcre defendit S. *Thomas*. 2. II. Qu. XLIII. art. I.

Activum & Paſſivum.

Them. VI. Scandalum *Activum* eſt quod aliquis voluntarie dat alteri, ut qui turpia loquitur. *Paſſivum* eſt, quod quis patitur, cum alter dare non intenderit, ut cum verbum honeſte prolatum alter interpretatur impudice aut inimice.

Aliàs vocatur Scandalum *Datum*: & alterum Scandalum *Acceptum*.

Omne ſcandalum eſt contra jus naturæ.

Them. VII. Omne ſcandalum juri naturæ repugnat.

1. Ratio manifeſta eſt, quia eſt peccatum contra charitatem, & Dominium DEI. Nam is qui dat ſcandalum, intendit perdere animam ſeu virtutem conſervi, cujus naturalis dominus eſt DEUS.

2. Is vero qui accipit ſcandalum, conſentit peccato, & ruinæ ſe involvit contra ſummum DEI dominium. Præterea tale ſcandalum *tantum* acceptum conjunctum eſt cum temerario judicio, contemptu proximi &c. Quæ omnia peccata ſunt, alias graviora, alias leviora, pro qualitate materiæ &c. ut S. *Thomas* demonſtrat 2. II. Qu. XLIII. Art. IV. Alexand. *Natalis* Lib. IV. Theol. Dogm. in quintum præceptum articulo V. viginti tres bonas regulas tradit circa varia ſcandala, ut de ornatu mulierum, Hiſtrionibus, luſoribus &c. *Suarez* De Charitate Diſputat. X. tota.

Scandalum perit reſtitutionem.

Them. VIII. Scandalum activum parit obligationem reſtituendi medium naturæ, aut rationis, aut rei.

1. Probatio continetur in ipſa definitione ſcandali, quia præbet occaſionem ruinæ, ſeu malæ mutationis, quæ mutatio in priorem ſtatum, reducenda eſt. Them. XVII. &c. Cap. XXII.

2. Eſt hæc etiam communis naturæ vox. Quippe moribundi ſolent cupere, ut omnia, quæ malis exemplis ipſi corruperunt, reſtituantur; ut inimicitiæ & offenſiones verbis vel rebus cauſatæ deleantur. &c. Hinc veniam rogant, parati reſtituere, ſi poſſent.

3. Quod ſi ſcandalo mutatum eſt etiam medium rei, hoc quoque reſtituendum eſt, ut ſi hortatione aut conſilio pravo induxiſti aliquam ad ſurandum &c.

Læſores bonorum ſupernaturalium in alio non ſunt abſolvendi à reſtitutione.

Them. IX. Qui alteri abſtulerunt, vel cauſa fuerunt amittendæ gratiæ ſupernaturalis, fidei, ſpei, charitatis, baptiſmi non recipiendi, aut æternæ beatitudinis amittendæ, perperam dicuntur immunes ab onere reſtitutionis, ex ea cauſa, quia hæc ſint altioris ordinis, & ſint pretio inæſtimabilia.

1. Nam & fama eſt pretio inæſtimabilis viro honeſto, gravi, nobili &c. ergo eidem non eſt reſtituenda?

2. Quod autem gratia & cetera ſupernaturalia non ſint in noſtra poteſtate, ut ea reſtituamus, non ſimpliciter verum eſt. Eodem enim argumento probaretur, neminem poſſe eſſe cauſam amittendæ gratiæ. Quodſi igitur potuiſti efficere, vel media ponere, ut poſſet gratia amitti, debebis jam ponere media, aut tollere impedimenta recuperandæ. Et ſicut tu non immediate gratiam expuliſti (nec enim id in poteſtate eſt hominis alterius): ita eam nec immediate reddes: ſed coadjuvabis pro viribus ut recuperetur.

3. Hinc facies eleemoſynas, orationes, jejunia, adhortationes contrarias prioribus, exempla bona &c. quia DEUS dignatus eſt declarare, non quidem talia opera mereri gratiam, ſed ſe gratiam gratuito daturum his conditionibus, ſi nimirum orationibus inſtemus &c.

4. Certe ſi is, qui tantum non impedit furtum aurei, tenetur ad reſtitutionem Them. XIII. Cap. XXIII. quanto magis tenetur facere omnia poſſibilia ad recuperandum is, qui rem omnium pretioſiſſimam fecit perire? Eadem inſtantia (ut ajunt) eſt in valetudine, uſu membrorum &c. amiſſis per culpam alterius.

Them. X. Neque obſtat, quod nemo amittat gratiam niſi volens: Volenti autem non fit injuria: ergo nec reſtitutio ei eſt facienda.

Non obſtat: Quod volenti non fit injuria.

℟. 1. Argumentum laborat falſo ſuppoſito; tametſi enim poſtquam ſeductus fuit aliquis, conſentit in peccatum, & vult gratiam amittere; tamen antequam ſeducebatur, non voluit: igitur in hac facta eſt ei injuria, quod ejus voluntas bona ad malum diſpoſita fuit. Quæ injuria per contrariam diſpoſitionem debet pro viribus reparari.

Nec, quod læſio illa ſit contra legem tantum Charitatis.

2. Quando igitur doctores dicunt, ſeductorem tantum *lege Charitatis* obligari ad reparationem, non lege juſtitiæ; hic Charitatem contradiſtinguunt Juſtitiæ particulari commutativæ, non autem Juſtitiæ univerſali, Naturali aut Divinæ, quæ juſtitia eſt ipſa *Lex Charitatis*. Vid. P. Elbel de Reſtitut. num. 199. &c. Vid. infra Them. XIV.

3. *Scotus* in IV. Sent. Diſt. XV. Qu. III. n. 3. iſtam objectionem confutat, ejusque commentator num. 11. &c. contra modernos, inquientes, teneri tantum ad reſtitutionem ex vinculo charitatis, non ex juſtitia. Addatur idem *Scotus* in Reportatis Lib. IV. Diſt. XV. Qu. IV. Scholio V. *Maſtrius* Theol. Mor. Diſput. VIII. Qu. I.

Homicidium eſt generatim contra jus naturæ.

Them. XI. Homicidium generatim repugnat Juri naturæ.

Solus enim DEUS ut eſt auctor vitæ humanæ, ita ſolus eſt ejus Dominus, & quicumque dominium vitæ ſibi arripit, is in jus DEI involat.

Niſi à DEO acceptam poteſtatem habeat.

Occidere injuſtum aggreſſorem non item.

Them. XII. Occidere maleſactorem, qui mihi injuſtam vim inſerre tentat, non repugnat juri naturæ: ſervata *inculpata tutela.*

1. Habeo enim poteſtatem à DEO, etiam, ut homo privatus.

2. Signa autem & argumenta, quibus probare poſſum hanc auctoritatem, ſunt illa, quæ Cap. III. Them. VI. & ſeqq. expoſuimus: & ex Ordine Charitatis Cap. XIX. Them. IV. Ex his enim omnibus intelligo, amorem meimet præcedere amorem alterius.

3. Vid. Quæ Doctores Theologi & Juris conſulti omnes ab antiquo tradunt de *moderamine inculpatæ tutelæ:* è quibus pauca didicit Puffendorffius. Vid. *Natalis* in quintum præceptum Tom. II. pag. 774. &c. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſput. VIII. Qu. II. art. I. & Diſp. XI. Qu. V. art. II.

Poteſtate publica occidi maleficos eſt ſecundum jus naturæ.

Them. XIII. Poteſtate publica occidi fures invaſores, latrones, blaſphemos &c. non eſt contra jus naturæ.

1. Quia poteſtas hæc à DEO eſt. Quod ex iisdem argumentis Cap. III. Them. VI. agnoſcitur.

2. Deinde fures invaſores ſeu violenti, latrones, blaſphemi ſunt infractores Juris naturæ. DEUS autem vult, ut homines etiam alios tales infractores omnibus neceſſariis modis coërceant. Cum igitur alii modi coërcendi ſæpe non ſufficerent, neceſſaria inventa eſt occiſio iſtorum etiam inter dira tormenta. De furto autem ſimplici negat Scotus & Theologi, poſſe pœnam mortis ei ſtatui Vid. in IV. Sent. Diſt. XV. Qu. III. n. 8. ac Dominicus *Soto* Lib. 5. de Juſt. Qu. 3. art. 3. damnat uſum, quo principes ſimplici furto pœnam mortis ſtatuunt; confutatque *Baldum*, quem putat fuiſſe auctorem huic pœnæ ſtatuendæ; Vid. Commentator Scoti num. 34. in illum locum fuſe ac pulcre diſputans.

Objectio.

3. Siquis autem infidelis diceret; Cur DEUS ipſe non impedit aut coërceet hæc crimina? Huic reſpondetur, hanc Objectionem ad rem præſentem plane non pertinere. Sive hæc DEO ſit cauſa, ſive alia, quid ad nos? ad nos, inquam, qui certi ſumus, DEUM uti hominibus ad exercendam juſtitiam ſuam.

Vid. Alexander *Natalis* Lib. IV. Th. Dogm. de quinto præcepto art. II. pag. 770. *Scotus* in IV. Sent. Diſt. XV. Qu. III. n. 6- cum ſuo comentatore.

Homicidium &c. injuſtum parit reſtitutionem.

Thema XIV. Sine tali auctoritate, aut ſine neceſſitate ſervandi ſeſe homini voluntarie adimere vitam, aut abbreviare, mutilare membris &c. eſt, peccatum contra jus naturæ, & ſemper parit obligationem reſtituendi medium naturæ, ſi poſſibile eſt: & medium rei aut rationis, ſi & hoc violatum eſt. Them. XVII. Cap. XXII. & Them. I. Cap. XVIII.

1. Itaque tenetur violator valetudini reſtituere violatum, damna emergentia, lucra ceſſantia ſecundum æſtimationem prudentum compenſare.

2. Nec valet aliquid ratio illa: vita, membra, ſanitas ſunt ordinis altioris, nec pretio æſtimabilia: ergo non debent reſtitui, quia nec poſſunt. Reſpondet enim S. Thomas 2. II. Qu. LXII. art. II. *Ad 1mum ergo dicendum: quod in quibus non poteſt recompenſari æquivalens, ſufficit, quod ibi recompenſetur quod poſſibile eſt; ſicut patet de honoribus, qui ſunt ad DEUM & ad parentes, ut Philoſophus dicit in IV. Ethicor. Et ideo, quando id, quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio qualis poſſibilis eſt: puta cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſiderata conditione utriusque perſonæ ſecundum arbitrium boni viri.* *SCOTUS* quoque in IV. Sentent. Diſt. XV. Quæ. III. iſtam rationem confutat. qui videatur, & ejus commentator: addit *Scotus* num. 3. hoc epiphonema: *Cum virtutum bona ſint maxima, ſecundum Auguſtinum primo Retractat (cap. IX.) plus damnificat, qui in iſtis damnificat, quam qui in quibuscunque aliis: & per conſequens plus ſecundum JUSTITIAM tenetur ad reſtituen-*

ſtituendum proximo tale bonum, quantum ſibi poſſibile eſt. Add. ibid. num. 6. ubi *Scotus* reſtituendum docet hæredibus neceſſariis occiſi injuſte; & contrarium ſentientes de reſtitutione ob homicidium non facienda, fatuos dicit. Add. Lib. IV. in Reportatis Diſt. XV. Qu. IV. Scholio V. Contrarium docet P. *Elbel*, & aliqui recentiorum. De Reſtit. num. 208. Vide ſuprà Cap. XXI. Them. IV. & Alexand. *Natalis* Theol. Dogmat. Lib. IV. in quintum præceptum Reg. XXVII. *Maſtrius* Theol. Mor. Diſp. VIII. Qu. II. art. III.

Ad defendenda ſua quando liceat occidere aggreſſorem?

Them. XV. Occidere pro defenſione alimentorum ſuorum neceſſariorum licet *aggreſſorem* in flagranti, niſi facile aliter poſſis defendere. Vid. S. *Thomas* 2. II. Qu. LXIV.

Sunt tamen aliquæ propoſitiones damnatæ ab Innocent. XI. a. 1679. ut: *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* Item: *Licitum eſt tam hæredi quam legatorio contra injuſte impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter* (nempe defenſione occiſiva) *defendere; ſicut & jus habenti in cathedram vel Præbendam, contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem.* Vid. Cap. XIX. Them. VII. &c. XI.

Pro fama tuenda non licet occidere.

Them. XVI. Pro fama ſua tuenda non licet occidere alterum.

1. Quia ſuppetunt alia media tuendi famam. Imo occiſio non eſt remedium contra infamiam, ſed eſt materia novæ infamiæ.

2. Unde aliquæ rurſus ſunt propoſitiones damnatæ. Ut: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur aut infametur.* Item ab Innocent. XI. an. 1679. Item: *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, à quo iniqua certo imminet ſententia; ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.* Ab Alexandro VII. an. 1665. Et ab Innocentio XI. damnata etiam hæc: *fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit.* Vid. Dominicus *Viva* in Damnatarum Theſium examine, Propos. XXII. Alexandri VII. Vid. *Natalis* Lib. IV. Theol. Dogm. in V. præcept. Regula XI.

Quid furtum?

Them. XVII. *Furtum* eſt ablatio rei alienæ, vel detentio, domino rationabiliter invito. Vid. *Natalis* Lib. IV. Th. in VII. Præceptum.

In ſtatu naturæ puro non detur proprium.

Them. XVIII. Quamvis in Statu naturæ puro, nulla hypotheſi affecto, nullum detur proprium aut dominium, ſed ſint omnibus omnia communia; datur tamen proprium in ſtatu naturæ hypothetico per conventionem & conſenſum hominum formata; in quali ſtatu nunc omnes prope gentes vivunt.

Modo violans proprium, violat jus naturæ.

Them. XIX. Qui modo violat proprium aut dominium alienum, ille violat non tantum jus civile, ſed etiam *Jus naturæ.*

1. Quia voluntatem ac juſſum DEI eſſe, ut dominia ſint diſtincta, percipimus ex argumentis ſeu principiis Juris naturæ cognoſcendi Cap. III.

2. Quia talis cognitio eſt ipſa lex naturæ participata. Cap. VII. Them. I. add. Cap. XVII. Th. VII. & cap. XXII. Them. XXV.

Furtum ex genere eſt peccatum, grave.

Them. XX. *Furtum* ex genere ſuo eſt peccatum capitale ſeu mortale.

Quia adverſatur legi naturæ, nempe charitati proximi &c. Cap. XVIII. Th. III. S. *Thomas* 2. II. Qu. LXVI. Art. VI. Natalis loco cit. *Pouget* Inſtitut. Cathol. Part. III. Sect. III. Cap. VIII. *Maſtrius* Th. Moral. Diſp. IX. & Diſp. XI. Qu. VIII.

Them. XXI. Quantitas rei furtivæ, ut ſit peccatum grave, non poteſt generali regula definiri, ſed pendet à circumſtantiis, & conſequenter à virorum prudentum æſtimatione.

Quantitas gravis furti quæ?

1. Poteſt ergo apud nationem aliquàm ſufficere furtum aliquot concharum ſeu cochlearum, apud aliam non ſufficere aureus.

2. Vulgo gravis materia reſpective cenſetur illa, quæ homini victum diurnum aufert. Nec eſt neceſſe, ut is, cui aufertur, reipſa ſentiat defectum talem; ſed ut ſenſibilis ſaltem ſit: alias ſequeretur eousque licita eſſe furta donec poſſeſſor ad incitas redigatur.

3. Et poteſt contingere, ut furtum unius forficulæ grave ſit, ſi grave detrimentum ex ejus defectu patiatur pauperculus ſartor.

4. De hac materia Juris naturæ ampliſſime tractarunt Theologi prope omnes. V. P. *Elbel.* De Reſtit. n. 266.

Them. XXII. In extrema neceſſitate contrectare & conſumere rem alterius non eſt furtum nec peccatum.

In extrema neceſſitate uti alienis licet.

1. Tametſi enim homines conſenſerint in diviſionem bonorum, tamen omnes hanc conditionem exceperunt & excipere debuerunt: ut mihi propterea innocenti pereundum non ſit. Itaque nemo dimiſit dominium naturale rerum extreme neceſſariarum: ſicut neque poteſt abdicare ſe uſu elementorum aëris, aquæ &c. Vid. *Cap. XXI.* Them. IV. reſpons. 6. *Scotus* in IV. Sentent. Diſt. XV. Qu. II. num. 6. cum ſuo commentatore.

2. Ergo in hoc caſu aufert rem ſuam non alienam. Vid *S. Thomas* 2. II. Qu. LXVI. art. VII.

3. Idque adeo certum, ut *in caſu ſimilis neceſſitatis etiam poſſit aliquis occulte rem alienam accipere, ut ſubveniat proximo ſic indigenti.* S. Th. ibid. ad 3tium.

4. Eſt autem *extrema* neceſſitas ea, quæ periculo proximo vitæ, aut quod vitæ æquivalet, exponit: ut eſt carcer perpetuus, triremes, infamia gravis publica, quæ aliter evadere nequeas, quam re alterius in tuum uſum adhibita. Ut ſentit P. Elbel de Reſtit. n. 271.

5. Notanda hic propoſitio damnata ab Innocent. XI. a. 1679. *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.*

Etiam ex parvis furtis ſucceſſive oritur reſtitutio. *Them. XXIII.* Etiam parva furta paullatim aſcendentia ad ſummam gravem inducunt obligationem reſtitutionis.

1. Quia nihil refert, utrum uno actu an pluribus damnum intuleris, modo grave illud ſit.

2. Unde Innocent. XI. damnavit hanc propoſitionem: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parva furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.*

Vid. Alexander Natalis Lib. IV. Th. Dogm. in VII. præceptum. Artic. III. Regula II.

* Denique monemus, pauca tantum Remiſſive de Furto.
à nobis hac de re allata hic eſſe. Nam ſi exſequi ſingula velimus, librum de hoc ſolo ſcribere oportebit. Nos id ſaltem ſpectavimus, tum ut præcipua fundamenta oſtenderemus; tum ut pateret, quanto meliores & uberiores in Jure Naturæ tractando ſint doctores Catholici præ turbidis lacunis heterodoxorum. Videatur quilibet Catholicus Theologiæ moralis ſeu Juris naturæ doctor. *Natalis* in VII. Præceptum Art. VI. tradit de Reſtitutione regulas XLI.

CAPUT XXIV.

De Fraude, Violentia, Mendacio, æquivocatione, reſtrictione mentali.

Fraus pernicioſa & *Them. I.* FRaus ſeu dolus malus, id eſt is qui intenditur, aut qui vergit in qualecunque detrimentum alterius, Juri naturæ repugnat; & plerumque etiam Juſtitiæ commutativæ; & inducit obligationem reſtitutionis.

1. Tametſi enim contractuum genera, circa quos pleræque fraudes fiunt, ſint inducta arbitrio hominum; at fidelitas, æqualitas, veritas, charitas, quæ omnia læduntur per fraudem, non ſunt inventa humana, ſed ſunt DEI participationes. DEO ergo, id eſt Naturæ ordinationi ac juſſui reſiſtit omnis fraudulentus.

2. Reſtitutionem autem parit fraus; quia ſtatum male mutat. Cap. XXII. Them. XVII. Vid. S. *Thomas* 2. II. Qu. LXXVII. *Pouget* Inſtitut. Cathol. Part. III. Cap. VIII.

Exempla 3. Omnem hanc materiam toto humano genere pro dolor diffuſam exſequi hoc libro eſt inconceſſum.. Pauca exempla dabimus.

Ita aliqui cum pretio infimo emerint, vendunt non tantum medio, aut ſummo, ſed altero tanto & lædunt emptorem ultra dimidium.

Aliqui ad ſummo pretio vendendum abutuntur circumſtantiis & miſeria emptoris.

Aliqui ideo ultra juſtum pretium vendunt ſuas res aut ſuam operam, quia emptor eſt nobilis, eccleſiaſticus &c.

4. Fieri poteſt, ut legibus humanis nulla pœna aut reſtitutio imponatur talibus venditoribus, cauponibus, opificibus, advocatis &c. Sed, ut S. Thomas animadvertit, legibus humanis hoc ideo ſolum contingit, quia impoſſibile eſt illis, omnia hominum vitia particulariter perſequi. *Sed lex divina* (atque adeo jus naturæ) *nihil impunitum relinquit, quod ſit virtuti contrarium: unde ſecundum divinam legem illicitum reputatur, ſi in emptione & venditione non ſit æqualitas juſtitiæ obſervata; & tenetur ille, qui plus habet, recompenſare ei, qui damnificatus eſt, ſi ſit notabile damnum.* 2. II. Qu. LXXVII. Art. I. ad I. Vid. & *Scotus* in Lib. IV. Sentent. Diſt. XV. Qu. II.

5. Alii rem aliam pro alia vendunt ignorantibus emptoribus: aurum factitium pro puro &c.

Alii merces adulterant, fucis pingunt.

Alii menſuras decurtant.

Alii contractum captioſum ineunt. Qui quamvis in foro externo ſæpe non puniantur, Juſtitiæ divinæ rei ſunt.

Alii uſuris vexant indigentes.

Alii defraudant mercede ſamulos, artifices &c.

Alii, interdum etiam principes viri ſubditis ac nobilitati ad adipiſcendum imperium multa promittunt, nihil aut parum ſervant.

Alii onera reipublicæ, quæ ipſi tenerentur ferre, machinationibus, muneri-

bus

bus &c devolvunt in vicinos, ſubditos.

Alii corrumpunt judices, advocatos, teſtes.

Alius hypocrita eſt, mentitur ſanctos mores, ut venenatis doctrinis imbuat alios.

Alius proditor eſt heri ſui, amici ſui, patriæ ſuæ.

Alius ſimulat amicitiam, ut eliciat arcana.

Alius officioſiſſime ſalutat in faciem, poſt tergum maledicit.

Et mille aliæ id genus peſtes occupant caulas & aulas. Vid. late Alexander *Natalis* Theol. Dogmat. Lib. III. Cap. VI. artic. V. VI. qui Art. VIII. multa exſequitur de Violentia lethifera potentum ac divitum, qua pauperes & ſubditos opprimunt oneribus, vectigalibus iniquis, ſervitutibus, teloniis, operis. Qui appellationes non admittunt, qui freti divitiis pauperi intentant litem aut intentatam prolongant &c. qui rem pauperum, eorundem uſibus neceſſariam, in pignus accipiunt ac diu retinent: qui frumenta coëmunt, ut pretium intendatur: qui peregrinos & pauperes tempore famis civitate ejiciunt, ſi poteſt de publico provideri.

Mendacium quid? *Them. II.* Mendacium eſt ſignificatio exterior contra mentem, cum intentione decipiendi, & ſolet dividi in mendacium *Officioſum*, *Jocoſum*, & *pernicioſum*.

Officioſum, Jocoſum, Pernicioſum. *Officioſum* eſt, quo quis intendit juvare alterum. *Jocoſum*, quo delectationem ſuam aut aliorum quærit. *Pernicioſum*, quo vel intendit vel prævidet ſe nociturum.

Omne mendacium eſt peccatum *Them. III.* Omne mendacium ex ſuo genere eſt peccatum, ſive eſt contra Jus naturæ.

Quia ex ſua natura directe opponitur virtuti veritatis, & ipſi veritati, quæ jure naturæ nobis imperat. Vid. S. *Thomas* 2. II. Qu. CX. art III. *Scotus* in III. Sentent. Diſt. XXXVIII. n. 1. &c. cum prolixa ibidem diſputatione commentatoris. S. *Auguſtinus* Enchiridii de Fide. Cap. XVIII. &c. & Libro contra Mendacium.

Objiciebatur S. Auguſtino. Siquis ægrotus quæreret, num unicus filius ſuus eſſet mortuus, & interrogatus reſponderet, mortuum, isque æger propterea moreretur dolore, hunc vera reſpondentem videri eſſe necatorem ægroti? Reſpondet autem, nequaquam. Sicut ſi fœmina impudica moreretur væſana libidine quod ei ſtuprum petenti eſſet negatum. Accedit, ſi ſemel eſſet conceſſum mentiri ob ægri ſalutem, ſcientia mentiendi tam late ſuccreſceret, ut paullatim veritas omnis eliminaretur. Qui enim vitam præ veritate amant, amabunt etiam ſortunas ſuas, & commoda ſua præ veritate.

Them. IV. Mendacium *pernicioſum* deliberatum eſt grave peccatum, ſi gravis injuria in DEUM, ſemet aut proximum intenditur aut prævidetur. *Officioſum* vero & *jocoſum* poſſunt eſſe peccata levia; niſi ratione ſcandali fiant gravia. Pernicioſum quando grave? Item Officioſum &c.

1. Prima pars probatur ex ipſa rei natura.

2. Altera hinc apparet, quod hæc mendacia non ſimpliciter excutiant jugum legis æternæ, nec charitatem expellant plane ſed ſaltem minuant. Vid. S. Thom. 2. II. Qu. CX. art. IV.

3. Unde intelligas neque ad ſalvandam vitam neque ad ethnicos ad veram fidem convertendos mentiri *licitum* eſſe; quamvis quo majus eſt bonum intentum, hoc magis deminuatur malitia mendacii, nunquam tamen tota.

Them. V. Quædam facta aut locutiones apparent tanquam ſint mendacia, cum revera non ſint. Quædam videntur eſſe mendacia cum non ſint.

1. Tales e. g. ſunt ironiæ, quæ videntur in laudem proferri, cum tendant ad vituperationem.

2. Tales ſunt multæ ſuſpenſiones, ſeu dictiones, quæ proferuntur non ad denique fallendum, ſed ad ſuſpendendum auditorem, ut ſæpe fit in fabulis, & apologis &c. item erga pueros ex curioſitate nimia petentes ſcire ſibi noxia. Quamquam caute hic debet agi; ne dum ex una parte occultatur veritas puero non neceſſaria, ex altera ei ingeneretur opinio; licitum eſſe falſum dicere.

Them. VI. Amphibologia ſeu *Æquivocatio* proprie eſt dictio habens duplicem ſignificationem, diverſi generis, ut *Canis* animal & *Canis* ſtella Amphibologia quid?

Them. VII. Reſtrictio mentalis pure interna eſt, cum aliquid enuntiatur ita ut mente interna aliud intelligatur, quod nullo externo indicio aut circumſtantia deprehendi poteſt ab audientibus. Reſtrictio pure mentalis quid?

E. g. Si interrogatus, num viderim Romam? reſpondeo: *Vidi*, ſubintelligens: *pictam*.

Them. VIII. Reſtrictio mentalis mixta ſeu ſemiexterna eſt, cum argutus auditor ex circumſtantiis poteſt advertere id, quod mente ſubintelligit loquens. Reſtrictio ſemiexterna quid?

E. g. Si adoleſcentulum in Polonia quæras: num viderit Romam? illeque reſpondeat: Vidi, ſubintelligens pictam. Facile enim potes deprehendere ex circumſtanntiis, ætate, longioquitate, defectu occaſioois &c. illum non veram Romam à ſe viſam intelligere.

Them. IX. Æquivocationibus & talibus reſtrictionibus ſemiexternis, qualem exemplo propoſuimus, interdum inter Æquivocatio indifferens licita.

ſe

ſe uti ad acuendum ingenium & exercendam argutiam licitum eſt in materia indifferente nemini noxia, nec ad ſerium deducenda.

1. Sunt enim talia quaſi ænigmata, quæ dicto modo adhibere honeſtum eſt. Et viros honeſtiſſimos, DEUM timentes, quique jura naturæ violare maxime ac ſerio horrere videntur, tamen hoc ſine ejusmodi exercitia admittere experimur.

2. Imo Pythagoras Philoſophiæ præcepta talibus ænigmatis complexus eſt.

3. Cavendum tamen ne conſuetudo contrahatur atque via paretur ad mentiendum &c.

Non eſt præceptum, omne verum dicere.

Them. X. Verum *omne* dicere non eſt neceſſe ſemper.

1. Alias non liceret quidquam ſilere. *Abſtrahentium* autem, ſeu tacentium, *non eſt mendacium*, ut habet axioma receptum.

2. Certum eſt in hoc mundo humano aliqua occulta eſſe poſſe, imo debere: Igitur certum, non omne verum palam manifeſtandum eſſe.

Verum occultare ſæpe præceptum.

Them. XI. Sæpe occultatio veri eſt graviter Jure naturæ aut poſitivo præcepta: prohibita autem manifeſtatio.

1. E. g. Homo obvius, qui non eſt judex aut ſuperior, quærit ex te, num ille vel ille commiſerit hoc occultum peccatum? Tu ſcis, peccatum eſſe commiſſum. Tamen nequaquam tibi eſt licitum illud huic homini manifeſtare; quia detraheres famæ illius, quod eſt contra jus naturæ. Sed neceſſe tibi eſt peccatum aliquo *modo* licito occultare: v. g. dicendo: quis me conſtituit vigilem ſuper illum? aut utendo aliqua reſtrictione ſemiexterna apta.

2. Item commiſit aliquis tibi grave ſecretum, teneris hoc naturæ jure occulere niſi eſſet in publicum malum, ut diximus ſupra de correptione fraterna Cap. XXI. Them. XII. De Sigillo ſecreti vid. *Scotus* in IV. Diſt. XXI. Q. II. n. 17.

Scientia communicabilis quæ? Incommunicabilis.

Them. XII. Notitia vel ſcientia *communicabilis* dicitur illa, quæ licite poteſt enuntiari aut manifeſtari. *Incommunicabilis* eſt, quæ ex præcepto *altiore* hic & nunc debet occultari. Et hæc dicitur ſcientia ſub *Sigillo*.

1. *Incommunicabilitas* autem interdum eſt generalis, ita ut nemini ſit aperienda; interdum particularis, ita ut his poſſit, aliis non.

Exemplum.

2. E. g. Confeſſarius & qui ex Confeſſione accepit, nemini Pontificum, regum, hominumque poteſt manifeſtare peccata confeſſionis. Quia occultare eſt præceptum Juris naturæ, ac divini, cujus ſubditi ſunt omnes Pontifices, reges, homines; neque adeo illorum vis ac juſſus prævalere poteſt juſſui naturæ. Vid. *Scotus* in IV. Sent. Diſt. XXI. Qu. II. lato.

3. Non-confeſſarius autem requiſitus à legitimo ſuperiore, legitimo modo *judiciali* de peccato alterius in judicium adducto, ac ſemiplene probato poteſt ac debet illud regulariter manifeſtare. Quia Jus naturæ ac divinum ſeu aliud altius non ademit judici poteſtatem debitis modis inquirendi in peccata eaque puniendi. Huic autem poteſtati reſpondet in ſubditis obligatio verum non occultandi. Vid. S. *Thomas* in IV. Sent. Diſt. XXI. Q. III. *Scotus* in IV. Sent. Diſt. XV. Qu. IV. n. 5.

Reſtrictio pure mentalis eſt mendacium.

Them. XIII. Reſtrictio pure mentalis eſt mendacium omni caſu prohibitum. Unde *damnata* ſunt ab Innocentio XI. duæ propoſitiones ſequentes: *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocunque alio ſine, juret ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.*

Item *damnata* hæc eſt: *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.*

Videantur Theologi. *Scotus* in III. Sentent. Diſt. XXXVIII. & longæ ibi commentatoris diſputationes.

Reſtrictio ſemiexterna ut licita?

Them. XIV. Reſtrictio ſemiexterna ex ſufficiente cauſa licita eſt & quandoque neceſſaria ex altiore præcepto, ut ſervandi ſigilli, vitandæ mortis vel gravis incommodi &c.

Domnicus Viva in examine Propoſitionum damnatarum, in Propoſitione Innocentii XI mi vigeſima ſexta hoc probat. Addit tamen §. XVII. *quo major eſt obſcuritas ſenſus veri, eo gravior cauſa requiritur.* Ratio eſt; quia niſi detur cauſa ſatis gravis, tunc videtur deceptio proximi directe intendi ac procurari; quod eſt formale mendacium. Si autem cauſa occultandæ veritatis ſufficiens eſt, & ſenſus dictionis verus non eſt nimis obſcurus, ſeu indicia externa non nimis incognita, tunc deceptio directe non procuratur, ſed permittitur ſtudioſitati audientis, qui cum indicia & ſenſum non recte penetrat, à ſemet potius decipitur.

Plura videſis apud eundem & ceteros Theol. Alexander *Natalis* Lib. IV. Th. Dogm. in VIII vum præceptum pulcras tradit de mendacio, reſtrictione, ſimulatione & adulatione vitanda doctrinas. *Pouget* Inſtitut. Cathol. Part. II Sect. III. Cap. IX. §. 1. Ad. *Maſtrius* Theol. Moral. Diſp. XI. Qu. IX.

INDEX
JURIS NATURÆ.

* Numerus Prior Romanus indicat Caput.
Alter Arabicus indicat Thema ejus capitis.

A.

ABRAHAM Auctoritate inductus ad ſacrificandum filium III. 24. num. 5.
ACATHOLICI Doctores pejus tradiderunt Jus Naturæ quam veteres Philoſophi. I. 5. num. 5. Non ſunt idonei Præceptores Juris nat. XII. 3. I. 8. XXII. 29. &c.
An ex his tutius diſcatur morum doctrina, quam ex SS. Patribus? XII. 6.
Non ſcripſerunt Jus Nat. tale quale promiſerant. XVII: 11.
Perverſa Principia J. Nat. ſtatuunt. III. 18.
Jus naturæ Hypocritarum docent. XVIII. 11.
Jus N. hypotheticum cum primævo confundunt. XI. 5.
Excuſatio, eorum principia in ſano ſenſu ſumenda eſſe V. 1. num. 3.
Sola ratione in Jus Nat. admiſſa perdere cupiunt rem Catholicam, præcipue apud nobilitatem. XII- 4. 5.
Cur auctoritatem ex Jure Nat. excludant? XII. 4.
Male excludunt gratiam DEI. IV. 12. nu. 6.
Religionem revelatam ſubjiciunt arbitrio hominum XI. 5.
Perperam tractant officia hominis erga DEum. XII. 3.
Principia Juſti, Honeſti. Decori male tractant. VII. 19. &c. præcipue 25.
Male accuſant Catholicos ignorantiæ in jure naturæ. Vid, *Catholici.*
Libri eorum è republica ejiciendi videntur exemplo Platonis. VIII. 13.
Acedia. quomodo ſit contra Jus naturæ. XVI. 14.
Æqualitas quomodo lædatur & reſtituatur. XXII- 18. &c.
Æqualiter non ſunt amandi omnes. Vid. *Ordo* Charitatis.
Æquivocationes in loquendo an licitæ? XXIV. 6.
ACTIO humana & hominis quomodo differant. VI. 2.
Deliberata quomodo fiat. VI. 16 &c.
—— Ex genere ſuo bona vel mala quæ ſit? VI. 23. &c.
—— moraliter indifferens VI. 23. 27.
—— moraliter bona in ordine naturali eſt adhuc indifferens ad ſalutem æternam. VI. 28.
Aggreſſorem bonorum temporalium occidere quando jus ſit. XXIII. 15.
Aliena peccata quæ ſunt. XXII. 13.
Aliena non aufert, qui in extrema neceſſitate furatur. XXI. 4. nu. 6 XXIII. 22.
AMOR DEI non intereſſatus an ſit poſſibilis. IV. 6. num- 6.
—— Dei & proximi ſunt primum præceptum Legis naturæ. V. 2.
—— Concupiſcentiæ & Benevolentiæ X. 1.
—— Intenſivus & appretiativus X. 2.
DEI ſuper omnia eſt juris naturæ X. 3. 5. &c.
—— Dei intenſivus non poteſt in nobis eſſe abſolute ſummus. X. 7.
—— Dei ſenſibilis debet eſſe cautus. X. 8.
—— Dei temporarius non eſt finis juris naturæ. IV. 9.
—— Dei eſt præceptum affirmativum. X. 9.
—— quoties eliciendus. X. 10.
—— quomodo firmandus. X. 3. & 12.
Ad amorem Dei natura corrupta indiget gratia ſanante X. 4.
AMOR SUI an in homine debeat eſſe ſummus? XIII. 1.
—— ad quæ obliget hominem XIII. 2.

AMOR PROXIMI ejuſque officia. Vid. *officia hominis.* cap. XVII. XVIII.
—— proximi debet etiam eſſe internus. XVIII. 11.
—— non debet eſſe æqualis erga omnes. XIX. 11.
—— non debet per ſe eſſe intenſior erga meliores. XIX. 17.
—— Inimicorum quomodo ſit Juris naturæ. XIX. 26.
Amphibologia in ſermone an licita. XXIV. 6.
ANIMÆ immortalitas non poteſt excludi à Jure nat. nu. IV. 4. nu. 6. Vid. *Vita futura.*
Animæ proximi ſalus præferenda eſt corporalibus. XIX. 6.
Animæ purgandæ neceſſitatem agnoverunt gentiles, ſed rationem purgandi ignorarunt. IX. 6.
Antiqui juris naturæ doctores an ſint indoctiores modernis. III. 25. nu. 5.
Appetitus ſuperior & inferior qui IV. 5. & 6. Recte ſtatuitur. VI. 16.
ATHEI ſunt in deſperatione IX. 14. bruti ibid. 5.
—— rari ſunt inter Gentiles Indos. IX. 5. num. 5.
—— male ſugillant officia hominis erga DEum. X I. 7.
—— ſunt fallaces Sophiſtæ.
Avaritia eſt contra jus naturæ. XVI. 11.
AUCTORITAS docens & præcipiens III. 21. nu. 3. &c.
—— eſt verum principium cognoſcendi juris naturæ III. 17. &c. 24.
—— facile emendat rationem errantem, non viciſſim. III. 17. n. 3.
—— omnibus hominibus æqualiter apta eſt, non ratio. III, 17. n. 5.
—— ex auctoritate omnes homines etiam primi debent diſcere jus naturæ III. 19. n. 4. & 7. & themate 20. n. 5. them. 21. nu. 2.
—— eam affectant omnes Doctores Jur. nat. III. 21. 9.
—— & ratio quomodo concurrant ad indicandum jus naturæ. III. 25.
—— Præcedit rationem in diſcendo III. 21. III. 25.
—— Quandoque fere ſola eſt in indicando J. N. III. 23.
—— permovit ſocratem ad moriendum pro divina doctrina III. 24. n. 7. &c.
—— In agnoſcendo DEo & fidei negotio præcedit rationem VIII. 11.
—— rationi neceſſaria eſt ad attingendum verum. VIII. 11.
—— eſt neceſſaria in applicatione regularum moralium. XIX. 14.
Auctoritatem cur à jure naturæ excludant heterodoxi? XII. 4.
S. AUGUSTINUS à Criticis contemptus. VIII. 11. a. 15. &c.

B.

Bacchanalia carpuntur. XVI. 15. n. 13.
Beatitudo. Vid. *Vita* futura. *Bonum* ſummum.
Benefactores quomodo amandi. XIX. 22. &c.
Beneficentia erga homines officia explicantur XXI.
Benevolentia officia ſunt Juris naturæ. peccata adverſus illam. XX.
Blaſphemia quid XX. 8. num. 7.
BONITAS naturalis actionis in quo conſiſtat. V. 1.
—— moralis unde habeatur? VI. 3. & 4. & 28.
—— moralis in ordine naturali conſiſtens poteſt eſſe, quæ ſit indifferens ad ſalutem commenſuratam gratiæ ſupernaturali. V. 28. num. 2.
Bonum ex genere ſuo vel malum quid. VI. 23. &c.
BONUM SUMMUM appetitur neceſſario. IV. 2.
—— indeterminatum an ſit finis juris naturæ? IV. 5.
—— eſt verus finis juris naturæ IV. 9.
Bonum velle proximo eſt juris naturæ. cap. XX.
Bonum facere proximo eſt juris naturæ. cap. XXI.
Bonorum diviſio non privat pauperes jure ſuo. XXI. 4. num. 6.
Bonorum temporalium cauſa quando liceat aliquem occidere. XXIII. 15. &c.

C.

Caſtitatis ſervandæ cauſa an liceat occidere ſeſe. XIV. 3.
CATHOLICI male diſcunt jus naturæ à præceptoribus Acatholicis. I. 8.
—— an ignoraverint jus naturæ ante heterodoxos? III. 22. nu. 6. VIII. 10. nu. 8. XII. 6.
—— Melius docent jus naturæ quam heterodoxi. XXII. 29. &c. Vid. *Acatholici.*
Catholicæ religionis principia, quæ heterodoxi ſubruere volunt per larvatum jus naturæ. XII. 5.
Cauſa prima quomodò probetur? II. 21.
Celibatus an ſit contra jus naturæ. XV.
Charitas, Vid. *Amor, ordo* Charitatis.
CHRISTUS amoris ſcholam aperuit. X. 12.
—— ejus doctrina an ad hanc vitam pertineat, an ad alteram. XII. 5.
—— ejus doctrina devicit Philoſophos XII. 8. Eſt ad jus naturæ neceſſaria. ibid. Et jus naturæ mire illuſtravit. XX. 6. nu. 4.

Chriſti-

Chriſtiana doctrina an timidos faciat. XVI. 10.
An habeat finem alium quam jus naturæ IV. 11. an pertineat tantum ad alteram vitam. IV. 11. nu. 6.
Chriſtiana Religio gentilibus non ignota, nec irrationabilis viſa. IX. 15. nu. 5.
Chriſtiani qua Chriſtiani officium realiter non eſt diverſum ab officio hominis. III. 25. nu. 5.
Circumſtantiæ quomodo concurrant ad actum humanum faciendum bonum vel malum. VI. 29.
Joan. *Clericus* criticus SS. Patrum contemptor fuit ex cauſa privati amoris. VIII. 11. nu. 16.
Cogitationum peccata quomodo committantur. VI. 8.
Commoda hujus vitæ non ſunt finis naturæ humanæ, nec juris naturæ. IV. 5.
Comœdiæ aliquæ reprehenduntur. XVI. 15. nu. 13.
Concupiſcentia præcedens deliberationem cauſat involuntarium. VI. 15.
Conjuges quo loco amandi. XIX. 20.
Connubium quomodo ſit jure naturæ neceſſarium. XV.
Conſenſus eſt actus rationis deliberatæ ſuperioris VI. 18. Eſt inter peccata aliena. XXII. 23.
CONSERVATIO SUI non eſt in poteſtate naturæ naturatæ II. 17.
—— non intenditur per ſe proprie à natura ut humana. IV. 6. nu. 6.
—— quomodo ſit officium hominis. XIII. 6.
Conſilium dare eſt juris naturæ. XXI. 17. &c.
Conſolari mœſtos ut ſit juris naturæ. XXI. 20
Contemptus proximi repugnat juri naturæ XX. 10.
Contentio XX. 8. n. 9.
Convenienter ſtatui vivere quid ſit XXI. 6. n. 4.
Corpus ejusque neceſſitates poſthabendum eſt animæ. XIX. 6.
Pro corpore tantum ſollicitum jus naturæ eſt ſpurium jus. I. 5.
Correptio fraterna quomodo obliget, XXI. 11. præſertim magiſtratus. ibid. 12.
Credere divina poſſumus naturaliter & ſupernaturaliter VIII. 10.
Ad credendum non eſt opus dubitare. VIII. 11. n. 14.
Credibilitatis motiva diſtinguenda à motivis credendi ſeu fidei. VIII. 11. n. 7. An debeant eſſe evidentia? VIII. 11. nu. 14. Vid. *Fides. DEus.*
Criterium juris naturæ. Vide *Principium dignoſcendi.*
Culpa quid & quotuplex XXII. 15.
CULTUS DEI exterior eſt jure naturæ arbitrarius quoad ſigna. XI. 2—5.
—— latriæ ſoli DEO debetur. XI. 4. n. 3.

D.

Damnum & injuria non ſunt idem. XXII. 11. &c.
Damnati ſubſunt legi æternæ. VII. 4.
DEBITUM rigoroſum non eſt illud tantum, quod parit obligationem reſtitutionis realis, XXI. 4. & cap. XXII.
—— rigoroſum & minus ſtrictum quomodo recte diſtinguenda? XXII. 2. &c.
—— in Jure naturæ quomodo ſumendum. XXII. 4. Vid. etiam cap. XXIII.
DECORUM quid? VII. 21. per ſe decorum eſt ſolus DEus. *ibid.* *Decorum*, honeſtum, utile, formaliter non differunt VII. 23. &c.
Delectatio quando cauſet involuntarium VI. 14. &c.
—— moroſa quæ? VI. 17.
Deliberatio animi quomodo fiat. VI. 16.
Demonſtrationes in Jure naturæ & morum doctrina an habeant locum. III. 23. & 25. nu. 17. Vide *Ratio ſola.*
Deſperatio eſt contra naturam. IX. 4.
DEUS ex principiis juris naturæ minime eſt excludendus. I. 5.
—— eſt origo ſicut naturæ ita etiam juris naturæ. II.
—— ejus dominium & noſtra erga ipſum rationalis ſervitus eſt jus naturæ II. 30. III. 1. VI. 16. nu. 2. ex S. Auguſtino. III. 26. IV. 4. num. 8.
—— DEo tantum auctore ultimato diſci poteſt jus naturæ, ſecundum ſenſum communem populorum. *III.* 21. nu. 6.
—— DEi voluntas immutabilis eſt. *VII.* 8. Vide *Lex divina, æterna.*
DEi exiſtentia an ſola ratione poſſit demonſtrari *III.* 24. nu. 11. *VIII.* 4. &c. Illa & ſciri poteſt & debet credi fide divina *VIII.* 9. non ſine ſingulari in nos beneficio.
DEi notitiam inquirere eſt obligatio juris naturæ. *VIII.* 2. &c. Ad illam acquirendam media producuntur quatuor: auctoritas humana, ſenſus communis, ratio, revelatio ſpecialis.
Divina etſi ſint ſpecialiter revelata, tamen etiam jure naturæ ſunt credenda. *VIII.* 10.
In DEi agnitione prima ordine eſt auctoritas *VIII.* 11. In illa duo copuli rationis ſunt vitandi, Pyrrhoniſmus & præſumptio. *VIII.* 7.
DEum ut finem ultimum proponere an tantum ad Theologiam naturalem pertineat. *IV.* 11. num. 9. Eſt ille finis ultimus juris naturæ. *IV.* 9. &c.
DEum inter & hominem an detur juſtitia. *VII.* 25. num. 3. &c. *IX.* 5. nu. 3. An erga ipſum committatur injuria. *XXII.* 26.

Erga DEum officia quidam negabant ob con fuſum conceptum Juſti. *VII.* 25. num. 3. Ea diſcuntur quidem etiam naturaliter, ſed multo melius ex S. Scriptura. *XII.* 8.

DEI amor concupiſcentiæ & benevolentiæ. X. 1. Vide *Amor.* Non intereſſatus eſt Poſſibilis *IV.* 6. nu. 6. aliàs ſequitur Atheismus.

In DEum *ſpes.* Vide *Spes.* DEI auxilium petere in tentatione eſt juris nat. *IX.* 7.

In DEum *gratitudo* eſt juris naturæ. *XI.* 1. Vide *Gratitudo.*

DEi *cultus.* Vide *Cultus.* ipſi debitus eſt honor. *XI.* 2. 3. &c.

DEi *Timor* naturalis, ſervilis, filialis &c. *XI.* 6. &c.

De DEo colendo an nimia præcepta dederimus. *XII.* 1.

Diſcordia quando peccatum. XX. 8. num. 8.

Diviſio bonorum non privat pauperes jure ſuo. *XXI.* 4. num. 6.

Docere ignorantes eſt juris naturæ. *XXI.* 15. &c.

Doctor juris naturæ qualis eſſe debeat. Vide *Juris* naturæ doctor.

Dolus. Vide *Fraus.*

Dubitatio an ſit fidei neceſſaria. *VIII.* 11. nu. 14. an licita? ibid. 13.

Duellum illicitum jure naturæ. *XIV.* 16.

E.

ELEEMOSYNA apud gentiles frequens. *IX.* 5. nu. 5.

— eſt de jure naturæ danda. *XXI.* 2. &c.

Debetur ex Juſtitia Commutativa. *XXI.* 4. nu. 6.

— Debetur ex ſuperfluo, non ex neceſſariis. *XXI.* 5. 6.

— Non debetur nullam neceſſitatem patienti. *XXI.* 5.

— Non poteſt dari ex injuſte acquiſitis *XXI.* 7.

— Eam dare qui non poſſint. *XXI.* 8.

Eleemoſynæ ſpirituales *XXI.* 9. Corporales *ibid.* 10.

Epicureorum objectiones contra vitam futuram. *IV.* 5. nu. 5.

Error rationis obligat errantem. *VI.* 7. nec tamen facit actionem bonam. *ibid.* 8.

Eſſentia humana non eſt principium juris naturæ. contra Wolfium. *VII.* 3.

Ethica. an ad hanc tantum pertineat honeſtum, an vero etiam juſtum? *VII.* 25. nu. 5.

F.

Falſum à mendacio differt. *XXIV.* 5.

FAMA quo ordine diligenda *XIX.* 9. 12.

— quomodo differat ab honeſto. *XIX.* 9.

— ad eam curandam an liceat occidere ſeſe? *XIV.* 4. an alium? *XXIII.* 16. Eam curare non eſt ſuperbia. *XVI.* 10. nu. 9.

Felicitas. vide *Bonum* ſummum.

FIDES naturalis pertinet etiam ad revelata. *VIII.* 10.

Fides DEi pertinet ad legem naturalem. *VIII.* 10. nu. 5.

— non nititur ratione ſed auctoritate *VIII.* 11.

— an ſit evidens. *VIII.* 11. nu. 14.

— fides divinorum an ſit ſupra naturam *VIII.* 12.

Fidei contraria ſunt jure naturæ cavenda. *VIII.* 13.

FINIS quid & quotuplex. *IV.* 3.

— intentio ejus pertinet ad actum moralem faciendum. *VI.* 30. &c.

— Naturæ humanæ propoſitus eam diſtinguit à natura bruta. IV. 1.

— proximus per ſe naturæ humanæ non eſt ipſe homo, ſed tantum per accidens. *IV.* 4.

— ultimus libere intenditur & neceſſario. *IV.* 2.

— ultimus naturæ humanæ non ſunt cætera creata. *IV.* 5.

— qualis ſit. *ibid.*

— proximus juris naturæ non eſt diverſus à fine naturæ humanæ. *IV.* 7.

— verus juris naturæ eſt bonum vere ſummum. *IV.* 9.

— finem ultimum ſtatuere an tantum pertineat ad Theologiam, vel Ethicam, non ad jus naturæ. *IV.* 11. nu. 9. &c.

Fortitudo eſt juris naturæ. *XVI.* 16.

Forum poli & forum fori quid? *VI.* & *XXII.* 4. 5.

Fraterna correctio quando & quos obliget. *XXI.* 11. 12.

— ab hac non excuſaris ob id, quod ipſe ſis peccator. *XXI.* 13.

Fraus parit reſtitutionem. *XXIV.*

FURTUM quid? eſt contra jus naturæ hypotheticum. *XXIII.* 17.

— in extrema neceſſitate non eſt peccatum, cur? *XXIII.* 22.

— parva furta quando pariant reſtitutionem. *XXIII.* 23.

G.

GENTILES philoſophi ex auctoritate didicerunt jus naturæ. *III.* 20. nu. 5.

— agnoſcunt, naturam noſtram eſſe corruptam, & opus habere remedio ſanante. *IV.* 12. nu. 6.

— De DEO tenuiter ſenſerunt, defectu auctoritatis ſufficientis. *VIII.* 11.

— ratione agnoverunt, ſe decipi, non tamen potuerunt invenire verum, & inefficax fuit ipſorum doctrina. *XII.* 8.

— an

—— an truncos & animantes vere adoraverint pro diis. *XI.* 1.
—— De DEi amore obſcura intellexerunt, quæ Chriſtus aperta fecit. X. 12.
—— Raro fuerunt Athei. *IX.* 5. nu. 5.
—— Eorum pœnitentiæ auſteræ. *IX.* 5. n. 4.
—— Superbiam fere non habuerunt pro peccato. XVI. 10. &c.
GERMANIÆ nihil profuit Jus naturæ heterodoxorum. *III.* 20. n. 24.
GRATIA DEI quid, & quomodo ab auxilio differat? *VII.* 18.
—— poteſt agnoſci lumine naturæ, ſed non poteſt acquiri viribus naturæ. *VII.* 18. nu. 6.
—— gratiam non meretur pœnitentia naturalis. *IX.* 6.
—— gratiâ DEi uti tenetur homo, jure naturæ. X. 12.
Gulæ vitium quomodo ſit contra naturam. *XVI.* 13.

H.

Hæretici an poſſint puniri. *VIII.* 13. & 11. nu. 16.
Heineccius voluntatem DEi ex Coccejo maluit diſcere, quam ex Evangelio. *III.* 20. nu. 5.
Heterodoxi. Vide *Acatholici.*
HOMICIDIUM repugnat juri naturæ. *XXIII.* 11.
—— licitum eſt ex inculpata tutela. *XXIII.* 12.
—— parit obligationem reſtituendi. *XXIII.* 14.
HOMO eſt ens reſpectivum, non abſolutum, Cap. *II.* & *III.*
Hominis qua hominis officium non eſt diverſum ab officio Chriſtiani in ſtatu hypothetico. *III.* 25.
Vide *Natura* humana item *officia.*
HONESTUM aliud originarium, id eſt, divinum, aliud participatum, ſeu proprie tantum laudabile. *VII.* 19. Honeſtum eſt, quidquid natura rationalis ad ultimum finem ordinat. *ibid.* nu. 4.
Honeſtum, juſtum, utile, decorum originarie eſt unum tantum. *VII.* 23.
Honeſtum, juſtum, decorum quoad rem non differunt, ſed quoad majorem vel minorem neceſſitatem. *VII.* 19. &c.
Honeſti ratio nequit excludi à jure naturæ. *VII.* 25. ſeq.
Honeſtum pure, ut contradiſtinctum juſto, non fundat officia hominis *XVII.* 13.
Honeſtum purum male diſtinguitur à juſto. *XXI.* 4.
Honor DEo debitus eſt internus & externus. XI. 3.
Honor verus eſt aliquid diverſum à fama. *XIX.* 9.
Humilitatis virtus non facit timidos. *XVI.* 10.
Hypotheticum jus naturæ. *XVII.* 3. &c. Vide *Jus naturæ.*

I.

Ideæ innatæ an dentur? III. 25. nu. 7.
IGNORANTIA invincibilis, antecedens. VI. 5.
—— Conſequens. *ibid.* 6.
Ignorantes docere eſt juris naturæ. XXI. 15. &c.
Ignoſcere offenſoribus eſt juris naturæ. XXI. 21. 22.
INJURIAS ferre, quando ſit juris naturæ? XXI. 21.
Injuria quid? XXII. 1.
—— ſpectari poteſt formaliter & materialiter. XXI. 8. &c. XXII. 14. 26.
—— & damnum non ſunt idem. XXI. 11.
—— ſupponit culpam. *XXII.* 14.
—— committi poteſt erga DEUM, ſeſe, ac proximum. *XXII.* 16.
—— omnis parit obligationem reſtitutionis. *XXII.* 20.
Immiſericordia eſt contra juſtitiam univerſalem & commutativam. *XXI.* 4. nu. 6.
IMMORTALITAS animæ non poteſt excludi à jure naturæ. *IV.* 4. nu. 6. Vide *Vita futura.*
Impii cur ſint fortunati. *XX.* 6. nu. 4.
Indicativa principia juris naturæ. Vide *Principia* cognoſcendi.
Indignatio quid. XX. 8. nu. 7.
INIMICUS diligendus jure naturæ *XIX.* 26.
Involuntarium facit metus *VI.* 13. Concupiſcentia vel alia paſſio præcedens deliberationem. *ibid.* 14. 15.
Inquiſitio fidei à Platone inſtituta. *VIII.* 13.
Intellectu abutitur, qui eo non utitur. *XVI.* 6.
Invidia eſt contra jus naturæ. XX. 6.
Iracundia contra jus naturæ eſt XX. 8. *Ira* poteſt eſſe juſta ſeu debita. *ibid.* nu. 5.
Judicium temerarium XX. 9. parit reſtitutionem. *XXIII.* 4.
Juramentum quando eſt contra jus naturæ? *XI.* 4. nu. 5.
JUS quid ſit. *II.* 1. 2. &c.
JUS NATURÆ qui docere vult, qualis eſſe debeat *I.* 1. Debet eſſe philoſophus idearum callens *I.* 2. Non Sophiſta. 3. Bono fine & bonis motivis ac mediis uti. 4. 5. Debet ad optima incitare tyronem. 6. Debet eſſe cautus, contrà quam Puffendorffius. 7. Debet amare diſcipulum: hinc acatholici non bene conſtituuntur magiſtri Catholicæ juventutis. 8. Debet juſtitiam univerſalem à particulari diſtinguere. *VII.* 26. Debet primigenia ab hypotheticis diſcernere. *XVII.* 3. 6. 7. &c.

JUS NATURÆ melius diſcitur à veteribus Catholicis quam à novis heterodoxis. *III.* 25. nu. 5.
—— an diſcendum ante jus civile? *III.* 20. nu. 6.
—— an ſola ratione diſcendum. Vid. *Ratio ſola.*
—— ſpurium eſſe ex certo ſigno deprehendi poteſt, ſi officia erga DEUM non ponuntur pro fundamento cæterorum. *XII.* 2.
—— Verum maxime nobilitati diſcendum. *XVI.* 6. nu. 3.
—— heterodoxorum ad ſeductionem aptum. *XII.* 5.
Juris naturæ optimum compendium quale? *IV.* 12. nu. 6.
JUS NATURÆ quid? *II.* 31.
—— quomodo promulgetur? ſive è quibus principiis cognoſcatur? *III.* 1. &c.
—— originaliter à DEO diſcendum eſſe docet ſenſus communis. *III.* 21. num. 8.
—— abſtractum eſt inutile *III.* 22. Periculoſum *ibid.* num. 5.
—— *Hypotheticum* in quo fundetur? *XVII.* 3. &c. quomodo ſit in S. Scriptura. *III.* 25.
JUS NATURÆ corruptæ eſt diverſum à jure naturæ integræ. *IV.* 12. nu. 6.
—— eſt medium pertingendi ad finem ultimum DEUM. *IV.* 12.
—— an debeat tractare juſtitiam particularem an univerſalem. *VII.* 25. num 5.
—— quomodo differat à jure civili. *XXII.* 4. &c.
JURIS NATURÆ objectum an ſit honeſtum? *VII.* 25. n. 6.
—— finis non eſt pax externa. *VII.* 25. n. 6. Non hæc vita. *IV.* 9. Nec virtus, nec amor DEI temporarius, ſed bonum vere ſummum. *IV.* 10. &c. Finis proximus non eſt alius quam finis naturæ humanæ. *IV.* 6. 7.
—— Præceptum primum generale male poſitum ab heterodoxis. V. 1.
—— in genere ſunt omnes virtutes. *VII.* 5.
—— forum, judex, teſtes, ſunt alii quam in jure civili. *XXII.* 4. &c.
—— executio fit ratione, voluntate, objecto, circumſtantiis, fine. VI.
JUS NATURÆ, an vero theologia naturalis ſpectet finem ultimum, an Ethica? *IV.* 11. nu. 9. e.
—— male abſtrahit à revelatione. *VIII.* 10. nu. 7.
—— heterodoxorum ad rem publicam gerendam intutum. *XII.* 6.
Juris ſtricti non ſunt illa tantum, quæ pariunt obligationem reſtituendi. *XXI.* 4. Vide *Debitum* rigoroſum.
JUS CIVILE an pro fine habeat DEUM. *IV.* 10.
—— quomodo differat à jure naturæ. *XXII.* 4. &c.
JUSTITIA an duret in altera vita? *IV.* 9. n. 5.
JUSTITIA NATURALIS conſiſtit in ſubordinatione ad DEUM ut ultimum finem. *IV.* 11. nu. 12.
—— ſive legalis eſt generalis. *VII.* 5. à particulari juſtitia diſtincta ut totum à parte. *VII.* 25. 26.
—— eſt ſtricte dicta juſtitia. *XXI.* 4. & eſt proprie juſtitia *XXII.* 7.
Juſtitia Commutativa, diſtributiva &c. quid ſint. *XXII.* 22. &c.
JUSTUM, honeſtum, decorum formaliter non differunt. *VII.* 23.
Juſti, honeſti, &c. principia ſunt eadem; diſtinguuntur tantum ratione. *VII.* 24.
Juſti, *honeſti* &c. principia male verſant heterodoxi. *VII.* 25.
JUVENTUS Catholica in jure naturæ erudienda male committitur heterodoxis. *I.* 8. Vid. *Nobilitas.*
—— Cavere debet ab otio, maxime nobilis. XV. 4.
—— debet diſcere ut non contemnat alios XX. 10. n. 3.
—— compendioſam accipit viam ad jus naturæ bene diſcendum. *XVI.* 9. nu. 2.

L.

Lamindus Pritanius Vid. *Pritanius.*
LEX divina naturalis & divina poſitiva quid differant. *VII.* 1. nu. 2.
—— Naturalis originaria eſt juſſus DEI: participata eſt ratio ſuperior *VII.* 1. *IV.* 12.
—— naturæ derivata eſt eadem apud omnes quoad prima principia. *VII.* 6. Quoad concluſiones vero ulteriores deficit, ob naturam corruptam. *VII.* 7.
—— naturæ æterna eſt immutabilis, objecta ſunt mutabilia. *VII.* 8.
—— naturæ participata eſt immutabilis quoad prima principia, mutabilis quoad ſecunda. *VII.* 9. 10.
—— naturæ non poteſt invincibiliter ignorari. *VII.* 2.
—— naturæ à poſitiva differt ut ſtatus naturalis ab adventitio. *VII.* 11. quomodo differat ab humana poſitiva, & à divina poſitiva. *III.* 25. nu. 12.
—— naturæ generalis fundamentalis quæ ſit? V.
—— naturæ non quoad omnia eſt omnibus nota. *III.* 26. nu. 5.
Legis naturæ exſecutio per quæ fiat. *VI.*
Legi æternæ ſubſtant neceſſaria & contingentia, damnati & beati, mali & boni. *VII.* 4.
Contra legem naturæ an fecerint Judæi vaſa aurea Ægyptiis auferentes. *VII.* 8. nu. 2.
LEX HUMANA ut ſit juſta, quid requiratur? *VII.* 13.

—— juſta in foro externo, obligat in conſcientia. *VII.* 14. quomodo iſtud? *XXII.* 5.
LEX mere poenalis vel non intendit obligare in conſcientia, vel non poteſt. *VII.* 15.
LIBERTAS voluntati non datur ad appetendum bonum ut ſic vel non appetendum. *IV.* 2.
—— ſentiendi eſt malus effectus juris naturæ heterodoxorum. *XII.* 4. &c.
LIBERUM ARBITRIUM debet moveri à DEO. *VII.* 18.
—— non abſolvit hominem à ſervitute DEI, ſed magis ſtringit. *XIII.* 2.
Libros edere abſque cenſura irrationabile Platoni. *VIII.* 13. nu. 6.
LOGICA Juris naturæ doctori neceſſaria. I. 3.
Luxuria quomodo repugnet juri naturæ. *XVI.* 12.
Luxus hodie nimius contra jus naturæ. *XVI.* 15.

M.

MAGISTRATUUM vanitas rempublicam peſſumdat. *XVI.* 15. nu. 10.
—— Obligatio erga pauperes eſt juſtitiæ commutativæ. *XXI.* 4. n. 7. & themate V. n. 4.
—— obligatio ad correctionem fraternam. *XXI.* 12.
—— obligatio in puniendis delictis *XXI.* 22. nu. 2. & XX. 2. nu. 2.
Magnanimitas vera non confundenda cum ſuperbia. *XVI.* 10.
Mali æque ac boni ſubſunt legi æternæ. *VII.* 4.
—— cur proſperi ſint? XX. 6. n. 4.
MALUM velle non eſt in libertate hominis IV. 2.
—— ex genere ſuo quid? VI. 23. actus talis non poteſt fieri bonus, niſi altiore poteſtate. VI. 26.
—— velle proximo eſt contra jus naturæ. XX. 4.
—— facere proximo eſt contra jus naturæ. XXII.
De *Malo* proximi gaudere illicitum. XX. 5.
Medicinam reſpuere quando quis poſſit. XIV. 11.
MEDIUM REI tenet juſtitia tam univerſalis quam particularis. XXI. 4.
—— rei & rationis item naturæ, quid ſint? XXII. 18.
MENDACIUM quid? eſt contra naturam. XXIV. 2.
—— non eſt interdum aliqua locutio falſa. XXIV. 5. Vide *Reſtrictio mentalis.*
Metus facit involuntarium ex parte. VI. 13.
MISERICORDIA eſt juris naturæ. XX. 3. XXI. 3.
—— falſa parentum aliquorum in filios *ibid.*
Monaſtica vota an ſint contra jus naturæ. XV.
MORALIA principia an ſint evidentia III. 23.
—— bona ſunt præferenda naturalibus. XIX. 6.
Moralis bonitas unde ſit? VI. 3. Vide *Bonitas* moralis.
MORS ſibi illata. Vide *Occiſio* ſui.
Mortis periculum adire quando liceat. XIV. 8 &c.
Mortificationes carnis ſunt licitæ etiam cum periculo abbreviandæ vitæ. *XIV.* 10.
MOTIVA credibilitatis ſunt diverſa à ratione credendi. *VIII.* 11. nu 7.
—— an debeant eſſe evidentia? *VIII.* 11. n. 12.
MOTUS primo primus eſt involuntarius. VI. 15.
Munera reipublicæ ſuſcipere ſine habilitate peccatum eſt XVI 7.
Muſica vana mutatio eſt periculoſa. *XVI.* 15. nu 9.
Mutilatio an licita? XIV. 9.

N.

NATURA quid? *II.* 10.
—— varia *II.* 11. &c.
—— mutabilis non eſt à ſe *II.* 18.
—— Naturans ſive DEus infertur ex prædictis. *II.* 21. &c.
—— integra ad ultimum finem obtinendum ſatis habuiſſet jus pure naturale. *IV.* 12. nu. 6.
—— Corrupta indiget præterea remedio ſanante corruptionem. *ibid.* & cap. X. 4. & *VII.* 17.
Naturæ humanæ finis qui & qualis. IV. Vid. *finis Contra naturam* peccata quæ ſint. VII. 5.
Supra naturam quid ſit. *VIII.* 12.
NATURÆ LEX Vide *Lex*, *Jus.*
NECESSITAS creata oritur à DEO. VII. 8. & quomodo pendeat à voluntate DEI. *ibid.* nu. 3.
—— decernit ordinem charitatis XIX 5.
—— debet eſſe in paupere, ut poſſit eleemoſynam petere. XXI. 5.
In neceſſitate extrema furtum non eſt peccatum. XXIII. 22.
NECESSARIA vel ſuperflua quænam ſint. *XIX.* 11. de ſimpliciter neceſſariis non debetur eleemoſyna. XXI. 6.
—— æque ac contingentia ſubſunt legi æternæ VII. 3.
NEGLIGENTIA ſupina, craſſa, affectata &c. VI. 6.
Nex ſibimet illata. Vid. *Occiſio* ſui.
NOBILITAS maxime debet ab otio abeſſe. XVI. 4.
—— Intellectu bene uti debet. XVI. 6.

—— admo-

—— admonetur de Vanitate exuenda. XVI. 15.
—— Seduci poteſt per heterodoxum jus naturæ ſic dictum. XII. 5.

O.

Obedientia quæ virtus? XIX. 25.
OBJECTUM materiale, formale, quid conferat ad actionem humanam, ſeu actum moralem? VI. 21.
—— ex genere ſuo bonum vel malum quod? VI. 22.
Obſervantia qualis virtus? XIX. 25.
Occidere aggreſſorem quando liceat? XXIII. 12. 15.
OCCISIO ſui eſt contra jus naturæ XIV. 1. Non excuſatur ærumnarum gravitate, infamia vitanda, caſtitate ſervanda, ſuperioris juſſu. XIV. 2. &c.
Occulta peccata quomodo corrigenda. XXI. 14.
OFFICIA hominis erga DEum. Cap. VIII.
———— erga ſe ipſum pure ſolum nulla dantur. XIII. 1.
—— erga alios homines in quo fundentur? XVII.
—— omnia erga alium non ſunt juris naturæ primævi puri, ſed tantum hypothetici. XVII. 3.
—— poſſunt dividi in officia abſoluta & hypothetica XVII. 3. 6. In perfecta & imperfecta ſuo ſenſu. XVII. 12. In Negativa & poſitiva. XVIII. 9.
Officia generalia hominis in hominem Cap. XVIII. per totum.
—— Benevolentiæ erga homines, & peccata his contraria. XX.
—— Beneficentiæ erga homines. XXI.
Offenſas remittere quomodo ſit juris naturæ. XXI. 21.
Oratio pro proximo eſt juris naturæ *XXI.* 19.
ORDO CHARITATIS eſt neceſſarius. *XVIII.* 10. n. 2.
—— qualis inter homines plures ſervandus? *XIX.*
OTIOSUM VERBUM, & omnis uſus otioſus facultatum eſt contra jus naturæ. *XVI.* 1. 2. &c. Quid ſit otioſum. *ibid.* 5.

P.

Pater primo loco amandus eſt inter conjunctos. *XIX.* 18.
SS. *PATRES* videntur ab heterodoxis, quo fine? *XII.* 4. nu. 3.
—— tutiorem tradunt doctrinam morum & juris, naturæ quam heterodoxi *XII.* 6.
PAUPER ut eleemoſynam petat, debet eſſe in neceſſitate. *XXI.* 5.
Pauperibus ſubvenire eſt juris naturæ. XX. 2. Vid. *Eleemoſyna.*
PAX externa reipublicæ non eſt finis juris naturæ *VII.* 25. nu. 6.
—— quale jus naturæ fundet? *XVIII.* 11.
PECCATUM omne eſt generice contra legem naturæ ſed non ſpecialiter. *VII.* 5.
—— ejus remiſſio à ſolo DEO ſperanda. *IX.* 5. nu. 5.
A *peccatis* purgare animam philoſophi incaſſum quæſierunt. *IX.* 6. nu 5.
Peccare non licet cauſâ ſervandæ vitæ &c. *XIV.* 13.
Peccata aliena. *XX.* 13.
Peccatorum correctio. Vide *Fraterna* correctio.
Permiſſivum & præceptivum jus non omnino differunt. *XVII.* 13.
Perſonarum acceptio differt ab ordine Charitatis *XIX.* 3.
Philoſophi. Vide *Gentiles. Pietas* quid ſit. *XIX.* 23.
PLATO hæreticos puniendos docet. *VIII.* 13.
POENITENTIA poſt peccatum eſt juris naturæ. *IX.* 5. Eſt actus juſtitiæ. *ibid.*
—— Gentilibus maxime & ſevere uſitata eſt. *IX.* 5. nu. 4.
—— Naturalis non eſt efficax ad DEI amicitiam recuperandam. *IX.* 6.
—— Poenitentiæ auſteritas licita eſt etiam cum periculo abbreviandæ vitæ. *XIV.* 8.
PRÆCEPTUM affirmativum & negativum quid ſint. *VII.* 16.
Præcepta omnia conſtanter obſervare non poteſt natura corrupta mediis pure naturalibus. *VII.* 17.
PRÆMOTIO phyſica unde neceſſaria. *VII.* 18.
PRINCIPIUM Juris naturæ indicativum ſeu principium cognoſcendi jus naturæ non eſt neceſſario unum *III.* 23 26.
—— indicativum non eſt neceſſario evidens per omnia. *III.* 2. 23. num. 4. &c.
—— indicativum an ſit connatum homini. *III.* 25. nu. 6.
—— Dignoſcendi juris naturæ non eſt ratio ſola. Vide *Ratio ſola.* Eſt neceſſitas ſubjectionis naturæ rationalis erga DEum. *III.* 26.
—— Non eſt Eſſentia humana nuda. *VII.* 3. nu. 2.
PRINCIPIA Juſti, Honeſti, Decori an ſint neceſſario ſeparatim docenda in jure naturæ. *VII.* 19. &c. Male in his verſantur heterodoxi. *VII.* 25.
PRINCIPIUM & finis in moralibus eſt idem. *XVII.* 4.
Promulgatio juris naturæ. Vide *Principia cognoſcendi.*
PROTESTANTES. Vide *Acatholici.*
Providentia DEI malis fortunas permittit. *XX.* 6. nu. 4.

Pro-

Proximi dilectio. Vide *Amor. Officia hominis* erga hominem.
Prudentia eſt juris naturæ. *XVI.* 16.
Publicum quid ſit? *XXI.* 14. Publica peccata ut corrigenda? *ibid.*
PUFFENDORFFIUS philoſophiæ expers *I.* 2.
—— urgetur de immortalitate animæ & juris naturæ fine in hac vita *IV.* 4. nu. 6.
—— finem juris naturæ facit diverſum à fine religionis Chriſtianæ. *IV.* 11.
—— Non docuit jus naturæ *XVII.* 2. nu. 4. Vide *Socialitas.*
—— Merito contemptus à diſcipulis *XII.* 4. nu. 3.
—— Ex ſuo principio ſocialitatis non poteſt probare neceſſitatem connubii XV. nu. 10.
—— Ejus ſophiſmata. *IV.* 11. Quid eum decepterit. *ibid.* nu. 9. & 12.
—— Ejus doctrinæ fructus *VII.* 25. nu. 6.
—— In eum ſententia Gabrielis Wolffii VII. 25. nu. 6.
—— Ejus principia juris naturæ ad luxum inclinant. XXI. 6. nu. 4.

R.

RATIO quid ſit. VI. 5.
—— In quo ſenſu ſit principium juris naturæ. III. 17.
—— In aliquo ſenſu eſt ipſa lex naturæ participata, non vero medium ad legem naturæ cognoſcendam. III. 17. VII. 1. & IV. 12.
RATIO & auctoritas quomodo concurrant in agnoſcendo jure naturæ. III. 24. Ratio in hoc negotio non præcedit auctoritatem ſed ſequitur. III. 17. nu. 1. & them. 21. nu. 3. &c. Rationis *uſus* per auctoritatem venit homini. III. 24. num. 11. & them. 25. num. 7. Ratio obnoxia perplexitatibus per auctoritatem facilius emendatur, quam auctoritas per rationem. III. 17. num. 3. Rationis pugna non poteſt niſi auctoritate componi. III. 24. nu. 4. & them. 25. nu. 17.
RATIO idolum Naturaliſtarum, male ab his cultum. *IV.* 11. n. 12.
RATIO SOLA non eſt principium indicativum juris naturæ. *III.* 17. 25. num. 6. Ea ſola agnoſcere jus naturæ, non eſt neceſſarium *III.* 19. Non utile. 20. Non poſſibile. 21. Eſt noxium vel delirum. 22. adde Cap. *VIII.* 7. nu. 4.
RATIONE SOLA nemo didicit Jus naturæ *III.* 19. 20. 22. 23. Sola utendum eſſe in doctrina morum, damnavit Clerus Gallicanus *III.* 22. nu. 9.
RATIO SOLA veritatem non poteſt attingere *VIII.* 11. *XII.* 8. Everſum it religionem. *XII.* 4. num. 4. Temere pro regula caſuum particularium arripitur. *XIX.* 14.
RATIONE SOLA non poteſt DEi exiſtentia demonſtrari. *III.* 24. nu. 11.
Rationem promittere ſolent hæretici. *VIII.* 11. num. 15.
Ratio in negotio fidei non præcedit auctoritatem. *VIII.* 11. ſola ad patiendum pro DEo non ſufficit. *III.* 24. nu. 12. An Socratem moverit ad moriendum pro divina doctrina *III.* 24. num. 7. &c. Interdum prævalere videtur auctoritati in applicatione. *III.* 23. In divinorum examinatione duos ſcopulos vitare debet, Pyrrhoniſmum & præſumptionem. *VIII.* 7. Debilis juvatur à DEo per revelationem. *VIII.* 9. num. 2. & Them. *XI.*
RATIO inferior & ſuperior *VI.* 16. ad Rationem ſuperiorem pertinet conſenſus. *VI.* 18.
RATIO intrinſeca & extrinſeca quæ. *VIII.* 11. nu. 5.
Regula morum. Vid. *Principium* juris naturæ.
Regularum moralium applicatio ad caſus particulares quomodo fiat. *XIX.* 14.
RELIGIO an alium finem habeat quam jus naturæ. *IV* 11.
—— Eſt pars juris naturæ. *IV.* 11. nu. 3. &c.
—— ſollicite cuſtodienda eſt, etiam pœnis admotis. *VIII.* 13.
In *Religionis* negotio debet præcedere auctoritas, & ratio caute adhibenda. *VIII.* 11.
RELIGIO interna & externa eſt DEo debita. *XI.* 2. 5.
RELIGIO revelata omnia ſibi ſubordinat in republica Catholica. *XII.* 5. ſubjicitur arbitrio hominum ab heterodoxis *XI.* 5. Vide *Chriſti* doctrina *Fides. Revelatio.*
REVELATIO DEi convincit. *III.* 23. nu. 6. &c. Perficit rationem *VIII.* 11.
—— An & quomodo ſit ſupra naturam. *VIII.* 12.
—— Non eſt excludenda à jure naturæ. *XII.* 8.
Revelationes DEi ordinariæ multæ ſunt. *VIII.* 8.
Revelationi extraordinariæ cognitæ tenemur jure naturæ aſſentiri. *VIII.* 8. nu. 2.
Revelatio non tollit obligationem naturalem ad credendum divina. *VIII.* 10.
RESPUBLICA. ejus finis an ſit pax externa. *IV.* 10.
—— Male tutò geritur ex jure naturæ heterodoxo. *XII.* 6.
In republica omnia ſubordinantur religioni per fidem Catholicam. *XII.* 5.
RESTITUTIO quid importat. *XXII.* 17.
Reſtitutionis obligatio non eſt ſimpliciter verum criterium ad jus ſtrictum agnoſcendum. *XXI.* 4.

Reſtitutio datur etiam, cum nequit præciſe reſtitui res ablata. *ibid.*
—— paritur ex omni injuria. *XXII.* 20.
—— Eſt actus juſtitiæ tam naturalis quam commutativæ &c. *XXII.* 21. &c.
—— obligat in conſcientia. *XXII.* 25.
Reſtitutionis fundamenta. *XXII.* 24.
—— Radices duæ, res accepta, & injuſta acceptio. *XXII.* 26.
—— Menſura unde deſumatur. *XXII.* 27.
Reſtitutio locum habet etiam in ſpiritualibus bonis. *XXIII.*
—— famæ. *XXIII.* 3.
Reſtituere debentium complicium inter ipſos ordo. *XXII.* 28.
RESTRICTIO mentalis quid? quotuplex? an licita? *XXIV.* 7. &c.
Rigoroſum debitum vel jus quid ſit. *XXII.* 2. Vide *Debitum.*

S.

Sacerdotum vanitas & luxus perniculoſa ſunt reipublicæ. *XXI.* 15. num. 10.
SCANDALUM quid? *XIX.* 6. *XXIII.* 5. &c.
—— parit reſtitutionem *XXIII.* 5.
SCIENTIÆ noſtræ quales ſint. *VIII.* 7.
Scientia communicabilis & incommunicabilis quæ. *XXIV.* 12.
S. SCRIPTURA non eſt excludenda ex jure naturæ Chriſtianis tradendo. *XII.* 8.
—— In ea quæ continentur, ſunt omnia juris naturæ, quomodo? *III.* 25. num. 9.
—— In ea contineri legem naturæ, an poſſit ratione doceri? *III.* 25. &c.
SENSUS COMMUNIS datur. *VI.* 6.
—— Eſt medium noſcendi DEum & jus naturæ. *VIII.* 5.
SERVITUS hominis erga DEum unde probetur? cap. *II.* & *III.*
—— Eſt principium juris naturæ. *III.* 26.
—— Pulchre exponitur à S. Auguſtino. *VI.* 16. num. 2.
—— Ex ea agnoſcitur, finem proprium hominis eſſe DEUM. *IV.* 4. nu. 8. Vide *Finis.*
SOCIALITAS principium juris naturæ Puffendorffianum infelix. *XVI.* 2. n. 4.
—— Non eſt principium juris naturæ puri ſed hypothetici. *XVII.* 3. &c.
SOCIETATIS humanæ nec principium nec finis eſt ipſa ſocietas, ſed aliquid ulterius. *XVII.* 4.
SOCRATES mortem obiit pro divina doctrina, ductus ratione & auctoritate. *III.* 24. nu. 7.
Solatium afflictis præbere eſt Juris naturæ. *XXI.* 20.
SPES in DEum eſt juris naturæ. *IX.*
—— Eam in creatura maximam habere eſt contra jus naturæ. *IX.* 1.
Sperandum omne bonum principaliter à DEo. *IX.* 2.
Speranda à DEo bona hujus & alterius vitæ. *IX.* 3.
SPIRITUALIA debent præferri corporalibus *XIX.* 6.
Spiritualium bonorum reſtitutio an detur? *XXIII.* 1.
Studia literarum bene tractare præcipue eſt nobilitatis. *XVI.* 4. 6. &c.
Subtilitas nimia non eſt apta juri naturæ docendo. *I.* 5.
SUPERBIA quid? *XVI.* 10. Eſt contra jus naturæ. *ibid.* 4. gentilibus fere non eſt habita pro peccato. *ibid.* Ejus filiæ. *ibid.*
Superfluum ſtatui quid cenſeatur, *XXI.* 5.
Suſpicio temeraria *XX.* 9.

T.

Temperantia eſt juris naturæ. *XVI.* 16.
In *Tentatione* confugere ad DEum eſt juris naturæ. *IX.* 7.
THEOLOGIA ſola an debeat tractare de DEo, ut ultimo fine, an jus naturæ? *IV.* 11. n. 9. &c.
Theologi an recte doceant de jure naturæ. *XI.* 7.
Theologica rimari non eſt cujuslibet *IX.* 6. fin. Vid. *DEus.*
Timor DEI naturalis eſt jure naturæ debitus. Alius filialis, alius ſervilis. *XI.* 6.
TRADITIONIS Eccleſiaſticæ &c. fundamenta *VIII.* 11. nu. 9.
—— Eam evertere volunt heterodoxi, cum auctoritatem ex jure naturæ excludunt. *XII.* 4. nu. 2.

V.

VANITAS eſt contra jus naturæ. *XVI.* 15.
Vanitate fieri initium ad evertendas reſpublicas, docetur exemplis *ibid.*
VERITAS omnis an ſemper dicenda ſit? *XXIV.* 10. &c.
Victimas immolare DEo an ſit irrationabile. *XI.* 2.
Vindicta quando ſit juſta. *XXI.* 22.
Violentia non habet locum in actibus elicitis ſed imperatis *VI.* 19. ſeq.
VIRGINITATIS votum an ſit contra jus naturæ. XV. Ob virginitatem ſervandam an liceat occidere ſe ipſum. *XIV.* 3.
VIRTUS non eſt finis juris naturæ. *IV.* 9.
—— vera in genere quid ſit. *XVI.* 16.
—— philoſophica potius vitium eſt, ex S. Auguſtino. *IV.* 9. num. 4.
Virtutes omnes ſunt de lege naturæ. *VII.* 5.

Virtuti poſtponenda eſt vita. *XIV.* 11. 12.
VITA præſens non eſt finis juris naturæ humanæ. *IV.* 4. num. 6. & them. 5. &c.
—— poſtponenda eſt virtuti. *XIV.* 11. 12.
Vitæ ſuæ dominus non eſt homo. *XIV.*
—— ob eam ſervandam non licet peccare *XIV.* 12.
—— quo ordine diligenda reſpectu proximi. *XIX.* 7.
VITA FUTURA non poteſt ex jure naturæ excludi. *IV.* 4. 5.
—— an ſit finis religionis tantum, non vero juris naturæ. *IV.* 11. nu. 6. &c.
—— In ea an duret juſtitia *IV.* 9. nu. 5.
Vitæ futuræ bona à DEo ſperare eſt juris naturæ. *IX.* 3.
—— Spes apud Indos maxima. *IX.* 5. n. 5.
VOLUNTAS DEI eſt principium juris naturæ conſtitutivum. Cap. *II.* & *III.*
—— an ex Coccejo potius quam Evangelio diſcenda. *III.* 20. nu. 5.
—— Immutabilis. *VII.* 8.
VOLUNTATIS humanæ actus eliciti non poſſunt eſſe coacti. *VI.* 1. 9. &c.
Voluntas quomodo concurrat ad actum moralem. *VI.* 4. 9. &c.
Voluntarium directe, indirecte, &c. *VI.* 9. &c.
Voluptas hujus vitæ non eſt finis ultimus hominis. *IV.* 5.
Votum eſt actus religionis. illud violare eſt contra jus naturæ. *XI.* 4. nu. 6.
USURA contraria juri naturæ *XVI.* 11. n. 4.
—— Videtur derivari poſſe, tanquam juſta, ex jure naturæ Puffendorffiano. *ibid.*
UTILE quid ſit? Non differt à juſto quoad rem, ſed quoad modum &c. VII 20.
UTILE verum eſt ſolus DEus. *ibid.* num. 2.

W.

WOLFFII jus naturæ eſt Scriptum pro jam ſcientibus. *III.* 19. 3.
Wolffius omnia ex auctoritate didicit, ac dein vult ab ea abſtrahere. *III.* 19. nu. 4. 10. & them. 20; num. 3. & them, 21. num. 2.
—— Principium juris naturæ male aſſignat eſſentiam humanam. *VII.* 3. nu. 2.
Ante Wolffium num fuerit ignoratum jus naturæ? *III.* 20. num. 6.

Errata in Jure Naturæ.

pag.	*Mendum* — *Emendandum.*
3.	in Titulo: Principlum Conſtitutionum. *lege*: Principui *Conſtitutivum.*
6.	à med. ſi non ipſe audierit teſtes, tamen ei &c. *mutanda interpunctio ſic*: ſi non ipſe audierit, tamen ei ſufficientem &c.
16.	b. num 9. Auctorum ingeniorum. lege: *Acutorum*
	—— Communis ſenſus, ego tueor. leg: *quem* ego tueor.
19.	a. nu. 9. Ad pateſaciendum debitum, *vel ad debitum.* Deleantur iſta: *vel ad debitum.*
22.	a. poſt med. an. 1700. examinavit. leg. *damnavit.*
25.	b. nu. 4. obſequium præſtat, acſi, [illegible]. *ac is.*
27.	b. nu. 6. Deinde etſi nulla. leg: etſi *ulla.*
29.	a. nu. 3. Quam enim ex natura ſua. leg. *Quum* enim ex &c.
34.	b. nu. 12. Divinitus inſtitutæ ſunt: *ipſum*: ipſo autem DEo &c. *lege ſic*: Divinitus inſtitutæ ſunt: ipſo autem DEo frui propter ipſum, ſeque & amico &c.
36.	a. Them. I. Poſt iſta: *Ineptiore ſenſu ſtatuit*: inſerendum textui eſt id, quod in notam marginalem irrepſit ſicque addendum: Aut in hoc: Vive ſecundum eſſentiam & naturam humanam abſtractam à DEo, quod Wolffius tradit.
39.	b. Them. *XVII.* Paſſionis animam verſus. leg. *animadverſus.*
43.	a. nu. 2. Judicantur eſt obſervanda. lege: *eſſe* obſervanda.
44.	a. 3tium Ita, ut ſe habeant ex parte creaturæ. lege: ita ut ſe *habent.*
45.	a. ant. med. ſub gravi peccato obligaret: lege: ſub gravi *pœna* obligaret.
46.	b. nu. 3. ſeu honorem dignum. lege, ſeu *honore* dignum.
47.	b. nu. 3. Per ſe decorem non aliunde. leg. per ſe *decorum decorem* non aliunde.
50.	a. ante fin. Wolffius ei ſane deeſſe. leg. *ſana.*
55.	a. poſt med. operuit oculos ejus. leg. *aperuit.*
69.	b. med. parva de DEo — leg. *prava.*
70.	a. poſt med. In ſtatu aut revelato. lege: in ſtatu *autem.*
85.	a. circa fin. In agendo magna difficilia & in &c. lege ſic: *In agendo magna, & in patiendo difficilia* conſiſtat.
87.	b. circa fin. Propropere. — leg. *Præpropere.*
89.	a. num. 6. erunt Græci. eg. *erant* Græci.
91.	b. poſt med. Nihil omnia eſſe. leg. Nihil *omnino* eſſe virtutem &c.
99.	b. ante fin. Bono proximo ejusdem ordinis. leg. Bono proximi &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google